

# Mariologia Patristica - Patres Latini

[PONTIUS MAXIMUS]

A[P]PONIUS

AMBROSIASTER

AMBROSIUS

ANASTASIUS II Papa

ANONYMUS (s.IV)

ANONYMUS (saec. V)

ANONYMUS (saec. V-VI)

ANONYMUS

ARATOR

ARNOBIUS Iunior

AUGUSTINUS

AVITUS Viennensis

BACHARIUS Monachus

CAESARIUS Arelatensis

CASSIODORUS

COELESTINUS I

Collectio EUSEBII Gallicani

CORIPPUS FLAVIUS

CYPRIANUS

De similitudine carnis

DRACONTIUS, BASSIUS AEMILIUS

ENARRATIO PSEUDO-ATHANASIANA

ENNODIUS MAGNUS FELIX

EPIPHANIUS Latinus

EUCHERIUS Lugdunensis

EUSEBIUS VERC

EUTROPIUS Presbyter

EVAGRIUS Monachus

FACUNDUS Hermianensis

FAUSTUS Reiensis

FERRANDUS Carthaginensis

FIRMICUS MATERNUS

FORTUNATIANUS

FULGENTIUS Mythographus

FULGENTIUS Ruspensis

GAUDENTIUS BRIXIENSIS

GELASIUS Papa

GENNADIUS Massiliensis

GREGORIUS Ilib

GREGORIUS Magnus

GREGORIUS Turonensis

HIERONYMUS EUSEBIUS

HILARIUS

HORMISDA Papa

IGNOTUS (s.IV)

IGNOTUS (saec. V vel VI)

IOANNES CASSIANUS

IOANNES MAXENTIUS

IOANNES Tomitanus

ISIDORUS Hispalensis

IUSTUS Urgellensis

LACTATIUS

LEO Magnus

LITURGIA GALLICANA

LUCIFER

MARIUS VICTORINUS

MARTINUS Dumiensis

MAXIMINUS Ep. Gothorum

MAXIMUS TAURINENSIS

NICETAS REMESIANENSIS

OPTATUS

PAULINUS NOLANUS

PELAGIUS Britannus

PELAGIUS Papa I

PETRUS Chrysologus

PETRUS Diaconus et alii

PHILASTRIUS

PHOEBAVIUS

PRIMASIUS Hadrumetinus

PROSPER Aquitanus

PRUDENTIUS

ps.HEGEMONIUS

Pseudo-Ambrosius

Pseudo-AUGUSTINUS

QUODVULTDEUS

RUFINUS Syrus

RUFINUS TYRANNIUS

RURICIUS Lemovicensis

RUSTICUS HELPIDIUS DOMNULUS

SALONIUS Viennensis

SEDULIUS COELIUS

SERMONES AFRICANI

SEVERINUS BOETIUS

Sulpicius severus

TERTULLIANUS

VENANTIUS FORTUNATUS

VERECUNDUS

VICTORINUS

VIGILIUS Papa

VIGILIUS Thapsitanus

VINCENTIUS Lirinensis

VITALIS ET CONSTANTIUS

ZACCHEUS Christianus

ZENO

nostrum Iesum Christum. Qui vero audacieores sunt, etiam corpus illius sic de Maria confitentur, ut nihilominus etiam hoc de caelestibus vindicent.<sup>1</sup>

[PONTIUS MAXIMUS] (saec. IV)

DE SOLSTITIIS ET AEQUINOCTIIS<sup>2</sup>

671 [...] Ex die igitur conceptionis Ioannis octavo kalendas octobris usque octavo kalendas aprilis quando angelus Gabriel ingressus est ad Mariam et salutavit eam dicens: *Pax tecum quae invenisti gratiam apud Deum. Quae auditu hoc verbo conturbata est et cogitabat intra semetipsam quae esset haec salutatio; cui dixit angelus: Ne timueris Maria quia invenisti gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero et paries filium et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus et filius Altissimi vocabitur et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius et regnabit in domo Iacob in saecula et regni eius non erit terminus. Cui respondit Maria: Et quomodo haec cognoscam cum vi- rum non noverim? Et dixit illi angelus: Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi: propter quod is qui nasceretur sanctus vocabitur filius Dei. Tunc Maria fida sermonis dixit: Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundum sermonem tuum.*<sup>3</sup> Fuit igitur ut diximus quando haec angelus ad Mariam adnuntiavit octavo kalendas aprilis qui et ipse est dies aequinoctialis ad inchoationem lucis. Iam enim detersa caligine mundi lux in mundum adveniebat sicut Ioannes in epistula sua dicit: *Quia tenebrae transierunt et lu- men verum iam lucet.*<sup>4</sup> De quo lumine iterum in evangelio dicit: *Fuit lumen verum quod inluminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*<sup>5</sup> Conceptus est ergo Dominus noster octavo kalendas aprilis mense martio qui est dies paschae passionis Domini et \*conceptio- nis eius. In qua enim die conceptus est in eadem et passus est. Et ideo Dominus ad Moysen in Exodo praeceptum sacramenti tradens dicit: *Non occides super azima sanguinem immolatorum meorum et immolationis die solemnis paschae. Initia creaturae tuae inferes in domum Dei tui. Non occides inquit agnum in lacte matris suae.*<sup>6</sup> Haec

PLS  
I, 562

\*563

<sup>1</sup> CCL IX, 327-328.

<sup>2</sup> Discrepant Auctores de paternitate huius operis saec. v (cf. PLS I, 557).

<sup>3</sup> Lc. I, 28-38.

<sup>4</sup> I. Io. II, 8.

<sup>5</sup> Io. I, 9.

<sup>6</sup> Exod. XXXIV, 25 ss.

significantia sunt agni immaculati qui sacrificium Deo offerri habebat quod in prima pascha conceptionis suae in utero matris non eum oportuisset occidi. Et ideo Ioseph sciens praegnantem esse Mariam ne tamquam stuprata aut adultera lapidibus interficeretur *clam eam dimittere voluit;*<sup>1</sup> ut vero non occideretur agnus immaculatus in lacte matris suae: sed inter haec ascendit, inquit, Maria ad Elisabeth visitare eam post mense sexto conceptionis eius.<sup>2</sup> Tunc et Cohannes inspiratus est et fecit ibi Maria cum Elizabeth menses alios tres. Et sic expletis novem mensibus in mense decimo peperit Iohannem octavo kalendas iulii qui est nonus mensis a septembre et quartus a martio inchoationis anni, de quo propheta Zacharias dixerat *ieiunium quartum esse domui Iuda in laetitiam et gaudium.*<sup>3</sup>

PLS  
I, 563

[...] Nam Christus vero qui in nativitate Ioannis iam trium mensium incorruptae vulvae fuerat conceptus, supererant ei, ut et ipse secundum humanam nativitatem suppleret menses novem, alii menses sex.

672

## ANONYMUS (saec. IV)

CARMEN<sup>4</sup>

[...] Ne tamen insignem res nulla ostenderet ortum,  
Virgine conciperis: non sufficit esse pudicam,  
Nec quae nupta queat Domino coniungere fratrem,  
Ne procul ex utero contagio turpis abesset.  
Mox ubi processu felix maturuit aetas,  
Indociles animos monitis servare paternis  
Aggrederis, rectamque viam labentibus offers.

673

## FIRMICUS MATERNUS, IULIUS (saec. IV)

## DE ERRORE PROFANARUM RELIGIONUM (343-350)

PL  
12, 1038 Cap. XXVI. [...] Ex virginis terrae limo factus Adam praevacratione propria promissam perdidit vitam. Per virginem Mariam ac Spiritum sanctum Christus natus, et immortalitatem accepit et regnum. [...] Deus Abrahae clarius a coeli sideribus promiserat re-

674

<sup>1</sup> Matth. I, 19.<sup>2</sup> Cf. Lc. I, 39 et 36.<sup>3</sup> Cf. Zach. VIII, 19.<sup>4</sup> Quarto ineunte saeculo in Africa scriptum (PLS I, 180).

● PLS I, 543, 544, 554, 563.

eredimus et fatemur: et in eadem ipsa carne in qua iacuit in sepulcro, post resurrectionem ascendisse in coelum, unde venturum exspectamus ad iudicium vivorum et mortuorum: \* Virginem quoque de qua natum scimus, et virginem ante partum, et virginem post partum, ne consortes Elvidiani erroris habeamur.

## RUFINUS Syrus (saec. IV-V)

LIBER DE FIDE<sup>1</sup>

<sup>PL 21, 1146</sup> XLIII. Factus igitur homo unigenitus Deus Verbum, ex Maria quidem semper virgine corpus accipiens, animam rationabilem sibi creando, eius substantiae cuius nostra est, ex ipsa semper Virgine nascitur homo sicuti Isaias prophetando dixit, *Ecce Virgo in utero accipiet et pariet filium.*<sup>2</sup> Semper autem Virginem dixit sanctam Mariam, quoniam sicut virgo concepit, sic etiam virgo permanens perperit. Nam quomodo signum quod datum est a Deo Achaz verum erit? Si igitur non permaneret virgo post partum, et quod virgo concepit, minime credendum est. Quid enim dicit Evangelista de Ioseph? *Et non cognovit eam donec peperit filium suum,*<sup>3</sup> id est, non noverat certius quod ipsa erat Virgo, quae Christum paritura praedicta est, nisi post partus editionem documenta \* virginitatis eius manere agnoverisset intacta. Necnon etiam ex consequentibus et adnunciis Christi signis, Angelis, stella, Simeone, Anna vel Magis, admonitione quoque Angeli, qui ad ipsum locutus est hoc modo, *Surge, accipe puerum et matrem eius.*<sup>4</sup> Non dixit uxorem tuam, ut scire posset quod Christi caussa Virgini Mariae datus fuerat ut minister. Unde Dominus signum virginitatis confirmare volens, post resurrectionem a mortuis, clausis ad Apostolos ingressus est ostiis, ostendens se ossa et carnem habentem.

## A[P]PONIUS (saec. V)

## IN CANTICUM CANTICORUM (405/415)

<sup>PLS I, 850</sup> Lib. III. [...] Tria igitur in se delectabilia et nimis oculis grata, lili natura continere probatur, idest candorem, odorem, [et quaeque adusta ignis medicina]. Quae tria admiranda simili ratione in

<sup>1</sup> Viri docti iudicant Rufinum, auctorem huius libri, esse *Rufinum natione Syrum* (cf. PLS I, 1098).

<sup>2</sup> Isa. VII, 14.

<sup>3</sup> Matth. I, 25.

<sup>4</sup> Matth. II, 13.

● PLS I, 1036, 1037, 1040.

hanc convallem mundi Dominus apportasse cognoscitur; hoc est abolitionem peccati, abstersionem mendacii, et refrigerii temperamentum ignium genitalium, de quo nascitur amor conservandae virginitatis; ex eo videlicet quisquis a peccato aliquantulum vel a mendacio temperaverit, ipsius adiutorio et exemplo se facere gratulatur. Amores autem sive integritatis servandae, vel castitatis in utroque sexu, cuius, nisi gloriosi assumpti hominis et Beatae Mariae Virginis acceduntur exemplis? De quibus tribus praedictis bonis ita cecinit Isaias Propheta inter caetera: *Ideo (inquit) dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, quia peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore eius,*<sup>1</sup> quod est mendacium. Et: *Ecce virgo concipiet in utero, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel, idest nobiscum Deus.*<sup>2</sup> Quem florem campi intelligimus dictum, et lilium convallium per immaculati corporis assumptionem.

1396 Lib. IV [...] Tempus putationis advenit. *Vox turturis audita est in terra nostra.*<sup>3</sup> [Congrua aestati] huius castissimae avis vox, gloriose virginitatis, in supradicto tempore per Beatam Mariam primum audita est in terra nostra, dicendo ad Angelum Gabrielem: *Quomodo hoc erit, cum virum non cognoscam?*<sup>4</sup> Et: *Ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius.*<sup>5</sup> Cui voci Angelus respondit, sacratissimi partus expnendo mysterium; quomodo quod sine lege complexus concipitur, sine poena doloris parietur, *Virtus* \* (inquit) *Altissimi obumbrabit tibi, et Spiritus Sanctus superveniet in te, ideo quod nascetur [ex] te sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>6</sup> Et vere digna, quam solam beatam omnes generationes dicant, quam gloriosam inter omnes foeminas, non solum diversarum gentium nationes, sed etiam coelorum virtutes admirantes collaudant. Per quam, vitam ingressam, mortem fugatam [mundum Deo] reconciliatum gaudemus; per quam in terra maledictionis, in terra impiorum [perdita in terra incontinentiae] primum sanctae voluntatis vox conservanda virginitatis audita est; de qua praedixerat David: *Terra nostra dabit fructum suum;*<sup>7</sup> bonum utique bonae voluntatis fructum, quem natura suscepit in parente Adam. Nisi enim voluntas fuisse conservanda virginitatis, non diceret, quomodo fiet, cum virum non noverim? Quamdiu enim praeverica-

PLS  
I, 868

\*869

<sup>1</sup> Isa. LIII, 12 et 9.<sup>2</sup> Isa. VII, 14 et Matth. I, 23.<sup>3</sup> Cant. II, 12.<sup>4</sup> Lc. I, 34.<sup>5</sup> Lc. I, 48.<sup>6</sup> Lc. I, 35.<sup>7</sup> Ps. LXXXIV, 13.

tionis hyemis tempus triste constrictumque ab omni germine bono obtexerat aciem mundi, et sua ditione obtinebat diabolus terram; haec dulcissima vox turturis, sive per gloriosam Mariam, sive per beatum Ioannem non est audita in terra. Sed ubi magnus ille iustitiae sol, nobis indulgentia aestatis ubertatem adducendo, exortus est; coepit desiderii conservandae integritatis vox turturis in terra nostra audiri: et quae prius impiorum nuncupabatur, nunc suam terram vel Ecclesiae, Dei sermo vocitare dignatur. Quae ita coniunctae sunt Spiritui Sancto utraeque personae, [illa scilicet Maria] supervenienti in se, et [ille, scilicet Ioannes] adhuc in utero Matris eo impletus [ut iam nulli alii dilectionis commodent voluntatem]. Nam sicut natura turturum deserti habitacula diligit, et advocans comparem dulci resonat voce; ita illae supradictae personae: illa, dicendo: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum:*<sup>1</sup> et ille clamando: *Post me venit qui ante me factus est, cuius, non sum dignus calceamenta portare.*<sup>2</sup> Iusta ergo ratione, turturi castissimae avi virginitas comparatur; quae in Ioanne vel Maria obtinet principatum: quae semel Verbo Dei, vel Spiritui Sancto coniuncta, nunquam aliquem alium cogitat comparem, nec alteri desiderium sui amoris communicat, nisi illi, cui semel conglutinata probatur; sed ad illum semper promissionis vocem, et mentis [emittit] cui promisit servare quod nata est, sicut turturum amor erga comparem suum immutabilem [fetur servare] dilectionis affectum.

PLS  
I, 887

Lib. V. [...] *Pacem meam do vobis, pacem meam relinqu vobis.*<sup>3</sup>

Hic ergo pacificus sibi hunc lectulum de virga, quae egressa est de radice Iesse, fabricavit in Virgine Maria, super quam decumbens, humiliando se, hominibus loqueretur.

1397

PLS  
I, 896  
\*897

Lib. VI. [...] Christus] pro hominum salute per Virginem mundo ostensus \* est, integritatis et castimoniae flores toto orbe sparsit. Cuius pulchritudinis partes, id est, fragmen, virginitatem et continentiam ostendit [habere, in quibus] Ecclesiae facies intacti sanguinis conservati pulcherrima demonstratur: Illud vero quod ait *absque eo quod intrinsecus latet* solam prae omnibus bonis operibus etiam castitatem in his qui ministri sunt plebis christiana, (in qua homines vident castitatem speciosam Ecclesiam reddere) absque eo quod intrinsecus in secreto mentis Deo pulcherrimum est, et homines latet. Principes autem [genarum] Ecclesiae, alteram in veteri Testamento, alteram in novo, duas Marias (sororem Mosis et Aaron, et electam Matrem

1398

<sup>1</sup> Le. I, 38.<sup>2</sup> Io. I, 27.<sup>3</sup> Io. XIV, 27.

Domini), virgines opinor intelligi, quae primae coeperunt sponsae Ecclesiae genas mirandas efficere, integritatem servando.

- 1399** [...] Hic mihi videtur Ecclesiae collum<sup>1</sup> intelligi, attracta in se similitudine illius turris, quae per manum fortem aedificata est de materia carnis ex Virgine. PLS I, 898

- 1400** Lib. VII. [...] *Quam pulchrae sunt mammae tuae, soror mea, sponsa.* PLS I, 913  
*Pulchriora ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.*<sup>2</sup> Mamuae igitur ad fecunditatis benedictionem, ubera vero ad virginitatis gloriam respicere opinamur. Quae sacramenta per Incarnationem Christi utique factura, ore Salomonis ad Ecclesia de corem Spiritus Sanctus praedixit. In genitricibus enim mammae, in virginibus ubera appellantur. Quibus Ecclesia ex tempore apparitionis Christi utrisque pulchra ostenditur, eo quod quotidie concipit, quotidie lactat, et Virgo est. Hoc igitur qui non credit Deum per Ecclesiam facere, quod fecit per Virginem Mariam, infelix incredulus miser est.

- 1401** [...] *Veniat (inquit) dilectus meus in hortum suum, et comedat de fructu pomorum suorum.*<sup>3</sup> In qua utique in tantum Apostolicus profecit labor, ut magna delectationis hortus, et deambulatorium regis coelorum effecta sit. In qua nulla desit medicina salutis; quae ita undique vitam imitando apostolicam, et fidei regulam conservando, praececeptorum maceria exclusit furem diabolum; ut pro magna laude hortus conclusus, ut fons signatus regis sigillo sit appellata, eo quod novum ortum germen David, quod in signum gentium ad salutem stat, novo ordine natum de Virgine suscepturo Salvatorem praedicitur. Conclusus enim hortus intelligentus est quicumque, nulla fraude corruptionis reserato utero, credit et confitetur editum Salvatorem. Erit hortus irriguus, quo nulli furi immundi spiritus adeundi patebit ingressus. Est igitur soror hortus conclusus Ecclesia vel anima, credendo perfectum hominem Christum Virginem peperisse. Est et fons signatus, verum Deum Verbum Patris credendo, in homine ex utero processisse, qui fons vitae et fons luminis a Propheta est appellatus, de quo dicit ad Patrem: *Quoniam apud te fons vitae, in lumine tuo videbimus lumen.*<sup>4</sup>

- 1402** [...] De quo dicit Baptista Ioannes: *Qui habet sponsam, sponsus est;*<sup>5</sup> ut primitias boni operis, fructum pomorum virginitatis ipse PLS I, 923

<sup>1</sup> Cant. IV, 4.

<sup>2</sup> Cant. IV, 10.

<sup>3</sup> Cant. IV, 16.

<sup>4</sup> Ps. XXXV, 10.

<sup>5</sup> Io. III, 29.

consecrat; ipse delibet procedendo de Virgine; ipse gaudii poenitentiae pomum susceptum ab Ecclesia, Angelis transmittat ad coelum.

PLS  
I, 963

Lib. IX. ... [anima Christi] in se verum Deum, veramque carnem adunatam, unam personam ostendit. Quae missa in corpus, cum corpore egressa, intactum uterum Virginis derelinquens, nec ante se, nec post se habendo consortem nascendi, unica effecta est Virginis matris. Quae mammae lactigeras porrigo iure dicitur mater.

1403

PLS  
I, 1027

Lib. XII. [...] Considerabam (inquit) ad dexteram, et videbam, et non erat qui agnosceret me. Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam.<sup>1</sup> Et hic tantus, cui lux, sidera, et omnia elementa inseruiunt, ut nos humilitatem doceret, quae de terris caenoque peccati ad coelum et perpetuam laetitiam sublimat, quasi peregrinus et advena, qui a nullo nisi a sola matre cognosceretur, in terris conversatus cum hominibus fuisse docetur. Nam si Ioseph virum matris, qui propter custodiam Virginis nomen patris sortitus est, interroges, in tantum se testatur nescire, unde genus sanguinis trahat hic, qui \* fugere commonetur, ut cum eum in utero Virginis praesensisset, nisi ab Angelo fuisse edoctus, dimittere et prolongare eam in secreto mentis tractaret. Sola ergo mater, nullo teste masculo, novit genus, Gabriele Angelo exponente eam spiritu maritatam.

1404

\*1028

## ENARRATIO PSEUDO-ATHANASIANA (saec. V)

### IN SYMBOLUM APOSTOLORUM

PLS  
I, 788

[...] Ex Maria Virgine. Honor materni sexus incorruptae Virginitatis professione monstratur, ne divisus esset homo et Deus; quamvis habens utriusque status plenitudinem crederetur. Sed quamvis homo nasceretur ex Maria, Dei tamen virtus probaretur ex Virgine; ut et fides generis maneret in carne, et potentia maiestatis apparet in incorruptione.

1405

<sup>1</sup> Ps. CXLI, 5.

<sup>2</sup> Cf. PLS I, 785 ss.

● PHILO CARPASIUS (saec. V), PG 40, 108.

● PLS I, 855, 922, 923, 935, 962, 981, 987, 988, 994, 1000, 1015, 1025.

DE PUDICITIA ET CASTITATE<sup>1</sup>

**640** Ab origine mundi castitas Deo placuit, ut de intacta virgine et sine concupiscentia carnis nasceretur Iesus. PL. I. 6.

## AMBROSIASTER (saec. IV)

*Commentarius in Epistolas Paulinas<sup>2</sup>*AD ROMANOS<sup>3</sup>

**641** Cap. I, 3. [...] *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* CSEL 81 I, 14

2. Eum qui erat Dei filius secundum sanctum Spiritum (id est secundum Deum, quia Deus spiritus est et sine dubio sanctus est), factum dicit iuxta carnem Dei filium ex semine David iuxta illud: *et verbum caro factum est,*<sup>4</sup> ut iam unus sit (et) Dei [filius] et hominis Dei Filius (Christus Iesus). Qui enim ex aeterno Dei Filius erat, ignorabatur autem a creatura, dum vult (autem) manifestari pro humana salute, visibilis debuit et corporeus fieri, quia et cognosci se voluit per virtutem et hominem peccatis abluere in carne morte devicta. Et ideo ex semine David fit, ut sicut de Deo rex ante saecula natus est, ita et secundum carnem ex rege ortum caperet, [factus opere Spiritus sancti] de (ex) virgine [hoc est] natus, ut reverentia ei reservata ex hoc ultra hominem cognosceretur, qui ab humanae legis nativitate distaret, sicut praedictum fuerat ab Esaia profeta: *Ecce virgo in utero concipiet*<sup>5</sup> et cetera, ut cum novum fa-

<sup>1</sup> Vide PLS I, 601.

<sup>2</sup> Romae scriptus inter 366 et 384. Extat in App. op. S. Ambrosii, PL 17, 45-58. Cf. Al 405. Quaestio de persona Auctoris inexplicata est ad hodiernum diem.

<sup>3</sup> Recensionem referimus antiquorem, sc.  $\alpha$  et  $\beta$ , quam optime curavit cl. H. I. Vogels.

<sup>4</sup> Io. I, 14.

<sup>5</sup> Isa. VII, 14.

- PL 14, 233, 318, 320, 479, 513, 521, 694, 818, 821, 832, 860, 864, 882, 901, 943, 973, 1011, 1014, 1020, 1064, 1142, 1145, 1169, 1173, 1191.

- PL 15, 1206, 1210, 1220, 1223, 1259, 1263, 1269, 1289, 1300, 1334, 1361, 1366, 1380, 1387, 1391, 1410, 1449, 1461, 1481, 1532, 1547, 1564, 1571, 1573, 1575, 1577, 1607, 1782, 1812, 1838.

- PL 16, 102, 211, 212, 223, 235, 242, 271, 277, 281, 283, 330, 331, 364, 396, 426, 441, 455, 550, 552, 573, 599, 625, 656, 657, 660, 671, 681, 683, 694, 717, 725, 730, 806, 815, 820, 848, 895, 896, 1015, 1056, 1128, 1152, 1227, 1236, 1294, 1401, 1411.

- PL 17, 119, 188, 190, 192, 196, 265, 359, 424, 522, 524, 528, 565, 696.

- CCL XIV, 6, 23, 53, 54, 58, 99, 318, 354, 384.

- PLS I, 594, 607.

ctum videretur et laude dignum, providentia quaedam Dei circa visitationem humani generis futura dinosceretur.

CSEL 81 I, 254 Cap. VIII, 3. *Quia quod impossibile erat legis, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudine carnis peccati de peccato damnavit peccatum in carne.* 1. Haec dicit, ut baptizatos securos reddat

$\alpha$  qui a peccato liberati sunt       $\beta$  quia a peccato sunt liberati.  
quia (quoniam) quod impossibile erat [inquit] legis; cui impossibile?  
Nobis scilicet impossible erat mandatum legis inplere, quia subiecti eramus peccato. Ob hoc Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati. Haec est similitudo carnis, quia cum eadem caro sit, quae et nostra, non tamen ita facta in utero est et nata sicut et caro nostra;

$\alpha$  hoc est, sanctificata in utero est.  $\beta$  est enim sanctificata in utero et nata sine peccato et neque ipse in illa peccavit.

2.  $\alpha$  propterea ergo similitudinem dixit. Ideo dixit in similitudinem carnis peccati, ut similitudo in eo sit, quia nostra caro peccati est caro, dum subdita est peccato.

$\beta$  ideo enim virginalis uterus electus est ad partum Domini ut in sanctitate differret caro dominica a carne nostra. In causa enim similis est, non in qualitate peccati substantiae. Propterea ergo similem dixit, quia de eadem substantia carnis non eandem habuit nativitatem, quia peccato subiectum non fuit corpus Domini.

CSEL 81 I, 260 Cap. VIII, 6. *Nam prudentia carnis mors est.* 1. Prudentia carnis peccatum est, quod generat mortem. Prudentia  
 $\alpha$  ideo dicitur, quia industria et astutia illorum in eo est ut peccent.

$\beta$  enim ideo dicitur, cum res stulta sit, quia saecularibus hominibus errores ex visibilibus concepti sive in sensu sive in actu contra legem Dei prudentia videntur, maxime quia omnis industria et astutia illorum in eo est ut peccent.

Sapere enim sibi videntur, si istud diligentius curent [cum nihil stultius sit quam peccare]. 2. Est et alia prudentia carnis, quae mundanis rationibus inflata negat aliquid fieri, quod mundi careat ratione; unde deridet virginis partum, carnis resurrectionem. [...]

\* 7. *Quoniam sapientia carnis inimica est Deo. Legi enim Dei non est subiecta; nec enim potest.*

1. Non carnem dixit inimicam, sed sapientiam carnis, id est non substantiam, sed actus aut cogitationem sive adscriptionem (ad severationem) [quae nascitur de errore).

- 644 Cap. XV, 12. *Et Esaias dicit; erit radix Iesse, et qui surget regere gentes, in eo gentes sperabut.* [...] CSEL 81 I, 462

2. Quare tamen Christus ex radice Iesse et non ex radice Booz, viri iusti, aut ex radice Obeth? Sed quia David filius dicitur propter regnum, ut sicut ex Deo natus in regem est, ita [et] ex David regem habueret iuxta carnem, ideo radix Iesse arbor David, quae fructum fecit per ramum, quae (qui) est Maria virgo, quae genuit Christum.

#### I<sup>a</sup> AD CORINTHIOS

- 645 Cap. I, 17. [...] *Non in sapientia verbi, ne (ut non) evacuetur crux Christi.* [...] 4. Ac per hoc gloriam suam quaerit, qui fidem Christi verbis exornare vult. Obscurat enim illam splendore verborum, ut non illa, sed ipse laudetur, sicut et pseudoapostoli, ne stulti viderentur prudentibus mundi, in sapientia hominum Christum praedicabant duplii genere, ut eloquentiae studerent et ea quae mundus in nobis stulta iudicat evitarent, ut neque incarnatum Dei Filium et de virginine natum docerent neque carnis futuram resurrectionem, quia mundi istud sapientia et ratio stultum iudicat. CSEL 81 II, 13

- 646 Cap. I, 19. *Scriptum est enim [in Esaia]: perdam sapientiam sapientium et intellectum prudentium reprobabo.* Perdit sapientiam sapientium, dum quae illa negat posse fieri, facit; et reprobar intellectum prudentium, cum (quando) Deum, quem incuriosum dicunt, adgressum probat ea quae stulta putant, ut Dei Filius in carne natus (incarnatus) de virginie, crucifigeretur pro humana salute, quod factum vere testatur virtute, non verbis. CSEL 81 II, 14

- 647 Cap. II, 1-2. [...] Prudentiam \* mundi sectates crucem Christi evacuabant, erubescentes stulti appellari a mundo, ut neque natum Christum ex virginie praedicarent neque [vere] crucifixum docerent, quia stultum videtur Dei Filius natum hominem fateri et crucifixum. CSEL 81 II, 21  
\*\*22

#### AD GALATAS

- 648 Cap. I, 16. [...] *[Nec fratres eius, inquit, adhuc credebant in eum.]*<sup>1</sup> Hie Iacobus filius fuit Iosef,<sup>2</sup> qui ideo frater Domini appellatus est, CSEL 81 III, 16

<sup>1</sup> Io. VII, 5.

<sup>2</sup> Auctor fictionem *apocryphi* Iacobi protoevangelii hic refert.

quia et Iosef pater eius etiam Domini pater nuncupatus est. Sic enim dicit Maria ad Iesum in Lucae evangelio: *Quid fecisti nobis, fili? Etenim et ego et pater tuus maesti et tristes quaerebamus te.*<sup>1</sup> Et in evangelio Iohannis dicit Filippus ad Nathanael: *Quem scripsit Moyses in lege et profetae invenimus Iesum a Nazareth, filium Iosef.*<sup>2</sup> Hoc ergo modo dictus est Dominus frater Iacobi et ceterorum, quo et filius nuncupabatur Iosef. Quidam enim ducti insania hos veros Domini fratres de Maria natos impia adsertione contendunt, cum Iosef non verum patrem eius dicant appellatum. Si enim hi veri erunt fratres eius, Iosef erit verus pater, quia qui dixit patrem eius Iosef, idem dixit et fratres eius Iacobum et ceteros].

CSEL 81 III, 43 Cap. IV, 4. *At ubi autem venit plenitudo temporis, misit Deus 649 Filium suum factum ex muliere factum sub lege [...]. Plenitudo temporis est completum tempus, quod praefinitum fuerat a Deo Patre, quando mitteret filium suum, ut ex virgine factus quasi homo nasceretur.*

#### AD COLOSSENSES

CSEL 81 III, 177 \*178 Cap. I, 29. [...] Paulus] hanc dicit veram esse sapientiam, quae est \* in disciplina dominica, cum agnoscitur Christus, quod se ipsum apostolus magna cum cura agere testatur, ut erudiens omnem hominem in hac sapientia consummatum exhibeat eum Deo in intellectum Christi, ut mysterium nativitatis ex Deo et nativitatis ex Maria è totius operis eius caelestium et terrestrium adsequatur. 650

#### LIBER QUAESTIONUM <sup>3</sup>

##### QUAESTIONES VETERIS TESTAMENTI

CSEL 50, 23 Cap. III, 4. Igitur descripta mundi fabrica et primi hominis origine traducem tenuit generis Seth, qui redditus est pro Abel, et per ordinem venit ad Abraham patrem iudeorum, ut ostenderet Abraham huic Deo credisse, qui opifex mundi est, et ipsum legem dedisse, in qua futurus Christus promissus est, qui liberaret genus hominum de dominio diaboli. Ex his rationabilis probatur fides nostra; testi-

<sup>1</sup> Lc II, 48.

<sup>2</sup> Io I, 45.

<sup>3</sup> Extat in app. op. S. Augustini, PL 35, 1207-1416, sub tit. *Quaestiones Veteris et Novi Testamenti.*

• CSEL 81, II, 18, 20, 173.

monium enim huic dat origo descripta, quia ab initio genus est Christianorum. Ex Seth enim filio Adae venitur ad Enoch, ab Enoch ad Noë, ex Noë ad Abraham, ab Abraham descenditur ad David, a David ex Maria de Spiritu sancto nascitur Christus.

- 652 Cap. XXIII, 3. [...] Salvatorem [...] scimus sine complexu carnis de CSEL  
50, 51 sancto Spiritu natum ex femina.

### QUAESTIONES NOVI TESTAMENTI

- 653 Cap. XLIX, 1. [...] Salvator utique, cum de Spiritu sancto nascitur, purificatum corpus habuit. Unctio enim carni eius spiritualiter in utero data est; Spiritus enim sanctus purificavit quod de Maria virgine in corpus Salvatoris profecit. Et haec est unctio carnis corporis Salvatoris, quare et natus « Christus » est appellatus. CSEL  
50, 96

- 654 Cap. LI. Quo modo intellegatur, quod dicenti Mariae ad Angelum: *Et unde hoc sciām, quia virūm non cognōvī?* Respondit Gabriel Angelus: *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi.*<sup>1</sup> CSEL  
50, 97

Ambigenti Mariae de conceptu possibilitatem angelus praedicat dicens: *Spiritus sanctus superveniet in te*, hoc est: « ne dubites, quia virum nescis: quod enim dixi », ait, « quia concipies, Spiritus sanctus superveniens in te operabitur, ut concipias sine viro ». *Et virtus Altissimi*, inquit, *obumbrabit tibi*. *Altissimi virtus* sine dubio Christus est; hoc enim ad ipsius personam pertinet. Superveniens ergo Spiritus \* sanctus in virginem sanctificavit eam opere suo efficiens corpus sanctum ex ea, in quo virtus quae dicitur Dei Filius nasceretur cuius obumbratio in virginem haec est, ut de immensitate divinitatis aliquid esset in utero virginis, quantum posset capere natura humana, quod quasi ex splendore obumbratio diceretur virtutis Dei essetque Dei virtus nec non et Deus: nihil enim de Deo est, quod non dicatur Deus. \*98

- 655 Cap. LIII. Si de Spiritu Sancto natus est Christus, id est effectu eius ex Maria caro factus, cur dictum est: *Sapientia, quae utique Christus est, aedificavit sibi Domum?*<sup>2</sup> CSEL  
50, 98

Quaestio ista gemina ratione debet intellegi: primum enim domus Christi ecclesia est, quam aedificavit sibi sanguine suo. Deinde potest et corpus eius dici domus ipsius, sicut dicitur et templum eius.

<sup>1</sup> Lc. I, 34, 35.

<sup>2</sup> Prov. IX, 1.

● CSEL 50, 130, 131.

Si enim propter habitationem dicitur templum Dei, non absurde dicetur et domus, sicut legimus in lege. Sed si effectu Spiritus sancti factum est corpus, quod et domum posse dici arbitramur, quare ad personam Christi relatum est, quaeritur. Factum filii factum Patris est, quia utriusque una virtus est. Simili modo etiam factum Spiritus sancti factum Filii Dei est propter naturae et voluntatis unitatem. Sive enim Pater faciat sive Filius sive Spiritus sanctus, Trinitas est quae operatur: et quicquid Tres fecerint, Dei unius est operatio.

CSEL  
50, 146

656

Cap. LXXXV. Quid est ut, cum constet a David usque ad transmigrationem Babylonis septem et decem esse generationes, Evangelista quattuordecim dicat praetermissio Ochodia, qui post Ioram est filium Iosafat, et Ioas filio Ochodiae et Amessia filio Ioas?

\*147

[...] Illi autem tres in medio malorum conclusi sunt maligne agentes; ideo erasi sunt. Peius enim ad perditionem generis exemplum est, quando se iugiter malignitas pandit. Et ut proprie dicam: propter quod ex traduce eorum non est \* Iosef, praetermissi sunt. Ab Abraham enim horum generationem secutus est evangelista, ex quibus originem trahit Iosef, cui despontata Maria genuit Christum.

CSEL  
50, 147

657

Cap. LXXXVI. Quid est quod probet Mariam Matrem Domini ex tribu et semine esse David?

Idonei testis proferimus sermonem. Dicit enim angelus ad Mariam inter cetera: *et dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis.* Quo modo diceretur ab idoneo teste pater eius David, si non esset Maria ex semine David?

CSEL  
50, 157

658

\*158 Cap. XCI, 9. Legimus namque quia *Verbum caro factum est*, hoc est ministro sancto Spiritu incarnatum esse ex Maria, hoc \* Verbum in principio apud Deum fuisse et Deum esse, hoc quoque Filium Dei appellari. Quo modo ergo non ante Mariam est, quod et in principio erat et Deus erat? Etiam si obcaecatus Deum hoc esse neges Verbum, tamen non negas neque ignoras hoc Verbum Filium Dei appellatum et hoc apud Deum fuisse in principio. Qua ergo ratione post Mariam dicis esse, quod in principio legis fuisse?

ρευσεν ὁ Συμεών, ὡς νύττοντας τὰ ἐνδόσθια, ὡς ἀπτομένους νεφρῶν καὶ μυελῶν. Τούτοις δὲ περιέπεσεν ἡ Παρθένος Μαρία, μηδέπω τὴν δύναμιν τῆς ἀναστάσεως εἰδὺται· καὶ ὅτι ἐκ γειτόνων ἡ ἀνάστασις, ὀνδέπω ἐγίνωσκεν. "Οθεν μετὰ τὴν ἀνάστασιν, οὐκέτι ῥομφαία δίστομος· ἀλλ' εὐφροσύνη καὶ ἀγαλλίασις. Σημεῖον τοίνυν ἀντιλογίας, τὸ σταυρικὸν σημεῖον ὁ Συμεὼν προσηγόρευσεν, ἐν ᾧ καιρῷ ῥομφαία λογισμῶν τὴν Παρθένον διῆλθεν.

*gitationes.*<sup>1</sup> Vide ut Simeon innumerās cogitationes gladium vocaverit; velut quae ferirent viscera; velut quae renes medullasque contingerent. In has autem incidit Virgo Maria, quod nondum seiret vim resurrectionis, quod etiamnum resurrectionem in propinquō esse ignoraret. Unde post resurrectionem, non iam amplius gladius anceps, sed laetitia atque exsultatio est. Signum igitur contradictionis, crucis signum Simeon appellavit, quo tempore cogitationum gladius Virginem pervasit.

### S. AMBROSIUS Mediolanensis (ca 334 † 397)

#### DE OBITU THEODOSII ORATIO (375)

- 518 44. [...] Quid egisti, diabole, ut absconderes lignum, nisi ut iterum vincereris? Vicit te Maria, quae genuit triumphatorem, quae sine imminutione virginitatis, edidit eum, qui crucifixus vinceret te, et mortuus subiugaret. Vinceris et hodie, ut mulier tuas insidias deprehendat. Illa quasi sancta Dominum gestavit, ego crucem eius investigabo: illa generatum docuit, ego resuscitatum: illa fecit ut Deus inter homines videretur, ego ad nostrorum remedium peccatorum divinum de ruinis elevabo vexillum.

#### DE VIRGINIBUS (377)

- 519 Lib. I, cap. V, 21. [...] Videte igitur quanta virginitatis merita sint. Christus ante virginem, Christus ex virgine; a Patre quidem natus ante saecula, sed ex virgine natus ob saecula. Illud naturae suae, hoc nostrae utilitatis est. Illud erat semper, hoc voluit.
- 520 Lib. II, cap. II, 6. Sit igitur vobis tamquam in imagine de scripta virginitas vita Mariae, de qua velut speculo refulgeat species castitatis et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tamquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigeri, quid effingere, quid tenere debeatis, ostendunt.

PL  
16, 1400  
(1463)

PL  
16, 195  
(205)

PL  
16, 208  
(220)

<sup>1</sup> Lc. II, 35.

● Vide, sub titulo *Incensus Auctor*, alias locos Amphiliocchio attributos.

\*209

\* 7. Primus discendi ardor nobilitas est magistri. Quid nobilior Dei matre? Quid splendidius ea, quam Splendor elegit? Quid castius ea quae corpus sine corporis contagione generavit? Nam de caeteris eius virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quae nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum: corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior: non in incerto divitiarum, sed in prece pauperum spem reponens: intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quaerere: nullum laedere, bene velle omnibus, assurgere maioribus natu, aequalibus non invidere, fugere iactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu laesit parentes? Quando dissensit a propinquis? Quando fastidivit humilem? quando derisit debilem? Quando vitavit inopem; eos solos solita coetus virorum invisere, quos misericordia non erubesceret, neque praeteriret verecundia? Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum: non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior; ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosciri, ac primo praetendant ingressu nihil intus latere tenebrarum; ut mens nostra nullis repagulis corporalibus impedita, tamquam lucernae lux intus posita foris luceat.

(\*221)

\* 8. Quid ego exsequar ciborum parcimoniam, officiorum redundantiam: alterum ultra naturam superfuisse, alterum pene ipsi naturae defuisse: illic nulla intermissa tempora, hic congeminatos ieunio dies? Et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. Dormire non prius cupiditas quam necessitas fuit; et tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus: qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda praenuntiat.

9. Prodire domo nescia, nisi cum ad Ecclesiam conveniret, et hoc ipsum cum parentibus, aut propinquis. Domestico operosa secreto, forensi stipata comitatu; nullo meliore tamen sui custode quam se ipsa: quae incessu affatique venerabilis, non tam vestigium pedis tolleret, quam gradum virtutis attolleret. Ut tamen alios habeat virgo membrorum custodes suorum, morum autem suorum se habeat ipsa custodem: plures erunt de quibus discat, si ipsa se doceat quae virtutes magistras habet: quia quidquid egerit, disciplina est. Sic Maria intendebat omnibus, quasi a pluribus moneatur: sic omnia implebat virtutis officia, ut non tam disceret, quam doceret.

\* 10. Talem hanc evangelista monstravit,<sup>1</sup> talem angelus reperit, talem Spiritus sanctus elegit. Quid enim in singulis morer, ut eam parentes dilexerint, extranei praedicaverint, quae digna fuit ex qua Dei Filius nasceretur? Haec ad ipsos ingressus angeli inventa domi in penetralibus, sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet; neque enim comites feminas desiderabat, quae bonas cogitationes comites habebat. Quin etiam tum sibi minus sola videbatur, cum sola esset. Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot archangeli, tot prophetae?

11. Denique et Gabriel eam ubi revisere solebat, invenit: et angelum Maria quasi virum specie mota trepidavit, quasi non incognitum auditio nomine recognovit.<sup>2</sup> Ita peregrinata est in viro, quae non est peregrinata in Angelo; ut agnoscas aures religiosas, oculos verecundos. Denique salutata obmutuit, et appellata respondit: sed quae primo turbaverat affectum, postea promisit obsequium.

521 12. Quam vero religiosa in propinquas fuerit, Scriptura divina significat.<sup>3</sup> Nam et humilior facta est, ubi se a Deo cognovit electam, et statim ad cognatam suam in montana processit: non utique ut exemplo crederet, quae iam crediderat \* oraculo: *Beata* enim, inquit, *quae credidisti*.<sup>4</sup> Et tribus cum ea mensibus mansit. Tanti autem intervallo temporis non fides quaeritur, sed pietas exhibetur. Et hoc posteaquam in utero parentis exsiliens puer matrem Domini salutavit, prius compos devotionis, quam naturae.

13. Inde tot sequentibus signis, cum sterilis pareret, virgo conciperet, loqueretur mutus, adoraret magus, exspectaret Simeon, sidera nuntiarent, Maria mobilis ad introitum, immobilis ad miraculum: *Conservabat*, inquit, *haec omnia in corde suo*.<sup>5</sup> Quamvis mater Domini, discere tamen praecepta Domini desiderabat: et quae Deum genuerat, Deum tamen scire cupiebat.

522 14. Quid, quod annis quoque omnibus ibat in Hierusalem sollemnii die Paschae, et ibat cum Ioseph?<sup>6</sup> Ubique in virgine comes singularum virtutum est pudor. Hic individuus debet esse virginitati, sine quo non potest esse virginitas. Nec ad templum igitur Maria sine pudoris sui custode processit.

15. Haec est imago virginitatis. Talis enim fuit Maria, ut eius unius vita omnium sit disciplina. Si igitur auctor non displicet,

PL  
16, 210  
(221)

(\*222)

PL  
16, 210  
(222)

<sup>1</sup> Le. I, 27.

<sup>2</sup> Ibid. 28 ss.

<sup>3</sup> Ibid. 39.

<sup>4</sup> Ibid. 45.

<sup>5</sup> Le. II, 19.

<sup>6</sup> Ibid. 41.

opus probemus; ut quaecumque sibi eius exoptat praemium, imitetur exemplum. Quantae in una virgine species virtutum emicant? Secretum verecundiae, vexillum fidei, devotionis obsequium: virgo intra domum, comes ad ministerium, mater ad templum.

PL 16, 220 (232) Lib. III, cap. I, 2. Hodie quidem secundum hominem homo 523 natus ex virgine, sed ante omnia generatus ex Patre: qui matrem corpore, virtute referat patrem. Unigenitus in terris, unigenitus in coelo: Deus ex Deo, partus ex virgine.

### DE VIDUIS (377)

PL 16, 242 (255) Cap. IV, 25. [...] Advertimus enim ex sequentibus quia quotannis in die solemnii Paschae sancta Maria cum Ioseph Hierusalem 524 petebat.<sup>1</sup> Ubique impigra devotio, ubique assiduus Virgini comes pudoris adiungitur. Nec inflatur Domini mater, quasi secura de meritis: sed quo meritum magis agnovit, eo votum uberius exsolvit, officium copiosius detulit, manus religiosius vexit, mysticum tempus implevit.

### DE VIRGINITATE (378)

PL 16, 282 (296) Cap. XI, 65. Hoc unguentum exinanitum est super iudeeos, 525 et collectum est a gentibus: exinanitum in Iudea, et redoluit in omnibus terris. Hoc unguento uncta est Maria, et virgo concepit, virgo peperit bonum odorem, Dei Filium. Hoc unguentum effusum est super aquas, et sanctificavit aquas.

### DE MYSTERIIS (378)

PL 16, 407 (424) Cap. IX, 53. Sed quid argumentis utimur? Suis utamur exemplis, incarnationisque exemplo astruamus mysterii veritatem. Numquid naturae usus praecessit, cum Iesus Dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quaerimus, viro mixta femina generare consuevit. Liquet igitur quod praeter naturae ordinem Virgo generavit. Et hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est: quid hic quaeris naturae ordinem in Christi corpore, cum praeter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine? Vera utique caro Christi, quae crucifixa est, quae sepulta est: vere ergo carnis illius sacramentum est.

PL 16, 409 (426) 59. Unde adepti omnia, sciamus regeneratos nos esse: nec dicamus, quomodo regenerati sumus? Numquid in ventrem matris nostrae introivimus, et renati sumus? Non agnosco usum naturae.

<sup>1</sup> Lc. II, 41.

Sed \* nullus hic naturae ordo, ubi excellentia gratiae est. Denique non semper usus naturae generationem facit: generatum ex Virgine Christum Dominum confitemur, et naturae ordinem denegamus. Non enim ex viro Maria concepit: sed de Spiritu sancto in utero accepit, ut dicit Matthaeus: *Quia inventa est in utero habens de Spiritu sancto.*<sup>1</sup> Si ergo superveniens Spiritus sanctus in Virginem, conceptionem operatus est, et generationis munus implevit: non utique dubitandum est quod superveniens in fontem, vel super eos qui baptismum consequuntur, veritatem regenerationis operetur.

### DE FIDE (378-380)

- 528 Lib. I, cap. I, 6. Assertio autem nostrae fidei haec est, ut unum Deum esse dicamus: neque, ut gentes, Filium separemus: neque ut iudei, natum ex Patre ante tempora, et ex Virgine postea editum denegemus: neque ut Sabellius, Patrem confundamus et \* Verbum; ut eumdem Patrem asseramus et Filium: neque ut Photinus, initium Filii ex Virgine disputemus: neque ut Arius, plures credendo et dissimiles potestates, plures deos gentili errore faciamus, quia scriptum est: *Audi, Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus est.*<sup>2</sup>
- 529 Cap. XII, 77. Non sola admirabilis ex Patre generatio Christi, admirabilis etiam ipsa generatio eius ex Virgine. Tu illam dicis nostrae similem conceptionis, et ego probo et istam nostrae esse dissimilem, immo te ipsum cogam fateri. Dic quemadmodum sit natus ex Maria, quo usu uterus eum habuerit virginalis, quomodo sine semine viri partus, unde virgo praegnans, quemadmodum puella mater ante fetus, quam copulam ut uxor experta? Causa deerat, et generabatur filius. Unde ergo legis novatae partus?
78. Si igitur in Virgine usus defuit generationis humanae, quemadmodum in Deo Patre propriae generationis usum requiris? Certe usus in sexu est, quia sexus in carne est: ubi ergo caro non est, quemadmodum carnis infirmitatem exigis?
- 530 Lib. III, cap. VIII, 55. [...] Angelus pastoribus cum loqueretur, dixit esse generatum, sicut habes scriptum: *Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.*<sup>3</sup> Nobis ergo quod non erat, natum est: hoc est, puer ex Virgine, corpus ex Maria; hoc enim post nos, illud ante nos.

<sup>1</sup> Matth. I, 18.

<sup>2</sup> Deut. VI, 4.

<sup>3</sup> Lc. II, 11.

PL  
16, 530  
(552)

(\*553)

PL  
16, 546  
(569)

PL  
16, 601  
(625)

56. Alii codices sic habent: *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis*; hoc est, qui erat Filius Dei, hic ex Maria puer natus est nobis, et datus est nobis. Quia datus sit, audi Prophetam dicentem: *Et salutare tuum da nobis.*<sup>1</sup>

PL 16, 602 (626) Lib. III, cap. IX, 60. Nam sicut in Esaia habes: *Puer natus est nobis, et Filius datus est nobis;*<sup>2</sup> ita hic quoque ante praemisit creaturam carnis, et subtexuit assertionem divinitatis; ut scires non duos Christos, sed unum esse: qui et ante saecula generatus sit ex Patre, et ultimis temporibus creatus ex Virgine, hoc est: Ego sum ille creatus \* ex homine, creatus ad causam, qui sum generatus ante saecula.

PL 16, 602 (627) 62. Ante omnia ergo generatio, inter omnia et propter omnia, 531 creature. Natus ex Patre supra Legem, factus ex Maria sub Lege.

PL 16, 612 (637) Cap. XIV, 114. Seio autem aliquos dicere inoperatum esse 533 etiam incarnationis mysterium, quod non sit virilis copulae usus operatus, quia partus est Virginis. Si ergo plerique hoc loco nec Mariae partus opus esse dixerunt, tu, ariane, opus putas esse Dei Verbum?

PL 16, 439 (665) Lib. IV, cap. IX, 113. [...] *Ecce enim ut facta est in auribus meis vox salutationis tuae, exsultavit in gaudio infans in utero meo?*<sup>3</sup> Erat 534 igitur qui prophetabat, an non erat? At certe erat; erat enim qui venerabatur auctorem, erat qui loquebatur in matre. Denique Elisabeth filii spiritu replebatur, Maria filii spiritu sanctificabatur; sic enim habes, quia *exsultavit infans in utero eius, et repleta est Spiritu sancto Elisabeth.*<sup>4</sup>

114. Vide singulorum verborum proprietates. Vocem quidem Mariae prior Elisabeth audivit, sed Ioannes prior Domini gratiam sensit. Pulchre sibi convenient oracula oraculis, femina mulieri, et pignus pignori. Ista gratiam loquuntur, illi intus operantur piatasque mysterium maternis adoriantur profectibus; duplice miraculo, licet honore diverso, prophetant matres spiritu parvolorum. Quis igitur auctor huius miraculi? Nonne Dei Filius, qui fecit esse non natos?

### DE SPIRITU SANCTO (381)

PL 16, 750 (781) Lib. II, cap. V, 37. [...] Ipse secundum carnem Dominus, cui 535 angeli serviebant, Spiritu in Virginem superveniente, genitus sit;

<sup>1</sup> Ps. LXXXIV, 8.

<sup>2</sup> Isa. IX, 6.

<sup>3</sup> Lc. I, 41.

<sup>4</sup> Ibid.

sicut et secundum Matthaeum ad Ioseph angelus dixit: *Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam uxorem tuam; quod enim ex ea nascetur, de Spiritu sancto est.*<sup>1</sup> \* Et secundum Lucam dixit ad Mariam: *Spiritus sanctus superveniet in te.*<sup>2</sup>

38. Opus ergo Spiritus Virginis partus est. Opus Spiritus fructus est ventris, secundum quod scriptum \* est: *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.*<sup>3</sup> Opus Spiritus flos radicis est: ille, inquam, flos, de quo bene est prophetatum: *Exiit virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.*<sup>4</sup> Radix Iesse patriarchae familia iudeorum, virga Maria, flos Mariae Christus; qui bonum odorem fidei toto sparsurus orbe, virginali ex utero germinavit, sicut ipse dixit: *Ego flos campi, et lily convallium.*<sup>5</sup>

536 41. Dubitare ergo non possumus Spiritum creatorem, quem PL 16, 751  
Dominicae cognoscimus incarnationis auctorem. Quis enim dubitet, (782)  
cum in principio Evangelii habeas, quia Christi generatio sic erat:  
*Cum desponsata esset Maria Ioseph, antequam convenienter, inventa est in utero habens ex Spiritu sancto?*<sup>6</sup>

42. Nam licet plerique habeant, *de Spiritu*, graecus tamen unde transtulerunt latini, ἐξ Πνεύματος ἀγίου dixit, hoc est, ex Spiritu sancto. Quod \* enim ex aliquo est, aut ex substantia est, aut ex potestate eius. Ex substantia, sicut Filius, qui ait: *Ex ore Altissimi prodivi, sicut Spiritus, qui a Patre procedit;*<sup>7</sup> de quo dicit Filius: *Ille me clarificabit; \* quia de meo accipiet.*<sup>8</sup> Ex potestate autem, sicut illud est: *Unus Deus Pater, ex quo omnia.*<sup>9</sup>

43. Quomodo ergo in utero habuit Maria ex Spiritu sancto? Si quasi ex substantia: ergo Spiritus in carnem et ossa conversus est? Non utique. Si quasi ex operatione et potestate eius Virgo concepit; quis neget Spiritum creatorem?

537 Cap. VI, 51. Et ut scires quia hunc spiritum dixit, ait: *Firmans tonitruum, et creans spiritum; quia frequenter creantur ista, cum fiunt: Spiritus autem sanctus aeternus est; quem si quis audet dicere creatum, non potest tamen dicere quod quotidie creature, sicut flabrum ventorum. Denique ipsa Sapientia secundum suscepti locuta cor-*

<sup>1</sup> Matth. I, 20.

<sup>2</sup> Lc. I, 35.

<sup>3</sup> Lc. I, 42.

<sup>4</sup> Isa. XI, 1.

<sup>5</sup> Cant. II, 1.

<sup>6</sup> Matth. I, 18.

<sup>7</sup> Eccli. XXIV, 5.

<sup>8</sup> Io. XVI, 14.

<sup>9</sup> I Cor. VIII, 8.

\*754 poris sacramentum, ait: *Dominus creavit me.*<sup>1</sup> Quamvis ventura \* prophetaret, tamen quia praedestinatus erat Domini Salvatoris adventus; non dixit, creat me, sed *creavit*, ne frequenter, sed semel crederent ex virgine Maria Iesu corpus esse generandum.

PL 16, 794 (828) Lib. III, cap. XI, 79. Videamus tamen ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus Iesus in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligitur: per terram autem caro Christi, \* quam \* hodieque in mysteriis adoramus, et quam apostoli in Domino Iesu, ut supra diximus, adorarunt; neque enim divisus est Christus, sed unus: <sup>2</sup> neque cum adoratur tamquam Dei Filius, natus ex Virgine denegatur. Cum igitur incarnationis adorandum sit sacramentum, incarnatio autem opus Spiritus, sicut scriptum est: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei:*<sup>3</sup> haud dubie etiam sanctus Spiritus adorandus est; quando adoratur ille, qui secundum carnem natus ex Spiritu sancto est.

PL 16, 795 (829) 80. Ac ne quis hoc derivet ad Mariam virginem: Maria erat templum Dei, non Deus templi. Et ideo ille solus adorandus, qui operabatur in templo.

PL 16, 809 (843) Cap. XVIII, 139. Videamus nunc utrum creatura sit, an creator? Sed cum supra creatorem evidentissime probaverimus, quia scriptum est: *Spiritus divinus qui fecit me:*<sup>4</sup> et innovari faciem terrae per Spiritum,<sup>5</sup> et sine Spiritu faticere omnia declaratum sit; apparent Spiritum esse creatorem. Sed quis hoc dubitet, quando, sicut supra ostendimus, ne Domini quidem ex Virgine assumpta generatio, quae praestantior omnibus creaturis est, operationis excors sit spiritualis?

#### DE INCARNATIONIS DOMINICAE SACRAMENTO (381-382)

PL 16, 825 (860) Cap. IV, 26. Si credas iterum quia Christus principium non sumpsit ex Virgine, sed tamen aliquod ante Christum aestimes esse principium: in tempore distantia, de impietate contentio est; Virginis enim supparem negasti esse, non temporis. Ego autem et supparem Virginis secundum susceptionem corporis non negabo, et creatorem temporis confitebor. Quid enim proficis, si dicas quia

<sup>1</sup> Prov. VIII, 22.

<sup>2</sup> I Cor. I, 13.

<sup>3</sup> Lc. I, 35.

<sup>4</sup> Iob. XXXIII, 4.

<sup>5</sup> Ps. CIII, 30.

Christus haec an illa sit creatura? Creatura mutatur, non divinitas adoratur.

- 542** Cap. V, 35. Dies me citius defecerit, quam nomina haeretico-  
rum diversarumque sectarum; adversum omnes tamen generalis  
ista est fides, quia Christus est Dei Filius, et sempiternus ex Patre,  
et natus ex Maria virgine. Quem quasi gigantem sanctus David  
propheta describit, eo quod biformis geminaeque naturae unus sit  
consors divinitatis et corporis: qui *tamquam sponsus, procedens de*  
*thalamo suo, exsultavit tamquam gigas ad currendam viam.*<sup>1</sup> Sponsus  
animae secundum Verbum: gigas terrae, quia usus nostri officia  
percurrens, cum Deus semper esset aeternus, incarnationis sacra-  
menta suscepit, non divisus, sed unus, quia utrumque unus, et unus  
in utroque, hoc est, vel divinitate vel corpore: non enim alter ex  
Patre, alter ex Virgine, sed idem aliter ex Patre, aliter ex virgine.  
**543** Cap. VI, 47. Et hos igitur qui in phantasmate venisse Iesum  
praedicant, et illos condemnare debemus, qui adversa erroris linea  
non unum eumdemque Filium Dei dicunt: sed alium esse qui ex  
Deo Patre natus sit, alium qui sit generatus ex Virgine; cum Evan-  
gelista dicat quia *Verbum caro factum est;*<sup>2</sup> ut unum Dominum  
Iesum, non duos crederes.
- 544** 50. Sunt etiam qui in tantum impietatis prodierint, ut putent  
quia divinitas Domini circumeisa est, et imperfecta de perfecta  
facta est; et in ligno non caro, sed illa operatrix omnium substantia  
divina in carnis specie coagulata pendebat. Quis autem non horre-  
scat? Quis audiat quia non ex Maria virgine, sed ex divina substanc-  
tia passibilem sibi carnem fecerit Dei Verbum? Quod asserendo eo  
prolabuntur, ut non ex tempore corpus Domini esse susceptum, sed  
coaeternum Dei Verbo semper fuisse contendant.
- 545** 52. Et hic mihi frequenter Nicaeni concilii tractatum se tenere  
commemorat. Sed in illo tractatu patres nostri non carnem, sed  
Dei Verbum unius substantiae cum Patre esse dixerunt; et Verbum  
\*quidem ex paterna processisse substantia, carnem autem ex virgine  
esse confessi sunt. Quomodo igitur Nicaeni concilii nomen obten-  
ditur et nova inducuntur, quae numquam nostri sensere maiores;  
cum utique Scripturae dicant quia Christus secundum carnem pas-  
sus est,<sup>3</sup> non secundum divinitatem: Scripturae dicant quia Virgo  
in utero accipiet, et pariet Filium?<sup>4</sup> Accepit enim virtutem, et  
peperit Filium, quem ex se ipsa suscepit.

<sup>1</sup> Ps. XVIII, 6.

<sup>2</sup> Io. I, 14.

<sup>3</sup> I Petr. I, 2.

<sup>4</sup> Isa. VII, 14.

PL  
16, 827  
(862)

PL  
16, 830  
(865)

PL  
16, 831  
(866)

PL  
16, 831  
(866)

(\*867)

53. Denique hoc etiam Gabriel proprio sermone declarat dicens:  
*Et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Dei Filius.*<sup>1</sup> *Ex te*, inquit, ut secundum hominem quod ex ipsa nasceretur, adverteres; ex se enim generavit Maria, ut quod generaretur ex ipsa, in eo salva generationis Dominicae praerogativa, \* corporis esset vera natura. Sed et Paulus dicit se praedestinatum esse in Evangelium Dei: *Quod ante*, inquit, *promiserat per prophetas de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.*<sup>2</sup> Et ad Galatas: *Postquam autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere.*<sup>3</sup> Et ad Timotheum dixit: *Memor esto Iesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David.*<sup>4</sup>

\*832

PL  
16, 832  
(867)

54. Ergo ex nobis accepit, quod proprium offerret pro nobis, ut nos redimeret ex nostro: et quod nostrum non erat, ex suo nobis divina sua largitate conferret. Secundum naturam igitur se obtulit nostram, ut ultra nostram operaretur naturam. De nostro sacrificium, de suo praemium est: multaque in eodem et secundum naturam invenies, et ultra naturam. Secundum conditionem etenim corporis in utero fuit, natus est, lactatus est, in praesepio est collocatus, sed supra conditionem Virgo concepit, Virgo generavit: ut crederes quia Deus erat, qui novabat naturam; et homo erat, qui secundum naturam nascebatur ex homine.

PL  
16, 833  
(869)

55. Desinant ergo dicere naturam Verbi in corporis naturam esse mutatam; ne pari interpretatione videatur natura Verbi in contagium mutata peccati. Aliud est enim quod assumpsit, et aliud quod assumptum est. Virtus venit in Virginem, sicut et Angelus ad eam dixit quia *virtus Altissimi obumbrabit te.*<sup>5</sup> Sed natum est corpus ex Virgine; et ideo coelestis quidem descensio, sed humana conceptio est. Non ergo eadem carnis potuit esse, divinitatis natura.

PL  
6, 843  
879)

56. Cap. IX, 103. Quid vero tam unius naturae, quam caro nostra cum Dominici corporis veritate? Diversis tamen utraque ducta causis, diversis orta principiis est. Caro enim Domini Spiritu in Virginem superveniente<sup>6</sup> generata, non exspectavit virilis femineique coitus solemne commercium: caro vero nostra, nisi virilis iuxta femineusque sexus genitalia sulcis naturalibus obducatur semina, intra viscera nescit materna formari; et tamen cum generationis fuerit

<sup>1</sup> Lc. I, 35.<sup>2</sup> Rom. I, 2, 3.<sup>3</sup> Galat. IV, 4.<sup>4</sup> II Tim, II, 8.<sup>5</sup> Lc. I, 35.<sup>6</sup> Lc. I, 35.

546

547

548

causa diversa, carnis tamen in Christo cum hominibus omnibus una natura est.

**549** 104. Partus enim Virginis non naturam mutavit, sed generandi usum novavit. Denique caro de carne nata est. Habuit ergo de suo Virgo, quod traderet; non enim alienum dedit mater, sed proprium e visceribus suis contulit inusitato modo, sed usitato munere. H**A**buit igitur carnem Virgo, quam naturae solemnis iure transcripsit in fetus. Eadem igitur secundum carnem generantis Mariae, geniti<sup>(\*)880</sup>que natura, nec dissimilis fratribus; quia dicit \* Scriptura, ut per omnia similis fratribus fieret.<sup>1</sup> Similis utique Dei Filius nostri non secundum divinitatis\* plenitudinem, sed secundum animae rationabilis, et ut expressius dicamus, humani nostrique corporis veritatem. PL  
16, 843  
(879)

### DE POENITENTIA (384)

**550** Lib. I, cap. III, 12. [...] *Et homo est, et quis agnoscat eum?*<sup>2</sup> PL  
16, 470  
(490)  
Homo erat in carne secundum hominem, qui agnosceretur: virtute supra hominem qui non agnosceretur; ita et hic carnem habet nostram, sed carnis huius vitia non habet.

13. Non enim sicut omnis homo est, ex virili erat et feminea permixtione generatus: sed natus de Spiritu sancto et de Virgine,<sup>3</sup> immaculatum corpus suscepserat, quod non solum nulla vitia maculaverant, sed nec generationis aut conceptionis concretio iniuriosa fuscaverat.

### APOLOGIA PROPHETAE DAVID (ca 384)

**551** Cap. XI, 57. Ideo in quo voluit Dominus nulla huiusmodi originis esse contagia, dicit illi Dominus: *Priusquam te formarem in utero matris tuae, novi te; et priusquam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in gentibus posui te.*<sup>4</sup> Quis tantus, cui tam magna delata sunt? Numquid Hieremias? Sed ille non utique in gentibus propheta propositus, sed in Iudea tunc temporis, nunc autem etiam in nationibus, quae in Iesum Christum Dominum crediderunt. Vide tamen ne illi dicatur, qui antequam nasceretur ex Virgine, iam dum erat, et erat semper, et operabatur etiam in utero Mariae constitutus; et ita sanctus erat, ut sanctificaret prophetas suos, in quo solo et conceptus virginalis et partus sine ullo fuit mortalis originis inquinamento.

PL  
14, 874  
(915)

<sup>1</sup> Hebr. II, 17.

<sup>2</sup> Ierem. XVII, 9.

<sup>3</sup> Matth. I, 18.

<sup>4</sup> Ierem. I, 5.

## ENARRATIONES IN XII PSALMOS DAVIDICOS (384)

PL 14, 940 (994) In ps. I, 33. [...] *Quoniam puer natus est nobis, filius datus est nobis.*<sup>1</sup> *Puer*, quia ortus ex Virgine est; *Filius*, quia ex Deo natus tantae auctor est lucis. *Puer nobis natus est. Nobis*, qui credimus; non iudeais, qui non crediderunt; *nobis*, non haereticis; *nobis*, non manichaeis; *nobis natus est*, quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; *nobis natus est*, quia carnem suscepit ex Virgine, quia homo natus est ex Maria. Caro nascitur nobis, Verbum datur. Quod nostrum est, inter nos natum est: quod supra nos est, nobis donatum est.

PL 14, 940 (984) \*941 35. *Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium eius non defluet, et omnia quaecumque faciet, prosperabuntur.*<sup>2</sup> Quae ista beatitudo est, quae ligno arboris comparatur, nisi intelligamus in paradiso, illo beatorum loco, lignum \*vitae in medio lignorum aliorum de terra productum? Inter multa enim ligna quae erant speciosa ad aspectum, et \*bona ad escam, etiam hoc lignum terra produxit, et in medio paradisi erat; ut caetera ligna eius viriditate florarent. Quod esse hoc lignum dicimus, nisi per quod nobis salus venit? Et recte hoc terra produxit, quia eum Virgo generavit, quae erat terra secundum Auctoris sententiam, quae in eum dicta est: *Terra es, et in terram ibis.*<sup>3</sup> Pulchre quoque in medio legitur lignorum aliorum; quia erat in medio apostolorum dissentium, vel quia in medio erat mentis et cordis, sicut ipse ait: *Medius vestrum stat, quem vos nescitis.*<sup>4</sup> Et alibi ait: *Ego autem in medio vestrum sum.*<sup>5</sup> Denique et de ipso Salomon dixit: *Lignum vitae est omnibus percipientibus eum.*<sup>6</sup> Qui ergo beatus est, imitator erit Domini Iesu, qui est lignum vitae, lignum sapientiae, plantatum in utero Virginis, voluntate Patris; a quo in perpetuum mansurum plantatur, ut fructum daret in tempore suo.

PL 14, 955 (999) In ps. XXXV, 4. [...] *Ex utero, inquit, matris meae, vocavit Dominus minus nomen meum.*<sup>7</sup> Quod nomen eius sit, audiamus, quo eum (\*1000) Pater vocavit. *Ecce virgo in \*utero accipiet, et pariet filium, et voca-*

<sup>1</sup> Isa. IX, 6.

<sup>2</sup> Ps. I, 3.

<sup>3</sup> Gen. III, 19.

<sup>4</sup> Io. I, 26.

<sup>5</sup> Lc. XXII, 27.

<sup>6</sup> Prov. III, 18.

<sup>7</sup> Isa. XLIX, 1.

*bitur nomen eius Emmanuel: quod interpretatur, Nobiscum Deus.<sup>1</sup>* Quod enim aliud nisi Filius Dei nomen est Christi? Accipe aliud. Dixerat quidem et Gabriel ad Ioseph de Maria: *Pariet filium, et vocabit nomen eius Iesum.*<sup>2</sup> Accipe Dei vocem: *Et tu, Bethlehem Iudeae, non es minima inter principes Iuda; ex te enim exiet Princeps qui regat populum meum.*<sup>3</sup> Adverte mysterium: ex utero Virginis idem et servus exivit et dominus; servus ad operandum, dominus ad imperandum; ut regnum Deo in hominum mentibus radicaret. Utrinque unus, non alter ex Patre, et alter ex Virgine; sed idem qui ante saecula ex Patre, ipse postea carnem suscepit ex Virgine. Ideo ergo et servus vocatur, et dominus: propter nos servus; sed unitate divinae substantiae Deus ex Deo, Princeps ex Principe, aequalis ex aequali; neque enim degenerem genuit,<sup>4</sup> in quo se ipse complacere memoravit.

- 555 In ps. XXXVI, 64. [...] Quis audeat dicere carnem sine peccato, PL  
carnem assumptam ex Virgine, carnem Spiritu Dei in Mariam superveniente generatam, quae in nullo discrepavit a sapientiae disciplinis, interioris hominis exsortem fuisse virtutum, nec in usus eius transire potuisse; cum supra hominem fuerit quod tactu eius sanabantur aegroti, caecis refundebatur aspectus, mortui resurgebant? 14, 1000  
(1048)
- 556 In ps. XLVII, 11. Bonum est ut et parias, et enutrias eum. PL  
*Ne coquas agnum in lacte matris suae,*<sup>5</sup> ne dicatur tibi: *Vae in utero 14, 1150  
habentibus et nutrientibus.*<sup>6</sup> Sic enim Christus natus est ex Maria, (1206)  
ut agnoscas eum, sicut bos agnovit possessorem suum: et scias quia ipse te creavit, et maiores tuos ipse possedit. Non eum quasi parvulum nutrias, sed quasi verum atque perfectum Deum ex vero et perfecto Deo noveris adorandum. Sic eum Magus adoravit, ut non in lacte matris agnum coqueret; sed quasi Deum veneraretur aeternum. Denique ut eum inveniret, coelum aspiciebat. Non ergo quae-rebat in terris, quem de coelo fulgens stella monstrabat. Ideo eum Maria non parturivit, sed peperit, quia et Dominum et salutare sciebat ex se esse generandum, sicut ipsa testatur dicens: *Magnificat anima mea Dominum: et laetatus est spiritus meus in Deo salutari meo.*<sup>7</sup> Ibi ergo dolores sicut parturientis. Dolor est ut parturias, dolor est ut enutrias, quem in principio debes habere perfectum.

<sup>1</sup> Isa. VII, 14; Matth. I, 23.

<sup>2</sup> Matth. I, 21.

<sup>3</sup> Mich. V, 2.

<sup>4</sup> Matth. III, 17.

<sup>5</sup> Exod. XXIII, 19.

<sup>6</sup> Matth. XXIV, 19.

<sup>7</sup> Lc. I, 46, 47.

<sup>PL  
14, 1168</sup> In ps. LXI, 5. [...] Itaque ipse eo usque se hominem credi volebat, cum Deus esset; ut se appellaret hominem dicens: *Quid me quaeritis occidere, hominem qui veritatem locutus sum vobis?*<sup>1</sup> Nec solum hominem, sed etiam filium hominis diceret, sicut ait: *Quid me dicunt esse homines filium hominis?*<sup>2</sup> Unde ille summam tenere fidei pronuntiatus est, qui et Dei Filium cognovit, et hominem non negavit. Ipse igitur utrumque unus, inseparabilis numero, et agnoscendus operis distinctione, non varietate personae. Non enim alter ex Patre, et alter ex Maria: sed qui erat ex Patre, carnem sumpsit ex Virgine: affectum assumpsit ex matre, ut infirmitates nostras ipse susciperet.

557

## EXPOSITIO EVANGELII SECUNDUM LUCAM (386-388)

<sup>PL  
15, 1536</sup> Lib. I, cap. I, 6. [...] Qui ergo Deum vidit, vidi Emmanuel, <sup>558</sup> hoc est, vidi nobiscum Deum: qui autem nobiscum Deum non vidit, non potuit videre quem virgo peperit. Denique, qui non crediderunt Dei Filium, nec Filium virginis crediderunt.<sup>3</sup>

<sup>PL  
15, 1551</sup> Lib. II, cap. I, 26-27. *Eodem autem tempore missus est Angelus Gabriel a Domino in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem despensatam viro cui nomen erat Ioseph, de domo David: et nomen Virginis, Maria.* <sup>559</sup>

1. Latent quidem divina mysteria, nec facile iuxta Propheti-  
<sup>\*1552</sup> cum dictum quisquam hominum potest scire \*consilium Dei, sed tamen ex caeteris factis atque praeceptis domini Salutaris possumus intelligere et hoc perpensionis fuisse consilii, quod ea potissimum electa est ut Dominum pareret, quae erat despensata viro. Cur autem non antequam despensaretur, impleta est? Fortasse ne diceretur quod conceperat ex adulterio. Et bene utrumque posuit Scriptura, \*ut et despensata esset, et virgo: virgo, ut expers virilis consortii videretur: despensata, ne temeratae virginitatis adureretur infamia, cui gravis alvus corruptelae videretur insigne praeferre. Maluit autem Dominus aliquos de suo ortu quam de matris pudore dubitare; sciebat enim teneram esse virginis verecundiam, et lubricam famam pudoris: nec putavit ortus sui fidem matris iniuriis adstruendam. Servatur itaque sanctae Mariae sicut pudore integra, ita inviolabilis opinione virginitas; oportet enim sanctos et ab his testimonium habere qui foris sunt: nec decuit sinistra virginibus

<sup>1</sup> Io. VIII, 40.<sup>2</sup> Matth. XVI, 13.<sup>3</sup> CCL XIV, 9.

opinione viventibus velamen excusationis relinquи, quod infamata mater quoque Domini videretur.

2. Quid autem iudeis, quid Herodi posset aseribi, si natum viderentur ex adulterio persecuti? Quemadmodum autem ipse dicaret: *Non veni Legem solvere, sed adimplere;*<sup>1</sup> si videretur coepisse a Legis iniuria, cum partus innuptae Lege damnetur?<sup>2</sup> Quin etiam locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset et dolere iniuriam, et vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum. Quid quod etiam fides Mariae verbis maior adsciscitur, et mendacii causa removetur? Videretur enim culpam obumbrare voluisse mendacio innupta praegnans. Causam autem mentiendi indesponsata habuit, despnsata non habuit; cum coniugii praemium et gratia nuptiarum partus sit feminarum.

\* 3. Non mediocris quoque causa est, ut virginitas Mariae falleret principem mundi: qui cum despnsatam viro cerneret, partum non potuit habere suspectum. Fallendi autem principis mundi fuisse consilium, ipsius Domini verba declarant, eum apostoli iubentur tacere de Christo,<sup>3</sup> cum sanati prohibentur gloriari de remedio,<sup>4</sup> cum daemones praecipiuntur silere de Dei Filio.<sup>5</sup>

560 4. Bene autem sibi diviserunt Evangelistae, ut sanctus Matthaeus Ioseph ab angelo moneri induceret Mariam coniugem accipere:<sup>6</sup> Lucas illic Evangelista testimonium ferret quod non convenissent: hic ipsa Maria fateretur, cum dicit angelo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognovi?*<sup>7</sup> Et ipse sanctus Lucas virginem declaravit dicens: *Et nomen Virginis Maria.* Et propheta edocuit qui ait: *Ecce virgo in utero accipiet.*<sup>8</sup> Et Ioseph designavit, \* qui quoniam praegnantem videbat quam non cognoverat, dimittere gestiebat.<sup>9</sup> Et Dominus ipse in cruce positus manifestavit, cum dixit matri: *Mulier, ecce filius tuus.* Deinde discipulo: *Ecce mater tua.*<sup>10</sup> Etiam uterque testatus est, Discipulus et Mater, quia *Ex illa hora suscepit eam Discipulus in sua.*<sup>11</sup> Utique si convenisset, nunquam virum pro-

PL  
15, 1554

(\*1635)

<sup>1</sup> Matth. V, 17.<sup>2</sup> Deut. XXIII, 17.<sup>3</sup> Matth. XVI, 20.<sup>4</sup> Matth. VIII, 4.<sup>5</sup> Lc. IV, 35; CCL XIV, 30, 31.<sup>6</sup> Matth. I, 20.<sup>7</sup> Lc. I, 34.<sup>8</sup> Isa. VII, 14.<sup>9</sup> Matth. I, 19.<sup>10</sup> Io. XIX, 26-27.<sup>11</sup> Ibid. 27.

prium reliquisset, nec vir eam iustus passus esset a se discedere. Quomodo autem Dominus divortium preecepisset, cum ipsius sit sententia, quia nemo dimittere debet uxorem, excepta causa fornicationis.<sup>1</sup>

5. Pulchre autem docuit sanctus Matthaeus quid facere debeat iustus, qui probrum coniugis deprehenderit, ut incruentum ab homicidio, castum ab adulterio praestare se debeat: *Qui enim coniungitur meretrici, unum corpus est.*<sup>2</sup> Ergo ubique in Ioseph iusti gratia et persona servatur, ut testis ornetur; os enim iusti mendacium nescit, et lingua \* eius loquitur iudicium, iudicium eius loquitur veritatem. Nec te moveat quod frequenter Scriptura coniugem dicit; non enim virginitatis eruptio, sed coniugii testificatio, nuptiarum celebratio declaratur. Denique quam non accepit, nemo dimittit; et ideo qui volebat dimittere, fatebatur acceptam.

6. Simul etiam movere non debet quod ait Evangelista: *Non cognovit eam, donec peperit filium;*<sup>3</sup> illud enim vel idioma Scripturae est, sicut habes alibi: *Et donec senescatis, ego sum.*<sup>4</sup> Numquid post illorum senectutem Deus esse desivit? Et in Psalmo: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.*<sup>5</sup> Numquid postea non sedebit? Vel quoniam qui causam agit, satis putat quod causae est dicere, redundantia non requirit; satis enim est ei ut causam susceptam astruat, incidentem differat. Et ideo qui Incarnationis incorruptum susceperebat probare mysterium, non putavit uberius prosequendum virginitatis Mariae testimonium; ne defensor magis Virginis, quam assertor mysterii crederetur. Certe quando iustum docuit Ioseph, satis declaravit quod sancti Spiritus templum, uterum mysterii, matrem Domini violare non potuit.

PL 15, 1555 7. Didicimus seriem veritatis, didicimus consilium: discamus et 561 mysterium. Bene desponsata, sed virgo; quia est Ecclesiae typus, (\*1636) quae est immaculata, \* sed nupta. Concepit nos virgo de Spiritu, parit nos virgo sine gemitu. Et ideo fortasse sancta Maria alii nupta, ab alio repleta; quia et singulae Ecclesiae Spiritu quidem replentur et gratia; iunguntur tamen ad temporalis speciem sacerdotis.

PL 15, 1555 (Vers. 28, 29). *Et ingressus ad eam angelus dixit: Ave, gratia 562 plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. Ipsa autem ut vidit eum, mota est in introitu eius.*

<sup>1</sup> Matth. V, 32.

<sup>2</sup> I Cor. VI, 16.

<sup>3</sup> Matth. I, 25.

<sup>4</sup> Isa. XLVI, 4.

<sup>5</sup> Ps. CIX, 1.

8. Disce virginem moribus, disce virginem verecundia, disce virginem oraculo, disce mysterio. Trepidare virginum est, et ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri. Discant mulieres propositum pudoris imitari. Sola in penetralibus, quam nemo viorum videret, solus angelus reperiret: sola sine comite, sola sine teste; ne quo degeneri depravaretur affatu, ab angelo salutatur. Disce, virgo, verborum vitare lasciviam: Maria etiam salutationem angeli verebatur.

*Erat tamen, inquit, cogitans, qualis esset haec salutatio.*

9. Et ideo cum verecundia, quia pavebat; cum prudentia, quia benedictionis novam formulam \* mirabatur, quae nusquam lecta est, nusquam ante comperta. Soli Mariae haec salutatio servabatur. Bene enim sola gratia plena dicitur, quae sola gratiam quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratiae repleretur auctore. Erubesciebat ergo Maria, erubescebat etiam Elizabeth; et ideo cognoscamus quid intersit inter mulieris et virginis verecundiam. Illa de causa erubescebat, haec per verecundiam: in muliere modus pudoris adhibetur, in virgine pudoris augetur gratia.<sup>1</sup>

\*1556

563     (Vers. 34). *Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud; quoniam virum non cognovi?*

PL  
15, 1558  
(1638)

14. Videlur hic non credisse Maria, nisi diligenter advertas; neque enim fas est ut electa ad generandum unigenitum Dei Filium, fuisse videatur incredula. Quo autem modo fieri posset (licet salva praerogativa sit matris, cui profecto fuit amplius deferendum: sed ut praerogativa maior, maior etiam fides ei debuit reservari), quo ergo modo fieri posset, ut Zacharias qui non \* crediderat, silentio condemnaretur: Maria autem si non credisset, Spiritus sancti infusione exaltaretur? Sed neque non credere Maria, neque tam temere debuit usurpare: non credere angelo, usurpare divina. Neque enim facile erat scire mysterium absconditum a saeculis in Deo, quod nec superiores Potestates scire potuerunt. Et tamen non fidem renuit, non officium refutavit, sed accommodavit affectum, spondit obsequium. Etenim cum dicit: *Quomodo fiet istud?* non de effectu dubitavit, sed qualitatem ipsius quaesivit effectus.

(\*1639)

15. Quanto temperatior ista responsio, quam verba sunt sacerdotis? Haec ait: *Quomodo fiet istud?* Ille respondit: *Unde hoc sciām?*<sup>2</sup> Haec iam de negotio tractat: ille adhuc de nuntio dubitat. Negat ille se credere, qui negat scire; et quasi fidei adhuc alium quaerit auctorem: ista se facere profitetur, nec dubitat esse faciendum,

<sup>1</sup> CCL XIV, 32-34.

<sup>2</sup> Le. I, 18.

quod quomodo fieri possit, inquirit; sic enim habes: *Quomodo fiet istud; quoniam virum non cognovi?* Incredibilis et inaudita generatio ante audiri debuit, ut crederetur. Virginem parere, divini est signum mysterii, non humani. Denique, *Accipe, inquit, tibi signum: Ecce virgo in utero accipiet, et pariet filium.*<sup>1</sup> Legerat hoc Maria, ideo credidit futurum: sed quomodo fieret, ante non legerat; non enim quemadmodum fieret, vel tanto prophetae fuerat revelatum. Tanti namque mandati mysterium non hominis fuit, sed angeli ore promendum. Hodie primum auditur: *Spiritus sanctus superveniet in te.* Et auditur, et creditur. Denique:

PL 15, 1558 (Vers. 36). *Ecce, inquit, ancilla Domini, contingat mihi secundum verbum tuum.* 564

16. Vide humilitatem, vide devotionem. Ancillam se dicit Domini, quae mater eligitur: nec repentina exaltata promisso est. Simul ancillam dicendo, \* nullam sibi praerogativam tantae gratiae vindicavit, quae faceret quod iuberetur. Mitem enim humilemque partitura, humilitatem debuit etiam ipsa preferre. *Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundum verbum tuum.* Habes obsequium, vides votum. *Ecce enim ancilla Domini, apparatus officii est: contingat mihi secundum verbum tuum,* conceptus est voti.

PL 15, 1559 (1639) 17. Quam cito ergo etiam de impari conceptione credidit Maria! Quid enim tam impar quam Spiritus sanctus, et corpus? Quid tam inauditum, quam virgo praegnans contra legem, contra consuetudinem, contra pudorem, cuius carior cura est virginis? Zacharias autem non de impari conditione, \* sed de senili aetate non credidit; nam conditio congruebat. Ex viro et femina solemnis est partus: nec incredibile debet videri, ubi natura concordat. Cum enim aetas naturae sit, non natura aetatis, fit plerumque ut aetas impedit naturam; non est tamen irrationabile ut minor cedat causa maiori, et potior praerogativa naturae usum inferioris excludat aetatis. Huc accedit quod Abraham et Sara filium in senectute suscepserant: et Ioseph filius senectutis est. Quod si, quia risit Sara, reprehenditur: <sup>2</sup> iustius condemnatur qui nec oraculo credidit, nec exemplo. Maria autem cum dicit: *Quomodo fiet istud; quoniam virum non cognovi?*<sup>3</sup> non videtur dubitasse de facto, sed de facti qualitate quaesisse. Liquet enim quia faciendum esse crediderat, quae quomodo fieret, interrogavit. Unde et meruit audire: *Beata quae credisti.*<sup>4</sup> Et vere beata, quae sacerdote praestantior, cum sacerdos

<sup>1</sup> Isa. VII, 14.

<sup>2</sup> Gen. XVIII, 13.

<sup>3</sup> Le. I, 34.

<sup>4</sup> Le. I, 45.

negasset, virgo correxit errorem. Nec mirum si Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoavit a Maria; ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.

18. Et bene quaequivit quomodo fieret; legerat enim quia virgo generaret, sed non legerat quemadmodum generaret. Legerat, ut dixi: *Ecce virgo in utero accipiet:*<sup>1</sup> quomodo autem acciperet, in Evangelio primum angelus est locutus.

566 (Vers. 39, 40). *Exsurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione in civitatem Iudee, et intravit in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth.*

19. Morale est omnibus, ut qui fidem exigunt, fidem adstruant. Et ideo angelus cum abscondita \*nuntiaret, ut fides astrueretur exemplo, senioris feminae sterilisque conceptum virginis Mariæ nuntiavit; ut possibile Deo omne quod ei placuerit, assereret. Ubi audit hoc Maria, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo: sed quasi laeta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio, in montana perrexit. Quo enim iam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione contenderet? Nescit tarda molimina sancti Spiritus gratia.

20. Discite et vos, sanctae mulieres, sedulitatem quam praegnantibus debeatis exhibere cognatis. Mariam, quae ante sola in intimis penetralibus versabatur, non a publico virginitatis pudor, non ab studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardavit. In montana virgo cum \*festinatione, virgo officii memor, in iuriae immemor, affectu vigente, non sexu, relicta perrexit domo.

21. Discite, virgines, non circumcursare per alienas aedes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. Maria in domo seria, festina in publico, mansit apud cognatam suam tribus mensibus. Etenim quae propter officium venerat, inhaerebat officio. Mansit ergo mensibus tribus, non quod domus eam delectaret aliena, sed quia frequentius videri in publico displicebat.

22. Didicistis, virgines, pudorem Mariæ: discite humilitatem. Venit propinqua ad proximam, iunior ad seniorem: nec solum venit, sed etiam prior salutavit; decet enim ut quanto castior virgo, tanto humilior sit. Noverit honorem deferre senioribus. Sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis. Est et causa pietatis, est etiam norma doctrinae. Contuendum est enim quia superior venit ad inferiorem, ut inferior adiuvetur: Maria ad Elizabeth, Christus ad Ioannem. Denique etiam postea, ut sanctificaret baptismum

PL  
15, 1559  
(1640)

\*1560

(\*1641)

<sup>1</sup> Isa. VII, 14.

Ioannis, Dominus venit ad baptismum. Cito quoque adventus Mariae, et praesentiae dominicae beneficia declarantur.

(Vers. 41). *Simul enim ut audivit salutationem Mariae Elizabeth, exsultavit infans in utero eius. Et repleta est Spiritu sancto.*

23. Vide distinctionem, singulorumque verborum proprietates. Vocem prior Elizabeth audivit, sed Ioannes prior gratiam sensit: illa naturae ordine audivit, iste exsultavit ratione mysterii: illa Mariae, iste Domini sensit adventum: femina mulieris, et \* pignus pignoris. Ista gratiam loquuntur, illi intus operantur, pietatisque mysterium maternis adoriuntur profectibus; dupliceque miraculo prophetant matres spiritu parvolorum. Exsultavit infans, repleta est mater. Non prius mater repleta, quam filius: sed cum filius esset repletus Spiritu sancto, replevit et matrem. Exsultavit Ioannes, exsultavit et Mariae spiritus. Exsultante Ioanne, repletur Elizabeth: Mariam tamen non repleri Spiritu, sed spiritum eius exsultare cognovimus; incomprehensibilis enim incomprehensibiliter operabatur in matre. Et illa post conceptum repletur, ista ante conceptum.

<sup>PL 15, 1561</sup> (Vers. 42, 43). *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?*

24. Novit sermonem suum Spiritus sanctus, nec umquam obliviscitur. Et prophetia non solum rerum completur miraculis, sed etiam proprietate verborum. Quis est iste fructus ventris, nisi ille de quo dictum est: *Ecce haereditas Domini filii, merces fructus ventris?*<sup>1</sup> Hoc est, haereditas Domini \* filii sunt, qui merces sunt fructus illius, qui de Mariae ventre processit. Ipse fructus ventris est, flos radieis, de quo bene prophetavit Esaias dicens: *Exiit virga de radice Iesse, et flos ex radice eius ascendet;*<sup>2</sup> radix enim est familia iudeorum, virga Maria, flos Mariae Christus: qui veluti bonae arboris fructus pro nostrae virtutis processu nunc floret, nunc fructificat in nobis, nunc rediviva corporis resurrectione reparatur.

*Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?*

25. Non quasi ignorans dicit; scit enim esse Spiritus sancti gratiam et operationem, ut mater Prophetae a matre Domini ad profectum sui pignoris salutetur: sed quasi non humani hoc meriti, sed divinae gratiae munus esse cognoscat, ita dicit: *Unde hoc mihi?* Hoc est, quantum bonum mihi accidit, ut mater Domini mei veniat ad me? Non cognosco meum. *Unde hoc mihi,* qua iustitia, quibus factis, pro quibus meritis? Non usitata haec officia feminarum sunt:

<sup>1</sup> Ps. CXXVI, 3.

<sup>2</sup> Isa. XI, 1.

*Ut veniat mater Domini mei ad me. Miraculum sentio, cognosco mysterium: mater Domini Verbo foeta, Deo plena est.*

- 569 (Vers. 44, 45). *Ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exsultavit gaudio infans in utero meo: et beata quae credidisti.* PL 15, 1561 (1642)

26. Vides non dubitasse Mariam, sed credidisse; et ideo fructum fidei consecutam. *Beata*, inquit, *quae credidisti*. Sed et vos beati, qui audistis, et credidistis: quaecumque enim crediderit anima et concipit et generat Dei Verbum, et opera eius agnoscit. Sit in singulis Mariae anima, ut magnificet Dominum: sit in singulis spiritus Mariae, ut exsultet in Deo. Si secundum carnem una mater est Christi; secundum fidem tamen omnium fructus est Christus. Omnis \*enim anima accipit Dei Verbum, si tamen immaculata et immunis a vitiis, intemerato castimoniam pudore custodiat. \*1562

- 570 27. Quaecumque igitur talis esse potuerit anima, magnificat Dominum, sicut anima Mariae magnificavit Dominum, et exsultavit spiritus eius in Deo salutari. Magnificatur enim Dominus, sicut et alibi legis: *Magnificate Dominum tecum;*<sup>1</sup> non quod Domino aliquid humana voce possit adiungi, sed quia magnificatur in nobis. Imago enim Dei Christus est; et ideo si quid iustum fecerit anima aut religiosum, \*illam imaginem Dei, ad cuius est similitudinem creata, magnificat. Et ideo dum magnificat eum, magnitudinis eius quadam participatione sublimior fit; ut illam imaginem splendido bonorum colore factorum, et quadam aemulatione virtutis in se videatur exprimere. Magnificat autem anima Mariae Dominum, et exsultat spiritus eius in Deo; eo quod et anima et spiritu Patri Filioque devota, unum Deum ex quo omnia, et unum Dominum per quem omnia, pio veneretur affectu. (\*1643)

- 571 28. Sequitur Mariae, quo persona melior, eo prophetia plenior. Nec otiosum videtur quod et ante Ioannem Elizabeth prophetat, et Maria ante Domini generationem; serpunt enim iam tentamenta salutis humanae. Nam sicut peccatum a mulieribus coepit: ita etiam bona a mulieribus inchoantur; ut feminae quoque muliebria opera deponentes, infirmitati renuntient: et anima quae non habet sexum, ut Maria quae nescit errorem, religioso imitetur studio castitatem. PL 15, 1562 (1643)

(Vers. 56). *Mansit autem Maria cum illa mensibus tribus: et reversa est in domum suam.*

29. Bene inducitur sancta Maria, et exhibuisse officium, et mysticum numerum custodisse. Non enim sola familiaritatis est causa quod diu mansit, sed etiam tanti vatis profectus. Nam si primo ingressu tantus processus extitit; ut ad salutationem Mariae exsul-

<sup>1</sup> Ps. XXXIII, 4.

taret infans in utero, repleteatur Spiritu sancto mater infantis: quantum putamus usu tanti temporis sanctae Mariae addidisse praesentiam? *Mansit autem Maria cum illa mensibus tribus.* Ungebatur itaque, et quasi bonus athleta exercebatur in utero matris propheta; amplissimo enim virtus eius certamini parabatur. Denique tamdiu mansit Maria, quamdiu Elizabeth pariendi tempus impleret. Quod si diligenter advertas, invenies hoc nusquam positum, nisi in generatione iustorum. Denique impleti sunt dies, ut pareret Maria: impletum est tempus, ut pareret Elizabeth; impletum est vitae tempus, cum sancti viri ex hoc vitae curriculo demigrarunt. Plenitudinem iusti vita habet, inanes autem dies sunt impiorum.

\*1563 30. Peperit ergo filium Elizabeth, et congratulabantur \* vicini. Habet sanctorum editio laetitiam plurimorum, quia commune est bonum; iustitia enim communis est virtus. Et ideo in ortu iusti, futurae vitae insigne praemittitur, et gratia secuturae virtutis ex-  
(\*1644) sultatione vicinorum praefigurante \* signatur. Pulchre autem tempus quo fuit in utero Propheta, describitur; ne Mariae praesentia taceatur: sed tempus siletur infantiae, eo quod praesentia Domini, matris in utero roboratur, qui infantiae impedimenta nescivit. Et ideo in Evangelio nihil super eo legimus, nisi ortum eius, et oraculum, exsultationem in utero, vocem in deserto.<sup>1</sup>

<sup>PL  
15, 1566  
(1647)</sup> Cap. II, 2. *Haec, inquit, professio prima facta est.* 572  
38. Atqui plerasque iam partes terrarum saepe fuisse descriptas loquuntur historiae. Haec est ergo professio prima, sed mentium: cui omnes profitentur, quia nullus excipitur, non praeconis evocatione, sed vatis qui multo ante praedixit: *Omnes gentes plaudite manus: iubilate Deo in voce exsultationis, quoniam Deus summus, terribilis, rex magnus super omnem terram.*<sup>2</sup> Denique ut scias censem esse iustitiae, veniunt ad eum Ioseph et Maria, hoc est, iustus et virgo: ille, qui Verbum servaret: ista, quae pareret. Ubi profitentur iustus et virgo, nisi ubi nascitur Christus? *Omnis enim spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, de Deo est.*<sup>3</sup>

<sup>PL  
15, 1568  
(1650)</sup> 43. Hic est Dominus, hoc praesepe, quo nobis divinum myste- 573  
rium revelatum est: irrationabiles gentes, pecudum intra praesepia more viventes, alimoniae sacrae ubertate pascendas. Agnovit ergo asina, species scilicet, et forma gentilium, praesepe Domini sui. Et ideo dicit: *Dominus pascit me, et nihil deerit.*<sup>4</sup> An mediocribus signis

<sup>1</sup> CCL XIV, 37-44.

<sup>2</sup> Ps. XLVI, 2-3.

<sup>3</sup> I Io. IV, 2; CCL XIV, 47.

<sup>4</sup> Ps. XXII, 1.

Deus probatur, quod angeli ministrant, quod Magi adorant, quod martyres confitentur? Ex utero funditur, sed coruscat, e coelo: terreno in diversorio iacet, sed coelesti lumine viget. Nupta peperit, sed virgo concepit: \*nupta concepit, sed virgo generavit. Docuit enim nos sanctus Matthaeus non mediocre mysterium, quod sanctus Lucas, quia plene iam erat expositum, silendum putavit, satis se di-  
vitem fore credens, si praeseppe Domini sibi ex omnibus vindicasset.<sup>1</sup>

**574** (Vers. 19). *Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo.*

54. Discamus sanctae Virginis in omnibus castitatem, quae non minus ore pudica quam corpore, argumenta fidei conferebat in corde. Si Maria a pastoribus discit, cur tu declinas discere a sacerdotibus? Si Maria ante praecepta apostolica tacet, cur tu post apostolica praecepta magis cupis docere quam discere? Disce vitium esse personae, non sexus; sexus enim sanctus. Denique Maria praeceptum non accepit, exemplum edidit.<sup>2</sup>

**575** 56. [...] Sed quoniam prona quadam cupiditate peccandi humanae carnis et mentis fragilitas inextricabilibus vitiis implicatur, eo per octavum circumcisio[n]is diem culpae totius futura purgatio resurrectionis praefigurabatur aetate; hoc est enim illud: *Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur;*<sup>3</sup> verbis enim Legis promittebatur Virginis partus. Et vere sanctus, quia immaculatus. Denique ipsum esse qui Lege signetur, in eumdem modum ab Angelo repetita verba declarant: *Quia quod nascetur, inquit, sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>4</sup> Non enim virilis coitus vulvae virginalis secreta reseravit: sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus sanctus \*infudit: solus enim per omnia ex natis de femina sanctus Dominus Iesus, qui terrenae contagia corruptelae immaculati partus novitate non senserit, et coelesti maiestate depulerit.

**576** 57. Nam si litteram sequamur, quomodo sanctus omnis masculus, cum multos sceleratissimos fuisse non lateat? Numquid sanctus Achab? Numquid sancti pseudoprophetae quos ad Eliae preces ultor coelestis iniuriae ignis assumpsit? Sed ille sanctus, per quem figuram futuri mysterii pia legis divinae praecripta signabant; eo quod solus sanctae Ecclesiae virginis ad generandos populos Dei immaculatae fecunditatis aperiret genitale secretum. Hic ergo solus

\*1569

PL  
15, 1572  
(1654)PL  
15, 1572  
(1654)

\*1573

PL  
15, 1572  
(1655)

<sup>1</sup> CCL XIV, 50.

<sup>2</sup> CCL XIV, 54.

<sup>3</sup> Exod. XIII, 2.

<sup>4</sup> Lc. I, 35.

aperuit sibi vulvam. Nec mirum; qui enim dixerat ad prophetam: *Priusquam te formarem in utero, novi te: et in vulva matris sanctificavi te.*<sup>1</sup> Qui ergo vulvam sanctificavit alienam, ut nasceretur propheta, hic est qui aperuit matris suae vulvam; ut immaculatus exiret.<sup>2</sup>

PL 15, 1574 (1656) (Vers. 35). *Et tuam, inquit, ipsius animam pertransibit gladius.* 577

61. Nec littera, nec historia docet ex hac vita Mariam corporalis necis passione migrasse; non enim anima, sed corpus materiali gladio transverberatur. Et ideo prudentiam Mariae haud ignaram mysterii coelestis ostendit. *Vivum enim verbum Dei, et validum et acutum omni gladio acutissimo, penetrans \* usque ad divisionem animae, et spiritus, artuumque et medullarum, cogitationes cordis, et secreta scrutatur animorum;*<sup>3</sup> quia nuda mentium, et aperta sunt omnia Dei Filio, quem conscientiae secreta non fallunt.<sup>4</sup>

PL 15, 1581 (1663) Cap. III, 15-16, 78. [...] Erat enim qui exspectabatur; et ipse 578

utique qui exspectabatur, non is qui non exspectabatur, advenit. Quid autem ineptius quam quod is qui in alio aestimatur, in seipso esse non creditur? Quem per mulierem venturum putabant, per virginem venisse non credunt. Quae Deo secundum carnem dignior generatio, quam ut immaculatus Dei Filius immaculatae generationis servaret etiam in suscipiendo corpore puritatem? Et utique divini adventus signum in virginis partu, non in mulieris constitutum est.<sup>5</sup>

PL 15, 1589 (1672) Lib. III, 3. Cur autem Ioseph magis quam Mariae generatio 579

describatur, cum Maria de Spiritu sancto generaverit Christum, et Ioseph a generatione Domini videatur alienus, dubitare possemus, nisi consuetudo nos instrueret Scripturarum, quae semper viri originem quaerit.<sup>6</sup>

PL 15, 1590 (1673) 4. [...] Noli mirari si Matthaeus ab Abraham usque ad Ioseph, 580

Lucas a Ioseph usque ad Adam, et ad Deum generationum ordinem percurrit. Noli mirari quod Ioseph origo descripta est. Etenim secundum carnem natus, usum debuit sequi carnis, et qui in saeculum venit, saeculi debuit more describi; maxime cum in Ioseph origine etiam origo sit Mariae. Nam cum vir iustus fuerit Ioseph, utique ex tribu sua, et ex patria sua accepit uxorem: nec potuit iustus facere contra id quod Lege praescriptum est. Sic enim habes, quia

<sup>1</sup> Ier. I, 5.

<sup>2</sup> CCL XIV, 55-56.

<sup>3</sup> Hebr. IV, 12.

<sup>4</sup> CCL XIV, 57.

<sup>5</sup> CCL XIV, 65.

<sup>6</sup> CCL XIV, 76.

unusquisque in haereditatem tribus suae patriae adhaerebunt filii Israel, nec de tribu ad tribum transibunt: et omnis filia quae habet haereditatem tribuum filiorum Israel, uni ex populo, et ex tribu patris sui erit uxor.<sup>1</sup> Itaque et census tempore ascendit Ioseph de domo et de patria David,<sup>2</sup> ut profiteretur cum Maria uxore sua. Quae ex eadem domo, et ex eadem patria professionem defert, utique eiusdem tribus, et eiusdem patriae se esse designat.

- 581     5. Cognata quoque Mariae inducitur Elizabeth:<sup>3</sup> primo quod omnes iudei cognati, quemadmodum te Apostolus docuit dicens, *Optabam enim anathema esse ipse... pro fratribus meis, cognatis secundum carnem, qui sunt Israelitae.*<sup>4</sup> Cognatae ergo, quia ambae israelitae erant: simul et cognatae, quia ambae erant ex tribu Iuda. Didicisti ex tribu Iuda Mariam, disce et Elizabeth. Nam \* *Exsurgens Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione, in civitatem, inquit, Iudae, et intravit in domum Zachariae.*<sup>5</sup> Cum enim intra tribus suas Moyses habitare unumquemque praescripserit:<sup>6</sup> utique eum in civitate Iudae manserit, erat et in tribu Iuda; maxime cum ex genere Elizabeth fuerint sacerdotes, quorum Deus portio est. Simul quam pulchrum, ut cum illa praenuntium Christi, Christum ista generaverit, et altera de Spiritu sancto conceperit, altera sancto repleta Spiritu prophetaverit; secundum carnem quoque videantur fuisse cognatae, quae secundum Deum spiritalis cognitionis consortio non carebant? Quod si omnis feminae caput vir secundum sanctum Apostolum,<sup>7</sup> et sunt duo in carne una secundum legem divinam:<sup>8</sup> utique ii qui una caro erant, et unus spiritus, quomodo poterat fieri ut viderentur patriam et tribum habere divisam? Accedit illud quod etiam Angelus Gabriel de Domino praenuntiaverat, quod *Dabit illi Deus sedem David patris sui.*<sup>9</sup> \* Certum est igitur etiam Mariam de David generatione manasse. Simul etiam discimus nihil referre quo ordine generationis series exprimatur, cum iter hinc atque inde sit pervium.<sup>10</sup>

- 582     Lib. VI, cap. VIII, 38. Nec putet aliquis offendiculum esse

PL  
15, 1590  
(1673)

\*1591

(\*1674)

PL  
15, 1678  
(1764)

<sup>1</sup> Num. XXXVI, 6-8.

<sup>2</sup> Lc. II, 4, 5.

<sup>3</sup> Lc. I, 36.

<sup>4</sup> Rom. IX, 3, 4.

<sup>5</sup> Lc. I, 39-40.

<sup>6</sup> Num. II, 2.

<sup>7</sup> Ephes. V, 23.

<sup>8</sup> Gen. II, 24.

<sup>9</sup> Lc. I, 32.

<sup>10</sup> CCL XIV, 77-78.

pietatis, ubi mandatum Legis impletur: si enim relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una, recte sacramentum hoc in Christo servatur et Ecclesia.<sup>1</sup> Et ideo parentes corpori proprio non potuit anteferre. Ergo hic non (ut quidam haeretici tendiculas aucupantur) mater negatur, quae de cruce etiam agnoscitur,<sup>2</sup> sed necessitudini corporali praescriptorum coelestium forma praefertur. Illud quoque intelligere non abhorret, quia per figuram parentum demonstrat iudeis, ex quibus est Christus secundum carnem, Ecclesiam quae credidit, praefependam.<sup>3</sup>

**PL 15, 1684 (1770)** 60. [...] Sic et resurrectio temporalis in Domini passione celebratur; ut et perpetua illa credatur. Sic et Mariae paritura sterilis indicatur;<sup>4</sup> ut conceptura virgo credatur. Denique audivit paritram Elizabeth, nec de sua generatione dubitavit.<sup>5</sup> **583**

**PL 15, 1810 (1902)** Lib. X, cap. XXI, 24. Sed ne illae praegnantes condemnationis exsortes sunt, quae in bonorum actuum molimine constituae, necdum aliquos suscepti operis dedere processus. Sunt enim et quae de Dei timore concipiunt, quae dicunt: *De timore tuo concepimus et parturivimus.*<sup>6</sup> Sed non omnes pariunt, non omnes perfecti, non omnes possunt dicere: *Peperimus spiritum salutis in terra:* non omnes Mariae, quae de Spiritu sancto Christum concipient, Verbum pariant. Sunt enim quae abortivum excludant Verbum, antequam pariant: sunt quae in utero Christum habeant, sed eum nondum formaverunt, quibus dicitur: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.*<sup>7</sup> Ergo qui adhuc in utero sunt, parturiuntur quasi imperfecti: iam \* illi perfectiores, quibus dicitur: *Ego vos per Evangelium genui.*<sup>8</sup> **584**

**PL 15, 1836 (1929)** 129. (Vers. 49). Stabant autem et mulieres haec videntes: stabat et mater, cum studio pietatis sua pericula posthaberet. Sed et Dominus pendens in \* cruce, qui sua pericula contemneret, pio matrem commendabat affectu.<sup>9</sup> **585**

**PL 16, 1837 (1930)** 130. Ioannes ergo, qui plenius divina penetravit mysteria, non immerito laboravit, ut quae Deum generaverat, mansisse eam vir-

<sup>1</sup> Ephes. V, 31-32.

<sup>2</sup> Io. XIX, 26.

<sup>3</sup> CCL XIV, 188.

<sup>4</sup> Le. I, 36.

<sup>5</sup> CCL XIV, 195.

<sup>6</sup> Isa. XXVI, 18.

<sup>7</sup> Galat. IV, 19.

<sup>8</sup> I Cor. IV, 15; CCL XIV, 352.

<sup>9</sup> CCL XIV, 382.

ginem declarat. Solus ergo me docet, quod alii non docuerunt, quemadmodum in cruce positus appellaverit matrem,<sup>1</sup> pluris putans quod vixit suppliciorum atque poenarum, vixit diaboli, pietatis officia dividebat, quam quod regnum coeleste donabat. Nam si religiosum est quod latroni venia donatur a Domino, multo religiosius quod mater honoratur a Filio.

131. Nec praeposterum iudicetur, quod prius latronis absolutionem quam matris appellationem scripsi; qui enim venerat salvos facere peccatores, non absurdum si prius in meis scriptis susceptum munus in redimenda salute peccatoris implevit. Denique ipse ait: *Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei?*<sup>2</sup> Quia non venerat vocare iustos, sed peccatores. Sed ibi pro loco; hic et in cruce non immemor matris, appellat eam dicens: *Ecce filius tuus;* et Ioanni: *Ecce mater tua.*<sup>3</sup> Testabatur de cruce Christus, et testamentum eius signabat Ioannes, dignus tanto testatore testis. Bonum testamentum non pecuniae, sed vitae: quod non atramento scribitur, sed Spiritu Dei vivi: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.*<sup>4</sup>

587

132. Sed nec Maria minor quam matrem Christi decebat, furentibus apostolis ante crucem stabat, et piis spectabat oculis Filii vulnera; quia exspectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem. Aut fortasse quia cognoverat per Filii mortem mundi redemptionem, aula regalis putabat se et sua morte publico muneri aliquid addituram. Sed Iesus non egebat adiutore ad omnium redemptionem, \* qui dixit: *Factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.*<sup>5</sup> Suscepit quidem matris affectum, sed non quaesivit hominis auxilium. Habemus igitur pietatis magistrum: docet lectio \* quid maternus debeat affectus imitari, quid sequi reverentia filiorum; ut illae se offerant in filiorum periculis, illis amplius sollicitudo materna quam suae mortis moestitia sit dolori.

588

133. Quo loco uberrimum testimonium Mariae virginitatis adhibetur. Neque enim abrogatur uxor marito, cum scriptum sit: *Quod Deus coniunxit, homo non separet;*<sup>6</sup> sed quae propter mysterium coniugium prætexuit, completis mysteriis iam coniugio non egebat. Aut si moralia sequimur, in moerore castitas imperatur.<sup>7</sup>

PL  
15, 1837  
(1930)

(\*1931)

\*1838

\*1838

PL  
15, 1838  
(1931)<sup>1</sup> Io. XIX, 26.<sup>2</sup> Matth. XII, 48.<sup>3</sup> Io. XIX, 26-27.<sup>4</sup> Ps. XLIV, 2.<sup>5</sup> Ps. LXXXVII, 5.<sup>6</sup> Matth. XIX, 6.<sup>7</sup> CCL XIV, 383-384.

## DE BENEDICTIONIBUS PATRIARCHARUM (387)

PL 14, 680 Cap. IV, 19. Mirifice autem et incarnationem eius expressit 589  
 (713) dicens: *Ex germine, fili mi, ascendisti*,<sup>1</sup> eo quod tamquam frutex  
 terrae in alvo Virginis germinavit, et ut flos boni odoris ad redem-  
 ptionem mundi totius maternis visceribus splendore novae lucis  
 emissus ascenderit, sicut Esaias dicit: *Exiet virga de radice Iesse,*  
*et flos ex radice eius ascendet.*<sup>2</sup> Radix familia iudeorum, virga Ma-  
 ria, flos Mariae Christus. Recte virga quae regalis est generis, de  
 domo et patria David, cuius flos Christus est qui fetorem mundanae  
 colluvionis abolevit, et vitae aeternae odorem infudit.

PL 14, 689 Cap. XI, 51. Itaque in illo velut contemptibili corpore: *Prae-* 590  
 (722) *valuisti*, inquit, *propter benedictionem uberum et vulvae, benedictiones*  
 (\*723) *patris tui et matris.*<sup>3</sup> Ubera vel duo Testamenta dixit, quorum \* altero  
 annuntiatus est, altero demonstratus. Et bene ubera, quoniam ve-  
 lut quodam nos spiritali lacte nutritos educavit, et obtulit Deo  
 Filius: vel Mariae dicit ubera, quae vere benedicta erant, quibus  
 sancta Virgo populo Domini potum lactis immulsi. Unde et illa  
 mulier in Evangelio ait: *Beatus venter qui te portavit, et ubera quae*  
*suxisti!*<sup>4</sup> Quod autem ait: *Vulvae benedictionem patris tui et matris,*  
 si vulvam solam Mariae velimus intelligere, cur utramque benedic-  
 tionem coniunxerit, latebit causa. Potuit enim dicere de sola vulva  
 matris. Sed pulchrius arbitror, ut secundum spiritale mysterium  
 intelligamus utramque generationem Domini Iesu, et secundum di-  
 vinitatem, et secundum carnem; quia ante saecula est generatus  
 ex Patre. Unde et Pater ait: *Eructavit cor meum verbum;*<sup>5</sup> eo quod  
 ex illa intima et incomprehensibili Patris processit substantia, et  
 in ipso est semper. Unde et evangelista ait: *Deum nemo vidit um-  
 quam, nisi unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*<sup>6</sup>  
 Sicut ergo sinus Patris spiritalis intelligitur intimum quoddam pa-  
 ternae charitatis naturaeque secretum, in quo semper est Filius;  
 ita etiam Patris spiritalis est vulva, interioris arcanum, de qua tam-  
 quam ex genitali alvo processit Filius. Denique diverse legimus nunc  
 vulvam Patris, nunc cor eius quo verbum eructavit, nunc os eius  
 ex quo iustitia processit, ex quo prodivit sapientia, sicut ipse ait:

<sup>1</sup> Gen. XLIX, 9.

<sup>2</sup> Isa. XI, 1.

<sup>3</sup> Gen. XLIX, 25.

<sup>4</sup> Lc. XI, 27.

<sup>5</sup> Ps. XLIV, 2.

<sup>6</sup> Io. I, 18.

\*690

*Ex ore Altissimi prodixit.<sup>1</sup>* Ita \* cum unum non definitur, et unum omnia sonant, spiritale magis mysterium generationis paternae, quam membrum aliquod corporale significat. Sed sicut illam ex Patre generationem intelligimus: ita etiam ad consummationem fide generationem Mariae intelligamus, quando benedicitur vulva matris, illa utique Mariae virginalis, quae nobis edidit Dominum Iesum. De qua Pater dicit per Hieremiam prophetam: *Priusquam te formarem in utero, novi te; et priusquam exires de vulva matris, sanctificavi te.*<sup>2</sup> Geminam igitur propheta in Christo substantiam declaravit, divinitatis et carnis: alteram ex Patre, alteram ex Virgine; ita tamen ut non exsors suae esset divinitatis, cum ex Virgine nasceretur, et esset in corpore.

## EPISTOLA XXX (387)

591

3. [...] *Vos estis templum Dei;*<sup>3</sup> in quo habitaret Dominus Iesus, et unde ad redemptionem universorum procederet, ut in utero Virginis sacra reperiatur aula, in qua Rex habitaret coelestium, et corpus humanum Dei templum fieret; quod etiam, cum solutum esset, in triduo resuscitaretur.

PL  
16, 1062  
(1107)

## DE ABRAHAM (ca 388)

592

Lib. II, cap. VIII, 49. [...] Qui quaerit quomodo sciat, non dubitat, manifestante Deo, cognoscere se posse: sed formam vult acquirendae cognitionis advertere. Nam et in Evangelio Maria cum audisset ab angelo quia virgo paritura esset filium, respondit: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognovi?*<sup>4</sup> Et iure respondit, hoc est: Cum id quod naturae est, non suppetat, quia non solet parere quae viro non fuerat copulata, quaero quomodo praeter instituta naturae possim virgo generare?

PL  
14, 477  
(501)

593

Cap. IX, 61. [...] Excessus prophetis fieri solet, sicut habes Prophetam dixisse: *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.*<sup>5</sup> Excedit enim mens prophetae velut fines quosdam humanae prudentiae, quando repletur Deo. Et ante evacuat se cogitationibus et disceptationibus saeculi huius; ut advenienti gratiae spirituali puram se et exinanitam praebeat, superveniat in eam Spiritus sanctus ma-

PL  
14, 484  
(508)<sup>1</sup> Eecli. XXIV, 5.<sup>2</sup> Ier. I, 5.<sup>3</sup> I Cor. III, 16.<sup>4</sup> Le. I, 34.<sup>5</sup> Ps. CXV, 2.

gna se vi infundens, ita ut mens hominis subito turbetur. Denique Angelus venit ad Mariam, et cum sedulitate et gratia venit; et tamen Maria mota est in introitu eius. Unde Angelus ait ad eam: *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: et ecce concipies in utero, et paries filium.*<sup>1</sup> Cognoscimus ergo quia quando venit gratia Dei super propheticam mentem, subito irruit, et inde incubuisse et cecidisse super prophetas Spiritum sanctum legimus; quia excessum patitur, et turbatur, et timet, et quibusdam ignorantiae et imprudentiae tenebris offunditur: sicut et in Actibus Apostolorum legimus<sup>2</sup> quia circumfulsit super Saulum de coelo, et cecidit, et horrore animi turbatus est, et audivit vocem de coelo dicentem: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Desinit enim videre saecularia, qui incipit audire divina.

## IN PS. CXVIII (ca 388)

PL 15, 1212 Sermo II, 8. [...] *Fusca sum et decora, filiae Hierusalem*<sup>3</sup>, fusca 594  
(1276) per culpam, decora per gratiam. Dicit et caro: *Fusca sum et decora;* fusca pulvere saeculari, quem certando collegi; decora oleo spirituali, quo mundi huius pulverem squaloremque detersi. Fusca per vitium, sed decora iam per lavacrum, quod abluit omne delictum. Fusca sum, quia peccavi, decora, quia iam me diligit Christus: quam relegaverat in Eva, recepit ex Virgine, suscepit ex Maria.

PL 15, 1229 Sermo III, 19. [...] An nescimus quoniam Verbum Dei veniens 595  
(1294) in hunc mundum, non sicut Verbum advenit, quale in principio erat, quale erat apud Deum: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens? Venit in nube levi: et cum esset virtus Altissimi, obumbravit Mariae; ut transfiguraret corpus humilitatis nostrae conforme fieri corpori gloriae sua. Sieut ille ergo mutavit formam, cum ex Virgine nasceretur: ita et nobis sermones Dei transfigurati videntur; cum leguntur in Evangelio, cum species eorum videtur in Scripturis quasi per speculum, quia tota veritas hie non potest comprehendendi.

PL 15, 1251 Sermo V, 3. [...] Illa autem columna nubis, specie quidem praecedebat filios Israel, mysterio autem significabat Dominum Iesum 596  
(1318) in nube venturum levi, sicut dixit Esaias;<sup>4</sup> hoc est, in virgine Maria, quae nubes erat secundum haereditatem Evaee: levis erat secundum virginitatis \* integritatem. Levis erat, quae non homini quae-

<sup>1</sup> Lc. I, 30, 31.<sup>2</sup> Act. IX, 4.<sup>3</sup> Cant. I, 4.<sup>4</sup> Isa. XIX, 1.

rebat placere, sed Domino. Levis erat, quae non in iniuitate con-  
ceperat, sed Spiritu superveniente generabat: nec in delicto, sed  
cum gratia parturiebat.

597 12. [...] *Et fructus eius dulcis in faucibus meis.*<sup>1</sup> Quis fructus eius PL  
dulcis, nisi praedicatio Dominicæ passionis, ut ipse ait: *Ecce hae- 15, 1255  
reditas Domini, filii, merces fructus ventris?*<sup>2</sup> Quis enim dulcior fruc-  
(1321) tus potest esse in faucibus nostris, quam remissio peccatorum? Et  
bene flos est Ecclesia quae fructum annuntiat, hoc est, Dominum  
Iesum Christum, de quo dictum est Mariae: *Benedicta tu inter mu-  
lieres, et benedictus fructus ventris tui.*<sup>3</sup>

598 Sermo VI, 23. Audiamus itaque quid dicat: *Exsurge, veni, pro- PL  
xima mea,*<sup>4</sup> hoc est, surge a mortuis, exsurge a vinculis, quibus ei 15, 1275  
cumdata tenebaris.<sup>5</sup> *Exsurge,* quia ego resurrexi tibi: solve vinculum  
iniquitatis, quia ego iam solvi tibi. *Veni,* quia iam retia soluta sunt.  
Virgo peperit, puer natus ex Virgine est. Nihil debet muliebri ha-  
reditati; quasi filius mulieris non tenetur.

599 Sermo XVII, 18. Meritoque additum est in Canticis: *Moduli PL  
femorum tuorum similes torquibus opere manuum artificis;*<sup>6</sup> ut poste- 15, 1446  
ritatis Ecclesial ornamenta canerentur. Per femur enim insigne ge-  
nerationis agnoscimus, iuxta illud: *Accingere gladium tuum circum  
femur, potentissime:*<sup>7</sup> quo significatur quod Filius Dei cum semet-  
ipsum exinanisset, Verbi accinctus divinitatem, et generationem  
calceatus humanam, prodiret ex Virgine, omnibus datus salutem.  
Moduli autem dicuntur ornamenta pretiosa quae suspendi matro-  
narum cervicibus solent. Tantus ergo processus Ecclesiae signifi-  
catur; \* ut ornamenti pretiosissimis comparatus sit, et torquibus  
triumphantium; haec enim ornamenta sunt \* bellatorum. Unde et  
Symmachus ἐπιτραχήλια dicit, hoc est, quae sunt circa collum.  
Sive ergo generatio Christi ex Virgine, sive Ecclesiae propagatio,  
specie quidem tamquam manu artificis torquibus adornatis, verae  
autem virtutis insignibus spiritalibus cervices fidelium coronavit.

600 Sermo XXII, 30. Veni ergo, et quaere ovem tuam iam non PL  
per servulos, non per mercenarios, sed per temetipsum. Suscipe me 15, 1521  
in carne, quae in Adam lapsa est. Suscipe me non ex Sara, sed ex  
(1599)  
Maria; ut incorrupta sit virgo, sed virgo per gratiam ab omni inte-

<sup>1</sup> Cant. II, 3.

<sup>2</sup> Ps. CXXVI, 3.

<sup>3</sup> Le. I, 42.

<sup>4</sup> Cant. II, 10.

<sup>5</sup> Loquitur de Ecclesia.

<sup>6</sup> Cant. VII, 1.

<sup>7</sup> Ps. XLIV, 4.

\*1447  
(\*1522)

gra labo peccati. Porta me in cruce, quae salutaris errantibus est, in qua sola est requies fatigatis, in qua sola vivent quicumque moriuntur.

### EPISTOLA XLII (389)

- <sup>PL 16, 1124</sup> 3. [...] Bonum coniugium, per quod est inventa posteritas successionis humanae: sed melior virginitas, per quam regni coelestis haereditas acquisita, et coelestium meritorum reperta successio. Per mulierem cura successit, per virginem salus evenit. Denique speciale sibi donum virginitatis Christus elegit, et integratatis munus \*exhibuit, atque in se repraesentavit, quod elegit in matre. 601
- <sup>PL 98, 399</sup> 4. Quanta dementia funestorum latratuum, ut iidem dicerent Christum ex Virgine non potuisse generari, qui asserunt ex muliere, editis humanorum pignorum partibus, virgines permanere? Aliis ergo praestat Christus, quod sibi, ut dicunt, praestare non potuit? Ille vero etsi carnem suscepit, etsi homo factus est, ut hominem redimeret, atque a morte revocaret: inusitato tamen, quasi Deus, itinere venit in terras, ut quemadmodum dixerat: *Ecce facio omnia nova;*<sup>1</sup> partu etiam immaculatae Virginis nasceretur, et sicut scriptum est, ut crederetur nobiscum Deus. Sed de via perversitatibus produntur dicere: Virgo concepit, sed non virgo generavit. \* Potuit ergo virgo concipere, non potuit virgo generare, cum semper conceptus praecedat, partus sequatur? 602
5. Sed si doctrinis non creditur sacerdotum, credatur oraculis Christi, credatur monitis Angelorum dicentium: *Quia non est impossibile Deo omne verbum.*<sup>2</sup> Credatur Symbolo apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit et servat. Audivit Maria vocem angeli, et quae ante dixerat. *Quomodo fiet istud?*<sup>3</sup> non de fide generationis interrogans, respondit postea: *Ecce ancilla Domini contingat mihi secundum verbum tuum.*<sup>4</sup> Haec est Virgo quae in utero concepit: virgo, quae peperit filium. Sic enim scriptum est: *Ecce virgo in utero accipiet et pariet filium;*<sup>5</sup> non enim concepturam tantummodo virginem, sed et paritaram virginem dixit.
- \*<sup>1126</sup> \* 6. Quae autem est illa porta sanctuarii, porta illa exterior ad Orientem, quae manet clausa, *et nemo*, inquit, *pertransibit per eam, nisi solus Deus Israel?*<sup>6</sup> Nonne haec porta Maria est, per quam in

<sup>1</sup> Isa. XLIII, 19.

<sup>2</sup> Lc. I, 37.

<sup>3</sup> Lc. I, 34.

<sup>4</sup> Lc. I, 38.

<sup>5</sup> Isa. VII, 14.

<sup>6</sup> Ezech. XLIV, 2.

hunc mundum redemptor intravit? Haec porta iustitiae, sicut ipse dixit: *Sine nos implere omnem iustitiam.*<sup>1</sup> Haec porta est beata Maria, de qua scriptum est quia *Dominus pertransibit per eam, et erit clausa*<sup>2</sup> post partum, quia virgo concepit et genuit.

7. Quid autem incredibile si contra usum originis\* naturalis peperit Maria, et virgo permanet; quando contra usum naturae mare vidiit et fugit, atque in fontem suum Iordanis fluenta remearunt?<sup>3</sup> Non ergo excedit fidem quod virgo peperit, quando legimus quod petra vomuit aquas,<sup>4</sup> et in muri speciem maris unda solidata est.<sup>5</sup> Non ergo excedit fidem quod homo exivit de virgine, quando petra fontem profluum scaturivit,<sup>6</sup> ferrum super aquas natavit,<sup>7</sup> ambulavit homo super aquas.<sup>8</sup> Ergo si hominem unda portavit, non potuit hominem virgo generare? At quem hominem? De quo legimus: *Et mittet illis Dominus hominem, qui salvos faciet eos, et notus erit Dominus Aegyptiis.*<sup>9</sup> In veteri itaque Testamento virgo Hebreorum per mare duxit exercitum: in novo Testamento virgo regis, aula coelestis electa est ad salutem.

#### EPISTOLA XLIX (390)

- 603     2. Sola erat Maria, et loquebatur cum angelo.<sup>10</sup> Sola erat quando supervenit in eam Spiritus sanctus, et virtus Altissimi obumbravit eam. Sola erat, et operata est mundi salutem, et concepit redemptionem universorum.

PL  
16, 1154  
(1203)

#### DE OFFICIS MINISTRORUM (391)

- 604     Lib. I, cap. XVIII, 69. Neque vero quisquam solius hanc laudem castitatis putet. Est enim verecundia pudicitiae comes, cuius societate castitas ipsa tutior est. Bonus enim regendae castitatis pudor est comes: qui si se praetendat ad ea quae prima pericula sunt, pudicitiam temerari non sinat. Hic primus in ipso cognitionis ingressu, Domini matrem commendat legentibus, et tamquam testis

PL  
16, 44  
(48)

<sup>1</sup> Matth. III, 15.

<sup>2</sup> Ezech. XLIV, 2.

<sup>3</sup> Ps. CXIII, 3.

<sup>4</sup> Exod. XVII, 6.

<sup>5</sup> Exod. XIV, 22.

<sup>6</sup> Num. XX, 11.

<sup>7</sup> IV Reg. VI, 6.

<sup>8</sup> Matth. XIV, 26.

<sup>9</sup> Isa. XIX, 20.

<sup>10</sup> Lc. I, 28.

locuples, dignam quae ad tale munus eligeretur, astruit: quod in cubiculo, quod sola, quod salutata ab angelo tacet, et mota est in introitu eius, quod ad virilis sexus speciem peregrinam turbatur aspectus Virginis.<sup>1</sup> Itaque quamvis esset humilis, prae verecundia tamen salutantem non resalutavit, nec ullum responsum retulit, nisi ubi de suscipienda Domini generatione cognovit; ut qualitatem effectus disceret, non ut sermonem referret.

### DE OBITU VALENTINIANI CONSOLATIO (392)

- PL 16, 1371 (1431) 39. Durum quidem funus videtis; sed stabat et sancta Maria 605 iuxta crucem Filii, et spectabat Virgo sui unigeniti passionem. Stan- tem illam lego, flentem non lego. Unde dixit ei Filius: *Mulier, ecce filius tuus. Et discipulo dixit: Ecce mater tua,*<sup>2</sup> haereditatem illis charitatis suae et gratiae derelinquens.

### DE INSTITUTIONE VIRGINIS ET S. MARIAE VIRGINITATE PERPETUA (392)

- PL 16, 313 (328) Cap. V, 33. Si typum Christi illa pariendo a viro meretur audiri, 606 quantum proficit sexus qui Christum, salva tamen virginitate, ge- neravit! Veni ergo, Eva, iam Maria, quae nobis non solum virginitatis incentivum attulit, sed etiam Deum intulit. Unde laetus et exsultans tanto munere dicit Esaias: *Ecce virgo in utero accipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel,*<sup>3</sup> quod est interpre- tatum, *nobiscum Deus.*<sup>4</sup> Unde hoc munus? Non de terra utique, sed de coelo vas sibi hoc per quod descendenter Christus elegit, et sacravit templum pudoris. Per unam descendit, sed multas \* vocavit. Unde et speciale Maria Domini hoc nomen invenit, quod significat: Deus ex genere meo.

34. Dictae sunt et ante Mariae multae: nam et Maria soror Aaron dicta fuit;<sup>5</sup> sed illa Maria amaritudo maris vocabatur. Venit ergo Dominus in amaritudinem fragilitatis humanae, ut conditionis amaritudo dulcesceret, Verbi coelestis suavitate et gratia temperata. Hoc significavit fons Merra per lignum dulcoratus; eo quod popu- lus nationum amarus ante peccatis, vel caro nostra temperamento passionis Dominicæ in usus alteros mutaretur.

- PL 16, 314 (328) 35. Egregia igitur Maria, quae signum sacrae virginitatis extu- 607 lit, et intemeratae integritatis pium Christo vexillum erexit. Et

<sup>1</sup> Le. I, 29 s.

<sup>2</sup> Io. XIX, 26, 27.

<sup>3</sup> Isa. VII, 14.

<sup>4</sup> Matth. I, 23.

<sup>5</sup> Exod. XV, 20, 23.

tamen cum omnes ad cultum virginitatis sanctae Mariae advocentur exemplo, fuerunt qui eam negarent virginem perseverasse. Hoc tantum sacrilegium silere iamdudum maluimus: sed quia causa vocavit in medium, ita ut eius prolapsionis etiam Episcopus argueretur, indemnatum non putamus relinquendum, et maxime \* quia et mulierem eam legimus, sicut qui in Cana Galilaeae ipse Dominus ait dicensi sibi: *Vinum non habent, fili,* respondit: *Quid mihi et tibi est, mulier?*<sup>1</sup> Et alibi legimus quod dixerit Matthaeus de Ioseph et Maria: *Inventa est antequam convenienterent, in utero habens de Spiritu sancto.*<sup>2</sup> Et infra: *Non cognovit eam, donec peperit.*<sup>3</sup> Et iterum de Ioseph: *Noluit eam traducere.*<sup>4</sup> Et fratres Domini videntur significare, quod de Maria suscepti sint. Et Apostolus ait: *Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.*<sup>5</sup> \* Quae singula enodanda nobis sunt ut qui illa legit, sermonis huiusmodi vinculo non alligetur. Respondeamus itaque suo ordine.

36. De mulieris nomine quid moveamur? Ad sexum retulit; non enim corruptelae, sed sexus vocabulum est. Vulgi usus non praeiudicat veritati. Denique virginitas primum hoc nomen accepit; nam cum sumpsisset Deus unam de costis Adae, et supplevisset carnem in locum ipsius: *Aedificavit, inquit, eam in mulierem.*<sup>6</sup> Utique adhuc virum non cognoverat, et iam mulier vocabatur. Rationem quoque nominis huius Scriptura non tacuit dicens quia *dixit Adam: Os de ossibus meis, et caro de carne mea. Haec vocabitur mulier, quoniam de viro suo sumpta est.*<sup>7</sup> Quia sumpta est, inquit, de viro suo, non quia virum experta. Itaque quamdiu in paradyso fuit, mulier vocata est, et cognita viro non erat: ubi autem electa est de paradyso, tunc legitur quia Adam cognovit Evam mulierem suam, et tunc concepit et peperit filium.<sup>8</sup> Primus igitur solitus est nodus.

37. Secunda quaestio, quia scriptum est: *Antequam convenienterent, inventa est in utero habens.*<sup>9</sup> Consuetudo autem divinae Scripturae ea est, ut causam quae suscepta est, astruat, incidentem differat.

38. Quo solvitur etiam tertia quaestio, qua dictum est: *Non*

<sup>1</sup> Io. II, 3, 4.

<sup>2</sup> Matth. I, 18.

<sup>3</sup> Matth. I, 25.

<sup>4</sup> Matth. I, 19.

<sup>5</sup> Gal. IV, 4.

<sup>6</sup> Gen. II, 22.

<sup>7</sup> Gen. II, 23.

<sup>8</sup> Gen. IV, 1.

<sup>9</sup> Matth. I, 18.

(\*)330 *cognovit eam, donec peperit Filium.<sup>1</sup>* Quid ergo? Postea cognovit? Minime. Denique habes scriptum: *Ego sum Deus, et donec senescatis, ego sum.<sup>2</sup>* Numquid igitur postquam senuerunt, quibus *donec* dictum erat, Deus esse \*desivit? Item in prophetia David legimus: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.<sup>3</sup>* Numquid subiectis populis nationum, qui ante videbantur inimici, cum salutis auctorem negarent, simulacris servirent, ad dexteram Patris Filius sedere desivit, aut in perpetuum non sedebit?

\*316 39. Quid autem praeiudicat Mariae, si coelestis consilii myste-  
rium Ioseph non intellexit, et putavit virginem non esse, quam  
praegnantem videret? Resurrectionem eius angeli ignoraverunt,  
quod significant \*versiculi: *Tollite portas, principes, vestras, et eleva-  
mini portae aeternales, et introibit Rex gloriae. Quis est iste Rex glo-  
riae?<sup>4</sup>* Interrogant quasi ignorant; et alii respondent: *Dominus fortis  
et potens, Dominus potens in proelio, ipse est Rex gloriae.* Et repetivit  
Propheta eosdem versiculos, et nihilominus illi quasi ignorantates ite-  
rum interrogaverunt; sic enim scriptum est: *Tollite portas, prin-  
cipes, vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae.  
Quis est iste Rex gloriae?<sup>5</sup>* Quomodo ergo homo potuit divinum  
scire secretum, quod angeli nesciebant? Et in Esaiae libro habes:  
*Quis est iste, qui advenit ex Edom; rubor vestimentorum eius ex Bo-  
sra?<sup>6</sup>* Et utique minus erat hominem resurrexisse, quam virginem  
parturisse. Etenim iam Eliae precibus, Elisaei orationibus mortui  
resurrexerant: <sup>7</sup> numquam autem ante, numquam postea virgo  
generavit.<sup>8</sup>

40. Hoc autem opinatus est quod traduceret eam quasi ream,  
antequam ab angelo moneretur: <sup>9</sup> postea autem quasi fidelis nec  
dubius virginitatis eius servavit oraculum.

PL 16, 316 608  
(\*)330 Cap. VI, 41. Nec illud moveat, quod ait: *Quia Ioseph accepit coniugem suam, et profectus est in Aegyptum;*<sup>10</sup> despontata enim viro  
(\*)331 coniugis \*nomen accepit. Cum enim iniciatur coniugium, tunc coniugii  
nomen adsciscitur; non enim defloratio virginitatis facit coniug-

<sup>1</sup> Matth. I, 25.

<sup>2</sup> Isa. XLVI, 4.

<sup>3</sup> Ps. CIX, 1.

<sup>4</sup> Ps. XXIII, 7, 8.

<sup>5</sup> Ps. XXIII, 9, 10.

<sup>6</sup> Isa. LXIII, 1.

<sup>7</sup> III Reg. XVII, 22.

<sup>8</sup> IV Reg. IV, 17.

<sup>9</sup> Matth. I, 20.

<sup>10</sup> Matth. I, 24.

gium, sed pactio coniugalis. Denique cum iungitur puella, coniugium est, non cum virili admixtione cognoscitur.

42. Quod autem fuit desponsata connubio, licet alibi plenius dixerimus, libare nunc satis est causam coelestis mysterii; ut ab his qui Mariam gravi utero cernerent, non adulterium virginitatis, sed desponsatae partus legitimus crederetur. Maluit enim Dominus aliquos de sua generatione, quam de matris pudore dubitare.

\* 43. Fratres autem gentis, et generis, populi quoque consortium nuncupari docet Dominus ipse, qui dicit: *Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiae laudabo te.*<sup>1</sup> Paulus quoque ait: *Optabam ego anathema esse pro fratribus meis.*<sup>2</sup> Potuerunt autem fratres esse ex Ioseph, non ex Maria. Quod quidem si quis diligentius prosequatur, inveniet. Nos ea prosequenda non putavimus, quoniam fraternum nomen liquet pluribus esse commune.

44. An vero Dominus Iesus eam sibi matrem eligeret, quae virili semine aulam posset incestare coelestem, quasi eam cui impossibile esset virginalis pudoris servare custodiam? Cuius exemplo caeterae ad integratatis studium provocantur, ipsa ab huiusmodi quod per se caeteris propositum foret, munere deviaret.

45. Et quae esset, cui maius quam matri Dominus meritum reponeret, praemium reservaret? Nulli enim uberiora quam virginitati deputavit munera, sicut Scriptura nos docet. Sic enim per Esaiam Dominus locutus est: *Ne dicat spado, quia ego sum lignum aridum. Haec dicit Dominus spadonibus: Quicumque custodierint pracepta mea, et elegerint quae ego volo, et amplectentur testamentum meum, \* dabo illis in domo mea et in muro meo locum nominatum meum, et filiorum et filiarum nomen aeternum dabo illis, et non deficiant.*<sup>3</sup> Aliis promittit ut non deficiant: matrem suam deficere patiebatur? Sed non deficit Maria, non deficit virginitatis magistra; nec fieri poterat ut quae Deum portaverat, portandum hominem arbitraretur: nec Ioseph vir iustus in hanc prorupisset amentiam, ut matri Domini corporeo concubitu misceretur.

609 Cap. VII, 46. Sed tamen Maria suis, non alienis moribus defendatur. Non defecit, ut dixi. Ipse testis est Filius Dei, \* qui cum esset in cruce, discipulum matri commendabat ut filium: discipulo eam tradebat ut matrem.<sup>4</sup> Docuit hoc Ioannes, qui mystica magis scripsit; alii enim Evangelistae scripserunt quod in passione Domini

PL  
16, 317  
(332)  
\*318

<sup>1</sup> Ps. XXI, 23.

<sup>2</sup> Rom. IX, 3.

<sup>3</sup> Isa. LVI, 3 s.

<sup>4</sup> Io. XIX, 26, 27.

terra contremuit, sol refugit, persecutoribus venia postulata est:<sup>1</sup> iste dilectus Domini, qui e pectore eius hauserat secreta sapientiae, et piae voluntatis arcana ab aliis dicta, praeteriens, hoc diligentius prosecutus est, ut materna virginitatis perseverantiam suo iudicio comprobaret;<sup>2</sup> quasi filius de matris pudore sollicitus, ne quis eam tanto convicio temeratae integritatis aspergeret.

47. Dignum quippe erat ut qui latroni veniam donabat, matrem dubio pudoris absolveret. Dicit enim ad matrem: *Mulier, ecce filius tuus. Dicit et ad discipulum: Ecce mater tua.*<sup>3</sup> Ipse est discipulus, cui mater commendatur. Quomodo marito uxorem tolleret, si fuerat Maria mixta coniugio, aut usum tori coniugalnis agnoverat?

(\*233) \* 48. Claudite ora, impii: aperite aures, pii: audite quid Christus loquatur. Testatur de cruce Dominus Iesus,<sup>4</sup> et paulisper publicam differt salutem, ne matrem inhonoram relinquat. Subscribitur Ioannes testamento Christi. Legatur matri pudoris defensio, testimonium integritatis: legatur et discipulo matris custodia, pietatis gratia. *Et ex illo suscepit eam discipulus in sua.*<sup>5</sup> Non utique Christus faciebat divortium, non Maria relinquebat virum. Sed cum quo virgo habitare debebat, quam cum eo quem filii haeredem, integritatis sciret esse custodem?

PL  
16, 318  
(233) \* 49. Stabat ante crucem mater, et fugientibus viris, stabat intrepida. Videte utrum pudorem mutare potuerit mater Iesu, quae animum non mutavit. Spectabat pii oculis filii vulnera, per quem sciebat omnibus futuram redemptionem. Stabat non degeneri mater spectaculo, quae non metuebat peremptorem. Pendebat in cruce filius, mater se persecutoribus efferebat. Si hoc solum esset, ut ante filium prosterneretur, laudandus pietatis affectus, quod superstes filio esse nolebat: sin vero ut cum filio moreretur, cum eodem gestiebat resurgere, non ignara mysterii quod genuisset resurrecturum: simul quae publico usui \*impendi mortem filii noverat, praestolabatur si forte etiam sua morte publico muneri aliquid adderetur. Sed Christi passio adiutorio non eguit, sicut ipse Dominus longe ante praedixit: *Et respexi, et non erat auxiliator: et attendi, et nemo suscipiebat; et liberabo eos brachio meo.*<sup>6</sup>

\*319 PL  
16, 319  
(233) \* 50. Quomodo ergo extorqueri potuit integritas Mariae, quae fugientibus apostolis, supplicia non metuebat, sed ipsa se offerebat

610

<sup>1</sup> Matth. XXVII, 51 s.

<sup>2</sup> Io. XIII, 23.

<sup>3</sup> Io. XIX, 26.

<sup>4</sup> Io. XIX, 26.

<sup>5</sup> Io. XIX, 27.

<sup>6</sup> Isa. LXIII, 5.

611

periculis? Cuius tanta gratia, ut non solum in se virginitatis gratiam reservaret, sed etiam his quos viseret, integratatis insigne conferret. Visitavit Ioannem Baptistam, et in utero matris priusquam nasceretur, exsilivit.<sup>1</sup> Ad vocem Mariae exsultavit infantulus, obsecutus antequam genitus. Nec immerito mansit integer corpore, quem tribus mensibus oleo quodam suae praesentiae et integratatis unguento Domini mater exercuit. Eademque postea Ioanni Evangelistae est tradita coniugium nescienti. Unde non miror prae caeteris locutum mysteria divina, cui praesto erat aula coelestium sacramentorum.

**612** Cap. VIII, 51. Nunc mihi dicant qui hanc quaestionem serunt, quid est quod ait Dominus per prophetam: *Nunc revocabo captivitatem Iacob, et miserebor adhuc domus Israel.*<sup>2</sup> Et infra: *Congregabo, inquit, de gentibus eos, et congregabo illos de regionibus nationum, et sanctificabor in his in conspectu gentium: et scient quod ego sum Dominus Deus ipsorum, dum apparebo illis inter nationes; et non avertam amplius faciem meam ab eis, pro eo quod effudi iram meam in domum Israel, dicit Dominus.*<sup>3</sup>

PL  
16, 319  
(234)

52. Et infra dicit propheta vidisse se in monte alto nimis aedificationem civitatis,<sup>4</sup> cuius portae plurimae significantur; una tamen clausa describitur, de qua sic ait: *Et converti me secundum viam portae sanctorum exterioris, quae respicit ad Orientem, et haec erat clausa. Et ait ad me Dominus: Porta haec clausa erit, et non aperietur, et nemo transibit per eam; quoniam Dominus Deus Israel transibit per eam. Eritque clausa, quoniam dux hic sedebit in ea, ut manducet panem in conspectu Domini. Secundum viam Aelam portae intrabit, et secundum viam \* eius exhibet.*<sup>5</sup> Quae est haec porta, nisi Maria; ideo clausa, quia virgo? Porta igitur Maria, per quam Christus intravit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu, et genitalia virginitatis claustra non solvit. Mansit intemeratum septum pudoris, et inviolata integratatis duravere signacula; cum exiret ex virgine, cuius altitudinem mundus sustinere non posset.

\*320

53. *Haec, inquit, porta clausa erit, et non aperietur.* Bona porta Maria, quae clausa erat, et non aperiebatur. Transivit per eam Christus, sed non aperuit.

**613** 54. Et ut doceamus quia portam habet omnis homo, per quam Christus ingreditur: *Tollite, inquit, portas, principes, vestras, et ele-*

PL  
16, 320  
(234)

<sup>1</sup> Lc. I, 41.

<sup>2</sup> Ezech. XXXIX, 25.

<sup>3</sup> Ezech. XXXIX, 27 s.

<sup>4</sup> Ezech. XL, 2 s.

<sup>5</sup> Ezech. XLIV, 1 s.

(\*235) *vamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae.*<sup>1</sup> Quanto magis ergo porta erat in Maria, \* in qua sedit Christus, et exivit? Est enim et porta ventris. Unde ait Iob sanctus: *Intenebrescant, inquit, stellae noctis illius; quia non conclusit portas ventris matris meae.*<sup>2</sup>

55. Est ergo et porta ventris, sed non clausa semper: verum una sola potuit manere clausa, per quam sine dispendio claustrorum genitalium virginis partus exivit. Ideo ait propheta: <sup>3</sup> *Porta haec clausa erit: non aperietur, et nemo transbit per eam*, hoc est, nemo hominum; *quoniam Dominus, inquit, Deus Israel transbit per eam.* *Eritque clausa*, id est, ante et post transitum Domini erit clausa: et non aperietur a quoquam, nec aperta est; quoniam habuit semper ianuam suam Christum, qui dixit: *Ego sum ianua,*<sup>4</sup> quam nemo ab ea potuit avellere.

56. Haec porta ad orientem aspiciebat; quoniam verum lumen effudit, quae generavit Orientem, peperitque Solem iustitiae. Audiant ergo imprudentes: Clausa, inquit, erit haec porta, quae solum recipit Deum Israel. Is igitur de quo dictum est ad Ecclesiam: *Quoniam confortavit seras portarum tuarum,*<sup>5</sup> suam portam confortare non potuit? Sed confirmavit profecto, et servavit intactam. Denique non est aperta.

57. Audiant igitur prophetam dicentem: *Non aperietur, eritque clausa*, hoc est, non aperietur ab eo cui despontabitur; non licet enim ut aperiatur, per quam Dominus transbit. Et post eum, inquit, erit clausa, hoc est, non aperiet eam Ioseph; quoniam dicetur ei: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim ex ea nasceretur, de Spiritu sancto est.*<sup>6</sup>

Cap. XII, 79. Ipse ergo rex Israel transivit hanc portam, ipse dux sed sit in ea, quando Verbum caro factum est, et habitavit in nobis,<sup>7</sup> quasi Rex sedens in aula regali uteri virginalis, vel in olla ferventi, sicut scriptum est: *Moab aula spei*, vel *olla spei meae.*<sup>8</sup> Utrumque enim diversis in codicibus invenitur. Aula regalis est virgo, quae non est viro subdita, sed Deo soli. Est et olla uterus Mariae, quae Spiritu ferventi qui supervenit in eam, replevit orbem terrarum, cum peperit Salvatorem.

<sup>1</sup> Ps. XXIII, 7.

<sup>2</sup> Iob. III, 9, 10.

<sup>3</sup> Ezech. XLIV, 2.

<sup>4</sup> Io. X, 7.

<sup>5</sup> Ps. CXLVII, 13.

<sup>6</sup> Matth. I, 20.

<sup>7</sup> Io. I, 14.

<sup>8</sup> Ps. LIX, 10.

- 615 Cap. XIII, 81. O divitiae Marianae virginitatis! Quasi olla ferbuit, et quasi nubes pluit in terras gratiam Christi; scriptum est enim de ea: *Ecce Dominus venit sedens super nubem levem.*<sup>1</sup> Vere levem quae coniugii onera nescivit: vere levem, quae levavit hunc modum de gravi foenore peccatorum. Levis erat, quae remissionem peccatorum utero gestabat. Denique levavit Ioannem in utero constitutum, qui ad vocem eius exsilivit, et infans exsultavit in gau-  
dio, prius sensu devotionis quam spiritus infusione vitalis animatus.<sup>2</sup>
- PL  
16, 325  
(339)
- 616 83. [...] *Unguentum exinanitum est nomen tuum; ideo adolescen-*  
*tulae dilexerunt te.*<sup>3</sup> Descendat istud unguentum in ima praecordia, viscerumque secreta, quo non deliciarum odores sancta Maria, sed divinae gratiae spiramenta redolebat.
- PL  
16, 325  
(340)
- 617 Cap. XIV, 88. In hoc calceamento speciose processit Maria, quae sine ulla commixtione corporeae consuetudinis auctorem salutis Virgo generavit. Unde egregie Ioannes ait: *Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum eius,*<sup>4</sup> id est, non sum dignus Incarnationis mysterium comprehendere angustiis mentis humanae, atque inopis vilitate sermonis absolvere. Unde et Esaias dicit: *Generationem eius quis enarrabit?*<sup>5</sup> Speciosi ergo gressus vel Mariae vel Ecclesiae; quoniam speciosi pedes evangelizantium.
- PL  
16, 326  
(341)
- 618 89. Quam pulchra etiam illa quae in figura Ecclesiae de Maria prophetata sunt; si tamen non membra corporis, sed mysteria generationis eius intendas! Dicitur enim ad eam: *Moduli femorum tuorum similes torquibus, operi manuum artificis. Umbilicus tuus crater tornatilis non deficiens mixto. Venter tuus sicut acervus tritici muniti inter lilia;*<sup>6</sup> eo quod continens sibi in omnibus \* Christi ortus ex Virgine, sicut victores solent saecularium praeliorum, strenuorum virorum donatis torquibus honorare cervices; ita iugum no-  
strum levavit, ut fidelium colla virtutis insignibus coronaret.
- PL  
16, 326  
(341)
- \*327
90. Vere autem alvus ille Mariae crater tornatilis, in quo erat Sapientia, quae miscuit in craterem vinum suum, indeficientem cognitionis piae gratiam divinitatis suae plenitudine subministrans.<sup>7</sup>
91. In quo virginis utero simul acervus tritici, et lili floris gra-  
tia germinabat, quoniam et granum tritici generabat et lilyum. Granum tritici secundum quod scriptum est: *Amen, amen dico vobis, nisi granum tritici cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum*

<sup>1</sup> Isa. XIX, 1.

<sup>2</sup> Lc. I, 41.

<sup>3</sup> Cant. I, 2.

<sup>4</sup> Io. I, 27.

<sup>5</sup> Isa. LIII, 8.

<sup>6</sup> Cant. VII, 1, 2.

<sup>7</sup> Prov. IX, 2.

<sup>(\*)342</sup> *manet.<sup>1</sup> Sed quia de uno grano tritici acervus est factus, completum est illud propheticum: Et convales abundabunt frumento,<sup>2</sup> quia granum illud mortuum, plurimum fructum attulit. Hoc itaque granum omnes homines perpetua coelestium munerum esca \* saturavit: consummatumque est illud propheticci oris eloquium, dicente eodem David: Cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos.<sup>3</sup>*

92. In hoc grano esse etiam lily divina testantur oracula, quia scriptum est: *Ego sum flos campi, et lily convallium: sicut lily in medio spinarum.<sup>4</sup>* Christus erat lily in medio spinarum, quando erat in medio Iudeorum.

<sup>PL 16, 327  
(342)</sup> Cap. XV, 94. Ex illo ergo utero Mariae diffusus est in hunc mundum acervus tritici muniti inter lilia; quando natus est ex ea Christus, cui dicit propheta David: \* *Benedices coronam anni benignitatis tuae, et campi tui replebuntur ubertate. Pinguescent fines deserti, et exultatione colles accingentur. Induti sunt arietes ovium, et convales abundant frumento; etenim clamabunt, et hymnum dicent.<sup>5</sup>*

<sup>PL 16, 328  
(343)</sup> Cap. XVI, 98. Beata mater Hierusalem, beatus et Mariae uterus, qui tantum Dominum coronavit. Coronavit eum quando formavit: <sup>\*329</sup> coronavit eum, quando generavit; \* quia etsi eum sine aliqua sui operatione formaverit (quia Spiritus sanctus supervenit in virginem; <sup>(\*)344</sup> unde et ipse ait: *Inoperatum meum ruderunt oculi tui*), tamen \* hoc ipso quod ad omnium salutem eum concepit et peperit, coronam capiti eius aeternae pietatis imposuit, ut per fidem credentium fieret omnis viri caput Christus. Inoperata est ergo et caro Christi, quem ut Maria virgo conciperet, inusitato quodam novoque Incarnationis mysterio, sine ulla virilis seminis admixtione, divinae gratia dispositionis, quod erat carnis, assumpsit ex Virgine, atque in illa novissimi Adam immaculati hominis membra formavit.

### EXHORTATIO VIRGINITATIS (393)

<sup>PL 16, 343  
(359)</sup> Cap. IV, 26. [...] Considerate, filii, quam sibi veniens in has terras Dominus Iesus matrem elegerit. Salutem mundo datus per virginem venit, et mulieris lapsus partu virginis solvit: vestra quoque integritas meos solvat errores.

<sup>PL 16, 345  
(360)</sup> Cap. V, 31. Hic est qui venit in nube levi, sicut dixit propheta: *Ecce Dominus sedet super nubem levem, et veniet in Aegyp-*

<sup>1</sup> Io. XII, 24.

<sup>2</sup> Ps. LXIV (LXV), 14.

<sup>3</sup> Ps. LXXX, 17.

<sup>4</sup> Cant. II, 1.

<sup>5</sup> Ps. LXIV (LXV), 12 s.

*tum,*<sup>1</sup> significans quod in Aegyptum, id est, in afflictionem mundi huius veniret super virginem. Nubem itaque Mariam dixit, quia carnem gerebat; levem, quia virgo erat, nullis oneribus gravata coniugii. Ipsa est virga germinans florem, quia pura et ad Dominum libero corde directa virginitas, quae nullis in hoc saeculo curarum anfractibus reflectitur.<sup>2</sup>

- 623     32. Ideo illam Dominus de cruce discipulo suo dilectissimo sibi tradidit saneto Ioanni,<sup>3</sup> *qui dixit patri et matri: Non novi te.*<sup>4</sup> Denique vocatus a Christo reliquit patrem,<sup>5</sup> verbum secutus. Huic traditur virgo, qui suos nesciat: huic traditur virgo, qui de pectore Christi hauriat sapientiam: huic traditur virgo, qui fratres suos non cognovit, et filios suos non scivit. Ideoque benedit eum Lex: *Date Levi veros eius, date Levi sortes eius.*<sup>6</sup>

33. Unde et matrem Domini ipse suscepit; scriptum enim habemus, quia *ex illa hora suscepit eam discipulus in sua.*<sup>7</sup> Quid est *in sua*, cum reliquerit patrem et matrem, et Christum secutus sit? Aut quomodo *in sua*, cum ipsi apostoli dixerint: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te?*<sup>8</sup> Quae sua habebat Ioannes, qui mundana et saecularia non habebat, qui et de mundo \* non erat? Quae ergo habebat sua, nisi ea quae a Christo acceperat? Bonus verbi sapientiaeque possessor, bonus receptor gratiae. Audite quae apostoli a Christo acceperint: *Accipite, inquit, Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remissa erunt; et quorum detinueritis, detenta erunt.*<sup>9</sup> Neque enim mater Domini Iesu nisi ad possessorem gratiae demigraret, ubi Christus habebat habitaculum.

### EPISTOLA LXIII (396)

- 624     33. Quid autem loquar quanta sit virginitatis gratia, quae meruit a Christo eligi, ut esset etiam corporale Dei templum, in qua corporaliter, ut legimus,<sup>10</sup> habitavit plenitudo divinitatis? Virgo genuit mundi salutem, virgo peperit vitam universorum. Sola ergo

PL  
16, 1198  
(1249)

<sup>1</sup> Isa. XIX, 1.

<sup>2</sup> Num. XVII, 8.

<sup>3</sup> Io. XIX, 27.

<sup>4</sup> Deut. XXXIII, 9.

<sup>5</sup> Matth. IV, 21, 22.

<sup>6</sup> Deut. XXXIII, 8.

<sup>7</sup> Io. XIX, 27.

<sup>8</sup> Matth. XIX, 27.

<sup>9</sup> Io. XX, 22, 23.

<sup>10</sup> Coloss. II, 9.

non debet esse virginitas, quae omnibus in Christo profuit? Virgo portavit, quem mundus iste capere ac sustinere non potest. Qui cum ex Mariae nasceretur utero, genitalis tamen septum pudoris, et intemerata virginitatis conservavit signacula. Itaque in Virgine Christus reperit, quod suum esse vellet, quod sibi omnium Dominus (\*1250) assumeret. Per virum \* autem et mulierem caro electa de paradyso, per virginem iuncta est Deo.

<sup>PL  
16, 1202  
(1253)</sup> 49. [Melchisedech] hoc enim habet nominis interpretatio, *sine patre, sine matre, sine generationis enumeratione, neque initium dierum, neque finem vitae habens:*<sup>1</sup> quod et ad Filium Dei refertur, qui matrem in illa divina generatione nescivit, patrem in hoc virginis Mariae partu ignoravit; ex Patre solo natus ante saecula, ex Virgine sola ortus in hoc saeculo, initium dierum habere utique non potuit, qui erat in principio. Quomodo autem vitae finem haberet, qui vi-  
(\*1254) tae \* auctor omnibus est? *Ipse principium et finis omnium.*<sup>2</sup>

<sup>PL  
16, 1218  
(1270)</sup> 109. Maria mater Domini ante crucem filii stabat: nullus me hoc docuit, nisi sanctus Ioannes evangelista.<sup>3</sup> Mundum alii concussum in passione Domini conscripserunt, coelum tenebris obdutum,<sup>4</sup> refugisse solem, in paradisum latronem, sed post piam confessionem receptum.<sup>5</sup> Ioannes docuit quod alii non docuerunt, quemadmodum in cruce positus matrem appellaverit, pluris putans quod victor suppliciorum pietatis officia matri exhibebat, quam quod regnum coeleste donabat. Nam si religiosum est, quod latroni donatur venia, multo uberioris pietatis est, quod a filio mater tanto affectu honoratur: *Ecce, inquit, filius tuus... Ecce mater tua.*<sup>6</sup> Testabatur de cruce Christus, et inter matrem atque discipulum dividebat pietatis officia. Condebat Dominus non solum publicum, sed etiam domesticum testamentum, et hoc eius testamentum signabat Ioannes, dignus tanto testatore testis. Bonum testamentum non pecuniae, sed vitae aeternae: quod non atramento scriptum est, sed Spiritu Dei vivi, qui ait: *Lingua mea calamus scribae velociter scribentis.*<sup>7</sup>

(\*1271) 110. Sed nec Maria minor, quam matrem Christi \* decebat. Fugientibus apostolis, ante crucem stabat, et piis spectabat oculis filii vulnera, quia exspectabat non pignoris mortem, sed mundi salu-

<sup>1</sup> Hebr. VII, 3.

<sup>2</sup> Apoc. I, 8.

<sup>3</sup> Io. XIX, 25.

<sup>4</sup> Matth. XXVII, 45.

<sup>5</sup> Lc. XXIII, 43.

<sup>6</sup> Io. XIX, 27.

<sup>7</sup> Ps. XLIV, 2.

tem. Aut fortasse quia cognoverat per filii mortem mundi redemptionem aula regalis, etiam sua morte putabat se aliquid publico addituram muneri. Sed Iesus non egebat adiutore ad redemptionem omnium, qui omnes sine adiutore servavit. Unde et dicit: *Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber.*<sup>1</sup> Suscepit quidem affectum parentis, sed non quaesivit alterius auxilium.

111. Hanc imitamini, matres sanctae, quae in unico filio dilectissimo tantum maternae virtutis exemplum edidit; neque enim vos dulciores liberos habetis, neque illud Virgo quaerebat solatum, quod alium posset generare filium.

#### EPISTOLA LXIV

- 627 1. Quaeris a me cur Dominus Deus manna pluerit populo patrum, et nunc non pluat. Si cognoscis, pluit, et quotidie pluit de coelo manna servientibus sibi. Et corporeum quidem illud, manna hodie plerisque in locis invenitur, sed nunc non est tanti res miraculi, quia venit quod perfectum est. Perfectum autem panis de coelo, corpus ex Virgine, de quo satis Evangelium te docet. Quanto praestantiora haec superioribus? Illud enim manna, hoc est, panem illum qui manducaverunt, mortui sunt: hunc autem panem qui manducaverit, vivet in aeternum.<sup>2</sup>

PL  
16, 1219  
(1271)

#### EPISTOLA DE CAUSA BONOSI

- 628 3. Sane non possumus negare de Mariae filiis iure reprehensum, meritoque vestram sanctitatem abhorruisse, quod ex eodem utero virginali, ex quo secundum carnem Christus natus est, alias partus effusus sit. Neque enim elegisset Dominus Iesus nasci per virginem, si eam iudicasset tam incontinentem fore, ut illud genitale Domini corporis, illam aulam regis aeterni, concubitus humani seminis coinquinaret. Qui enim hoc astruit, nihil aliud nisi perfidiam Iudaeorum astruit, qui dicunt eum non potuisse nasci ex Virgine. Iam si hanc accipiant a sacerdotibus auctoritatem, ut videatur Maria partus fuisse \* plurimos, maiore studio veritatem fidei expugnare contendent.

PL  
16, 1173  
(1223)

- 629 4. Et ubi est illud, quod scriptum est, dicente Domino ad matrem de Ioanne Evangelista: *Mulier, \* ecce filius tuus;* et rursus ad Ioannem de Maria: *Ecce mater tua?*<sup>3</sup> Quid sibi istud vult, quod cum

PL  
16, 1173  
(1224)  
\*1174

<sup>1</sup> Ps. LXXXVII, 5.

<sup>2</sup> Io. VI, 50.

<sup>3</sup> Io. XIX, 26, 27.

in cruce Dominus positus peccatum mundi tolleret, pronuntiavit etiam de integritate materna? Aut quid aliud dicitur, nisi ut claudat sua ora perfidia, et obmutescat; ne matrem Domini aliquo audeat temerare convicio? Testis est ergo idem arbiter, idem materni pudoris assertor, quod despontata fuerit viro tantummodo Ioseph; nulla tamen coniugalis coitus consuetudine thori iura cognoverit:<sup>1</sup> neque enim eam suscepturam ex Ioseph filios a viri consortio separare voluisse.

5. Sed si hoc parum est, addidit testimonium Evangelista, dicens quod *suscepit eam discipulus in sua.*<sup>2</sup> Numquid ergo divortium fecit? Numquid a viro abduxit atque abstulit? Ergo qui hoc legit in Evangelio, quomodo quasi naufragus titubat et fluctuat?

6. Hoc ergo testamentum filii est de matris integritate, haec Mariae locuples integri pudoris haereditas, hic totius finis consummationis. Denique hoc dixit, et *emisit spiritum,*<sup>3</sup> consummans omne mysterium bono fine pietatis.

## HYMNI

PL  
16, 1410  
(1473)

IV. Veni, redemptor gentium,  
Ostende partum Virginis,  
Miretur omne saeculum:  
Talis decet partus Deum.

Non ex virili semine,  
Sed mystico spiramine,  
Verbum Dei factum caro,  
Fructusque ventris floruit.

Alvus tumescit Virginis,  
Clastrum pudoris permanet  
Vexilla virtutum micant,  
Versatur in templo Deus.

PL  
16, 1412  
(1476)

XII. Fit porta Christi pervia,  
Referta plena gratia,  
Transitque Rex, et permanet  
Clausum, ut fuit, per saecula.

630

631

<sup>1</sup> Matth. I, 18.<sup>2</sup> Io. XIX, 27.<sup>3</sup> Io. XIX, 30.

Genus superni luminis,  
Processit aula virginis,  
Sponsus, redemptor, conditor,  
Suae gigas Ecclesiae.

Honor matris et gaudium,  
Immensa spes credentium,  
Per atra mortis pocula,  
Resolvit nostra crimina.

### APOLOGIA DAVID ALTERA (ca 384)<sup>1</sup>

- 632** Cap. VIII, 43. [...] *Ego flos campi, et lilyum convallium.*<sup>2</sup> De PL  
quo et in Esaia scriptum est: *Et exiet virga de radice Iesse, et virga 14, 905  
ex radice ascendet et flos ex virga exiet.*<sup>3</sup> Radix utique familia Iudeorum  
(947) est, virga Maria, flos Mariae Christus, qui quando nostra  
resplendet in terra, et in agro animae redolet, vel in Ecclesia sua  
vernat, nec frigus possumus timere, nec pluviam vereri, sed ex-  
spectare iudicii diem.

### DE SACRAMENTIS<sup>4</sup>

- 633** Lib. IV, cap. 3, 12. Obtulit ergo Melchisedech panem et vinum. PL  
Quis est Melchisedech? *Sine patre, inquit, sine matre, sine generatio-* 16, 438  
*nis ordine, neque initium dierum, neque finem vitae habens:* hoc habet  
ad Hebraeos epistola.<sup>5</sup> Sine patre, inquit, et sine matre est. Similis  
cui? Filio Dei. Sine matre natus est Dei Filius generatione coelesti,  
quia ex solo Deo Patre natus est: et iterum sine patre natus est,  
quando natus ex Virgine est, non enim ex virili semine generatus est,  
sed natus de Spiritu sancto,<sup>6</sup> et virgine Maria, utero editus virginali,  
similis per omnia Filio Dei.

<sup>1</sup> Eruditi disputant num genuinum sit opus; forsitan per notas audientis  
alicuius ad nos traditum est (cf. PLS I, 569).

<sup>2</sup> Cant. II, 1.

<sup>3</sup> Isa. XI, 1.

<sup>4</sup> Nonnulli inter genuina Ambrosii opera collocant opus hoc (cf. PLS I,  
576). Vide alium locum, Ambrosio attributum, sub titulo *Incensus Auctor*.

<sup>5</sup> Hebr. VII, 2-3.

<sup>6</sup> Matth. I, 20.

DE TRINITATE<sup>1</sup>

<sup>PL  
17, 524  
(552)</sup> Cap. XIII. [...] Mysterium Filius Dei Christus vocatur; quod tamen nativitatem eius secundum carnem, passionem, mortemque significat: sed ista mirabilis et singularis nativitas, qua Christus genitus est, de Spiritu sancto et Maria virgine facta est, sicut fides sancti symboli testatur. Hic ergo unicus in divinitate Filius Dei, etiam in nativitate carnali per quam hominem nostrum, ut salvaret, assumpsit, unicus invenitur; solus est enim natus ex Virgine, quae nec praegnacionem de viro, nec corruptionem sensit ex partu. De sancto ergo Spiritu et Maria virgine secundum carnem eum natum fatemur; sic etenim et beatae Mariae virginis futurum, ut iam dictum est, Gabriel archangelus promiserat dicens: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; et ideo quod nascetur ex te \*sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>2</sup> Qui Filius Dei pro nostra salute sub Pontio Pilato crucifixus est, ac sepultus. Vera ergo caro ex Virgine suscepta, vera crucifixia, vera sepulta, vera est post tertiam diem resuscitata. Ad viscera igitur sacrae Virginis, et suscipiendo inde carnem, et formando illic hominem Spiritus sanctus opifex et sanctificator accessit; ut coniunctione Verbi et hominis a prima informatione perfecte Christus mediator Dei et hominum nasceretur, sine fraude humanitatis, sine corruptione deitatis exoriens: obiturus morte, quia creatus; superaturus autem mortis vincula, quasi creator. Non ergo inter Verbum et assumptum ab eo hominem aliqua separatio dicenda est, quia ex duabus naturis, id est, divina et humana mystica ratione compositis unum Christum Dei Filium confitemur.

<sup>PL  
17, 530  
(559)</sup> Cap. XVII. Haec de imagine Dei, ad quam factus est homo, <sup>635</sup> dicta sufficient. Nunc autem ad ordinem revertamur. Ex matre ergo virgine natus est inter homines, sine homine patre; quia patrem Deum habebat in coelis, quem negare non venerat, \*ut ex alio nasceretur. Propter sententiam ergo Evae virginis,<sup>3</sup> quam post peccatum exceptit, quae cum immortalis esset, post transgressionem effecta mortal is est, ipse per Virginem venit: et sicut per virginem mors dominata est, ita per Mariam virginem venit ille, qui mortem vinceret.

<sup>1</sup> Expositio Fidei saeculo v vel vi conscripta (cf. PLS I, 590).

<sup>2</sup> Lc. I, 35.

<sup>3</sup> Gen. III, 16.

SERMONES S. AMBROSIO HACTENUS ASCRIBTI<sup>3</sup>

- 636**      Sermo XLV. - 1. Audite, fratres charissimi, quale est legis my- PL  
sterium. Primus homo de terra et coelo; secundus de \* coelo et terra:  
<sup>17, 691  
(715)  
\*692</sup>  
hic ex Deo et Maria, qui de terra; ille de terra et Spiritu, qui de  
coelo est. Uterque tamen ex virgine, et sine coitus permixtione est:  
hic ex incorupta, ille ex intacta; quia nullo adhuc semine, nec vo-  
mire fuerat sauciata nec imbre. Per primum vita amissa, per secun-  
dum redditia. Primus acceptam perdidit gratiam, secundus cum vita  
tribuit gratiam: primus suasu virginis cecidit, secundus partu vir-  
ginis, quod iacebat, erexit: primus peccando mortis poenam pro-  
tulit, secundus patiendo indulgentiam contulit: primus pro culpa  
de paradiſo eiectus, secundus pro gloria cruci mundo affixus.
- 637**      2. Ergo malum per feminam, immo per feminam bonum; quia PL  
per Evam cecidimus, per Mariam stamus: per Evam prostrati, erecti  
<sup>17, 692  
(715)</sup>  
per Mariam: per Evam servituti addicti, per Mariam liberi effecti.  
Eva nobis sustulit diuturnitatem, Maria nobis reddidit perpetuita-  
tem: Eva nos damnari fecit per arboris pomum, Maria absolvit per  
arboris donum; quia et Christus in ligno pependit, ut fructus.
4. O sacramentorum, ut diximus, Mariae mysterium, o conclu-  
sam perfidis, et manifestam fidelibus disciplinam! Immortalis mor-  
talem aedificat, parit immortalem; incorporalis terra concluditur,  
corporalis coelo: Deus homo efficitur, sed exhibetur Deus; et hoc  
totum per Adam committitur, et lavatur per Mariam. Ergo felix  
Eva, per quam data est occasio: immo felix Maria, per quam tri-  
buta est curatio: felix Eva, per quam natus est populus; felicior  
Maria, per quam natus est Christus. Igitur alteri melior, immo et  
gloriosae utraeque; quia \* non laetificasset Mariam Christus, nisi  
Evam priorem, de qua nata est ipsa Maria, definxisset: nec venisset  
ad populum, nisi prius illa deliquisset in saeculo. Haec mater hu-  
mani generis dicitur, illa salutis: Eva nos edocuit, roboravit et Maria.
5. Per Evam crescimus, per Mariam regnamus: per Evam se-  
ducti ad terram, per Mariam elevati ad coelum; et ut totum bre-  
viter legis patefaciam sacramentum, et duas in unam fuisse, sicuti  
omnes esse ostendam: in Eva tunc Maria inerat, per Mariam postea  
revelata est Eva.

<sup>3</sup> Ex his, qui inveniuntur etiam in PL 57 inter opera S. Maximi Tauri-  
nen., eligimus Ser. XLV, centonem ex Ambrosii Petrique Chrysologi operibus  
contextum (cf. PLS I, 592). Expositio vero super Apocalypsim non ante  
saeculum IX videtur conscripta (cf. PLS I, 597-598).

LIBELLUS FIDEI<sup>1</sup>

<sup>PLS  
I, 602</sup> [...] Credo Deum nostrum Christum Iesum Dominum Filium 638  
natum de Spiritu Sancto ex Virgine Maria, incorrupta matre incor-  
ruptibilem prolem.

EXHORTATIO AD NEOPHYTOS DE SYMBOLO<sup>2</sup>

<sup>PLS  
I, 610</sup> [...] *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*<sup>3</sup> hoc est homo 639  
factus voluntate misericordiae et obedientia pietatis, pro salute  
nostra consentiens Patri, ut opus commune servaret ineffabili sa-  
cramento et salutari mysterio, per omnipotentiae virtutem, coope-  
rante Patre et Spiritu sancto, conceptus a virgine et natus ex vir-  
gine. Huius quidem nativitatis arcanum cui unquam creaturae in  
terris aut in coelis revelatum, nisi hominibus per unum prophetam,  
qui ante saecula operis huius praedixerat sacramentum: *Ecce virgo  
accipiet in utero et pariet filium?*<sup>4</sup> Et deinde ipsi beatae Mariae per  
unum Archangelum ex ore divino ad eam missum, ut ei conceptio-  
nen partumque divini pignoris nuntiaret, scilicet ne, tanti ignara  
mysterii, ad insperatum corporis inviolati tumorem puella expa-  
vesceret, et, causam insolitae conceptionis ignorans, valetudinis  
propriae crederet esse prodigium, si nesciret, opus esse divinum,  
hominem sine homine, sed cum Deo esse conceptum et in utero de  
carnis sua materia sine carnis semine fabricandum, ut ineffabili  
generationis sacramento ipse esset in Virgine creator sui, qui se per  
Spiritum sanctum operabatur creandum. Itaque hunc Filium Dei  
et filium hominis credite et confitemini, sed Filium Dei ex Deo et  
filium hominis ex matre, ita ut sine matre filius Dei et sine patre  
sit filius hominis, quia nec corporis sexus Deo, nec viri coitus in  
virgine. Hunc Dominum maiestatis ut perfectum Deum secundum  
naturam et formam Dei Patris credimus, et perfectum hominem ex  
matre virgine.

<sup>1</sup> Antiquus scriptor, nobis ignotus, ex Ambrosii libris hunc libellum com-  
posuit (cf. PLS I, 600).

<sup>2</sup> Vide PLS I, 600.

<sup>3</sup> Io. I, 14.

<sup>4</sup> Isa. VII, 14.

DE PUDICITIA ET CASTITATE<sup>1</sup>

640 Ab origine mundi castitas Deo placuit, ut de intacta virgine et <sup>PL.</sup>  
<sub>I, 6.</sub> sine concupiscentia carnis nasceretur Iesus.

## AMBROSIASTER (saec. IV)

Commentarius in Epistolas Paulinas<sup>2</sup>AD ROMANOS<sup>3</sup>

641 Cap. I, 3. [...] *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* <sup>CSEL</sup>  
<sub>81 I, 14</sub>

2. Eum qui erat Dei filius secundum sanctum Spiritum (id est secundum Deum, quia Deus spiritus est et sine dubio sanctus est), factum dicit iuxta carnem Dei filium ex semine David iuxta illud: *et verbum caro factum est,*<sup>4</sup> ut iam unus sit (et) Dei [filius] et hominis Dei Filius (Christus Iesus). Qui enim ex aeterno Dei Filius erat, ignorabatur autem a creatura, dum vult (autem) manifestari pro humana salute, visibilis debuit et corporeus fieri, quia et cognosci se voluit per virtutem et hominem peccatis abluere in carne morte devicta. Et ideo ex semine David fit, ut sicut de Deo rex ante saecula natus est, ita et secundum carnem ex rege ortum caperet, [factus opere Spiritus sancti] de (ex) virgine [hoc est] natus, ut reverentia ei reservata ex hoc ultra hominem cognosceretur, qui ab humanae legis nativitate distaret, sicut praedictum fuerat ab Esaia profeta: *Ecce virgo in utero concipiet*<sup>5</sup> et cetera, ut cum novum fa-

<sup>1</sup> Vide PLS I, 601.

<sup>2</sup> Romae scriptus inter 366 et 384. Extat in App. op. S. Ambrosii, PL 17, 45-58. Cf. Al 405. Quaestio de persona Auctoris inexplicata est ad hodiernum diem.

<sup>3</sup> Recensionem referimus antiquiorem, sc.  $\alpha$  et  $\beta$ , quam optime curavit cl. H. I. Vogels.

<sup>4</sup> Io. I, 14.

<sup>5</sup> Isa. VII, 14.

● PL 14, 233, 318, 320, 479, 513, 521, 694, 818, 821, 832, 860, 864, 882, 901, 943, 973, 1011, 1014, 1020, 1064, 1142, 1145, 1169, 1173, 1191.

● PL 15, 1206, 1210, 1220, 1223, 1259, 1263, 1269, 1289, 1300, 1334, 1361, 1366, 1380, 1387, 1391, 1410, 1449, 1461, 1481, 1532, 1547, 1564, 1571, 1573, 1575, 1577, 1607, 1782, 1812, 1838.

● PL 16, 102, 211, 212, 223, 235, 242, 271, 277, 281, 283, 330, 331, 364, 396, 426, 441, 455, 550, 552, 573, 599, 625, 656, 657, 660, 671, 681, 683, 694, 717, 725, 730, 806, 815, 820, 848, 895, 896, 1015, 1056, 1128, 1152, 1227, 1236, 1294, 1401, 1411.

● PL 17, 119, 188, 190, 192, 196, 265, 359, 424, 522, 524, 528, 565, 696.

● CCL XIV, 6, 23, 53, 54, 58, 99, 318, 354, 384.,

● PLS I, 594, 607.

## ANASTASIUS II PP. († 498)

## EPISTOLA AD URSICINUM

<sup>PLS</sup>  
<sup>III, 793</sup> 2. Confitemur ergo, Dominum nostrum Iesum Christum Filium 1382

Dei unigenitum ante omnia quidem saecula sine principio ex Patre natum secundum deitatem, novissimis autem diebus de sancta virgine Maria eumdem incarnatum et perfectum hominem ex anima rationali et corporis susceptione, homousion Patri secundum deitatem, et homousion nobis secundum humanitatem. Duarum enim naturarum perfectarum unitas facta est ineffabiliter, propter quod unum Christum, eumdem Filium Dei et hominis unigenitum \* a Patre, et primogenitum ex mortuis confitemur; scientes, quod quidem coaeternus sit suo Patri secundum divinitatem, secundum quam opifex est omnium, et dignatus est post consensionem sanctae Virginis, quem dixit ad angelum: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*,<sup>1</sup> ineffabiliter sibi ex ipsa aedificare templum, et statim sibi univit, quod non coaeternum de sua substantia e coelo detulit corpus, sed ex massa nostrae substantiae, hoc est ex virgine.

## PELAGIUS Britannus (saec. IV-V)

## IN EPISTOLAM AD GALAT[H]AS

<sup>PLS</sup>  
<sup>I, 1273</sup> [...] 19. *Alium autem apostolorum vidi neminem. Ne [vel] ab aliis didicisse videretur. Nisi Iacobum fratrem Domini.* Contra eos qui dicunt beatam Mariam alios filios habuisse, quia duos Iacobos apostolos fuisse legimus, unum Alphaei et alterum Zebedaei, neminem Mariæ vel Ioseph, sed fratres Domini de propinquitate dicuntur. 1383

TRACTATUS DE DIVITIIS <sup>2</sup>

<sup>PLS</sup>  
<sup>I, 1400</sup> XI. [...]. 8. Illo etiam utuntur <sup>3</sup> exemplo, quod in beati Iohannis evangelio de matre Domini continetur: *Et suscepit illam discipulus ille in sua.*<sup>4</sup> In qua bona, inquiunt. Primum quaero, quae bona piscautor in aliena provincia habere potuerit, qui nec in sua satis idoneus fuisse credendus est, etiamsi nihilum contempsisset. De sancto enim

<sup>1</sup> Lc. I, 38.

<sup>2</sup> Tribuitur etiam Sixto III PP. (cf. PLS I, 1104).

<sup>3</sup> Divitiarum patroni.

<sup>4</sup> Io. XIX, 27.

significantia sunt agni immaculati qui sacrificium Deo offerri habebat quod in prima pascha conceptionis suae in utero matris non eum oportuisset occidi. Et ideo Ioseph sciens praegnantem esse Mariam ne tamquam stuprata aut adultera lapidibus interficeretur *clam eam dimittere voluit;*<sup>1</sup> ut vero non occideretur agnus immaculatus in lacte matris suae: sed inter haec ascendit, inquit, Maria ad Elisabeth visitare eam post mense sexto conceptionis eius.<sup>2</sup> Tunc et Cohannes inspiratus est et fecit ibi Maria cum Elizabeth menses alios tres. Et sic expletis novem mensibus in mense decimo peperit Iohannem octavo kalendas iulii qui est nonus mensis a septembre et quartus a martio inchoationis anni, de quo propheta Zacharias dixerat *ieiunium quartum esse domui Iuda in laetitiam et gaudium.*<sup>3</sup>

PLS  
I, 563

[...] Nam Christus vero qui in nativitate Ioannis iam trium mensium incorruptae vulvae fuerat conceptus, supererant ei, ut et ipse secundum humanam nativitatem suppleret menses novem, alii menses sex.

672

## ANONYMUS (saec. IV)

CARMEN<sup>4</sup>

[...] Ne tamen insignem res nulla ostenderet ortum,  
Virgine conciperis: non sufficit esse pudicam,  
Nec quae nupta queat Domino coniungere fratrem,  
Ne procul ex utero contagio turpis abesset.  
Mox ubi processu felix maturuit aetas,  
Indociles animos monitis servare paternis  
Aggrederis, rectamque viam labentibus offers.

673

## FIRMICUS MATERNUS, IULIUS (saec. IV)

## DE ERRORE PROFANARUM RELIGIONUM (343-350)

PL  
12, 1038 Cap. XXVI. [...] Ex virginis terrae limo factus Adam praevacratione propria promissam perdidit vitam. Per virginem Mariam ac Spiritum sanctum Christus natus, et immortalitatem accepit et regnum. [...] Deus Abrahae clarius a coeli sideribus promiserat re-

674

<sup>1</sup> Matth. I, 19.<sup>2</sup> Cf. Lc. I, 39 et 36.<sup>3</sup> Cf. Zach. VIII, 19.<sup>4</sup> Quarto ineunte saeculo in Africa scriptum (PLS I, 180).

● PLS I, 543, 544, 554, 563.

pedum suorum, secundum quod et Apostolus dicit: *Cum evacuaverit omnem principatum, potestatem et virtutem, tunc oportet illum regnare donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus eius.*<sup>1</sup> Cuius inimicos si interrogas, respondebit tibi, eius sine dubio cuius virgam virtutis misit Dominus ex Sion. Virga virtutis, hominis corpus est ex Virgine nati, quam virgam ex Sion misit Dominus, ut dominetur in medio inimicorum suorum. Non ergo sicut damnabilis Photinus credit, ex Mariae partu sumpsit exordium, sed ante luciferum est ex Patris ore progenitus.

<sup>PL 53, 505</sup> Psalmus CXVII. [...] Veniamus nunc ad lapidem quem reproba-  
verunt aedificantes. Hic *lapis* legitur in Daniele *excisus sine manibus*,<sup>2</sup>  
id est, sine opera viri natus ex Virgine. Aedificantes erant Iudei soli  
super universam faciem terrae.

1319

## ANONYMUS (saec. V)

PRAEDESTINATUS SEU PRAEDESTINATORUM HAERESIS<sup>3</sup>

<sup>PL 53, 590</sup> Liber I, XI. Undecima haeresis Valentianorum, a Valentino.  
<sup>\*591</sup> \* Hi per Orientem dispersi graviter Dei Ecclesiam vulnerarunt, dicen-  
tes profundum et altum secum commixta. Ex quibus duobus, velut  
ex coniugio, mundum processisse: altum dicentes Patrem, profun-  
dum Filium, eumque nihil assumpsisse de Maria virgine; sed illum,  
tanquam aquam per rivum aut fistulam, sine ulla carnis assump-  
tione transisse. Carnis autem resurrectionem omnimodis denegantes.  
Hos anathematizavit beatus Zacchaeus Caesariensis episcopus, do-  
cens Dominum nostrum Iesum Christum, Deum verum verumque  
hominem, per virginea secreta transisse, ex semine David secundum  
carnem, sed hominem vere natum, vere passum, vere mortuum, vere  
resurrexisse a mortuis, et vere ascendisse in coelis.

<sup>PL 53, 606</sup> LV. Quinquagesima et quinta haeresis Apollinaristarum est, ab  
Apollinare inchoata. Negant hominem perfectum in Christo, sed as-  
sumptionem carnis ita factam, ut intus in homine pro anima divinitas  
esset. Carnem autem et Verbum unius eiusdemque voluit docere sub-  
stantiae. Contentiosissime afferentes: *Verbum caro factum est*,<sup>4</sup> volunt

1320

1321

<sup>1</sup> I Cor. XV, 24-25.<sup>2</sup> Dan. II, 34.<sup>3</sup> J. Sirmond auctorem esse Arnobium iuniorem affirmit; idem affirmit G. Morin; alii probabilius attribuunt opus hoc Iuliano Aeclanensi (cf. PLS III, 220 clavis 243).<sup>4</sup> Io. I, 14.● PL 53, 271, 273, 282, 289, 291, 292, 294, 299, 301, 302, 304, 316, 367,  
388, 391, 424, 449, 452, 455, 501, 519, 520, 521.

docere aliquid de Verbo in carnem conversum. Insuper etiam de Mariae carne nihil esse susceptum in incarnatione Domini nostri Iesu Christi confirmant. Egit contra hunc synodus in Antiochia.

**1322** LXXXIV. Octogesimam et quartam haeresim Helvidianos occupasse ab Helvidio memoramus. Qui ita virginitati sanctae Mariae contradicunt, ut eam dicant de Ioseph post nativitatem Christi alias filios peperisse. Isti quidem nuper, id est sub Siricio Romanorum antistite orti sunt, et per Italiam atque Gallias direxerunt suos discipulos. Contra hos scripsit Hieronymus doctor egregius duos libros, quos lectos in tempore digna eos exsecratione anathematizabant. Epiphanius autem noster, scrutator haereticorum, scribens contra hos libellum, qui in illo tempore hanc blasphemias plenam assertiōnem proferebant, Antidicomaritas eos censuit appellari.

PL  
53, 616

**1323** LXXXIX. Octogesimam et nonam haeresim Nestorius Constantinopolites episcopus legitur incurrisse. Consuetudo est namque ut unum tractatum suum episcopus Alexandrinus mittat ad Constantinopolim, qui recitetur in pascha; et tractatum suum Constantinopolites, qui Alexandriae recitetur. In tractatu suo Constantinopolites Nestorius scripsit Mariam non esse Theotocon, sed Christotocon: id est, non Deum peperisse, sed hominem. Cyrillus Alexandrinus hoc dictum ita reprehendit, quo diceret per epistolam, ut si eum forte fefelleret, emendaret dictum. Ex hoc ipso quo reprehensus est Nestorius a Cirillo, coepit Ciryllum haereticum in clamare. Data est synodus apud Ephesum; et nec sic emendare voluit Nestorius, ut diceret Mariam Deum et hominem genuisse, \* sed solum, inquit, hominem. Si enim dixerimus quia Deum genuit, fecimus matrem Deum, sicut gentiles. Maria ergo, inquit, templum Deo genuit, non ipsum qui in templo habitat. Accepit induci ut aut damnaret dictum, et rediret ad se dem suam episcopus; aut si damnare noluisset, postea redire non posset. Noluit, et in eadem confessione permansit. Hunc synodus apud Ephesum damnavit: in qua damnatione Romanus papa Coelestinus scripsit, et omnes cum eo pariter Orientales atque Occidentales episcopi subscripserunt.

PL  
53, 619

\*620

- PL 53, 589, 590, 594, 600, 612.

εῖχε τόπον οἰκήματος, ἐπειδὴ «πλούσιος ὅν, ἔκουσίως ἐπτώχευσεν». Οὐκ εἶχε τόπον· ποῖος γάρ ἀν καὶ τόπος τὸν ὑπέρ τόπον ἔχωρησεν;

343 5. [...] Ἐκεῖ μετὰ τῆς ἐπὶ τῶν Χερουδίμ καθέδρας καὶ ἡ ἐν τοῖς κόλποις τοῦ Πατρός ἐνταῦθα, μετὰ τῆς ἐν τῇ φάτνῃ, καὶ ἡ ἐν ταῖς ἀγκάλαις ταῖς μητρικαῖς· θρόνος δὲ καὶ οὗτος ἀληθῶς βασιλικός, θρόνος καὶ αὐτὸς ἔνδοξος, θρόνος ἄγιος, θρόνος τὸν ἄγιον τῶν ἀγίων ἐπὶ γῆς βαστάζειν μόνος ἀξιος.

factus est.<sup>1</sup> Non habebat locum: quis enim locus capere posset eum,  
343 qui omnem locum excedit?

5. [...] Illic, una cum illa quae est super Cherubim, et sedes illi est in sinu Patris; hic, cum illa, quae est in praesepio, et illa, quae in ulnis maternis. Iste thronus vere regius, thronus iste gloriosus, thronus sanctus, thronus solus dignus qui Sanctum sanctorum in terra gestaret.

### ANONYMUS<sup>2</sup> (saec. V-VI)

#### TRACTATUS DE PARTU SANCTAE MARIAE

PLS IV, 941 Sunt quidam qui dicunt fieri non posse ut Christus de Maria nascetur, [hoc] asserentes eo quod illa pars corporis fuerit turpis. Istud tamen autumat mens insana et blasphema nesciens quid loquatur, cum etiam si aliquid ibi immundi esset, sua praesentia Dominus lustrans purificaret. Intendat itaque solem ubique radios suos mittentem, in cloacis, in locis etiam squalidissimis. Ecce sol mittit radium suum in cloacam; cloaca siccatur, radius solis non coinquinatur.

1452

Item alia similitudo. Anima tua impia, anima quae ista talia confingit, ubi est? Numquid tantum in oculis, in capite, in manibus, sive in ventre, et non etiam in intestinis tuis est, ubi sunt stercorea tua? Dic mihi, quaeso, ecce anima tua in intestinis tuis est, ubi sunt stercorea tua. Stulte, anima tua non coinquinatur ab stercore tuo, et Deus inquinari potuit ab opere suo?

Sunt ergo qui dicunt quia post partum sancta Maria haberit filios ex Ioseph post partum Domini, quod extraneum est ab ecclesia catholica. Quibus breviter sic respondetur. Genitalia, ex quibus in mundum procedimus, portae dicuntur, et non tantum dicuntur, sed etiam scribuntur. Sic enim sanctus Iob dixit de die nativitatis ubi maledicit: *Qui non, inquit, conclusit portas ventris matris meae, ut me non pareret.*<sup>3</sup> Ergo, ut superius diximus, ex Scripturis abproba-

<sup>1</sup> II Cor. VIII, 9.

<sup>2</sup> Africanus videtur (cf. PLS IV, 906).

<sup>3</sup> Iob. III, 10.

bimus quid portae sint. Iam advertite, fratres, quomodo porta per quam egressus est Dominus semper fuerit clausa. Sic dicit propheta: *Converti me, inquit, ad viam portae sanctuarii exteriorem, quae respicit ad orientem, et haec erat clausa. Et dixit Dominus ad me: Porta haec clausa erit, et non aperietur, et vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israhel egressus est per \*eam, ideo erit clausa semper.*<sup>1</sup> Ecce, fratres, ubi evidenter ostenditur, quia sancta Maria semper virgo fuerit et virgo permanserit, virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum. Concepit et virgo est, generat et virgo est, lactat et virgo est. Maria mater esse potuit, mulier esse non potuit. Intumescunt ubera virginis, et intacta manent genitalia matris. Utique corrumpi non potuit quae integritatem genuit. Magnum meritum, fratres, magnum donum, magna gratia. Creatura peperit cratorem, ancilla peperit Dominum, filia peperit patrem, filia divinitatis, mater humanitatis, quia Dominus noster Iesus Cristus duas habuit nativitates, ambas quidem mirabiles: unam de Patris aequalitate, alteram de matris infirmitate, natus de Patre sine tempore, de matre sine semine, quia *verbum caro factum est, et habitavit in nobis.*<sup>2</sup>

### ANONYMUS<sup>3</sup>

#### SERMO DE QUADRAGESIMA

1453

[...] Famis enim amica virginitatis est, inimica lasciviae; saturitas vero castitatem perdit nutrix inlecebram. Igitur, sicut dixi, hoc agit Dominus ut his praeiudiciis quibus homo obnoxius peccati fuerat liberetur. Propterea namque per omnia secundum similitudinem Adae omnia hominis peccata dissolverit. Adam enim de terra virgine natus est et Christus de Maria virgine procreatus. Illius maternum solum rostris needum scissum fuerat, istius maternum secretum numquam concupiscentia violatum. *Adam Dei manibus plasmatus est de limo;*<sup>4</sup> Christus Dei spiritu formatus in utero. Uterque ergo oritur Patre, uterque virgine utitur matre, uterque, sicut evangeliista dicit, *filius Dei est,*<sup>5</sup> sed Adam creatura Dei est, Dei filius Christus vera substantia.

PLS  
IV, 952<sup>1</sup> Ezech. XLIV, 1-2.<sup>2</sup> Io. I, 14.<sup>3</sup> Tempore Patrum (cf. PLS IV, 950).<sup>4</sup> Gen. II, 7.<sup>5</sup> Lc. III, 38.

bimus quid portae sint. Iam advertite, fratres, quomodo porta per quam egressus est Dominus semper fuerit clausa. Sic dicit propheta: *Converti me, inquit, ad viam portae sanctuarii exteriorem, quae respicit ad orientem, et haec erat clausa. Et dixit Dominus ad me: Porta haec clausa erit, et non aperietur, et vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israhel egressus est per \*eam, ideo erit clausa semper.*<sup>1</sup> Ecce, fratres, ubi evidenter ostenditur, quia sancta Maria semper virgo fuerit et virgo permanserit, virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum. Concepit et virgo est, generat et virgo est, lactat et virgo est. Maria mater esse potuit, mulier esse non potuit. Intumescunt ubera virginis, et intacta manent genitalia matris. Utique corrumpi non potuit quae integritatem genuit. Magnum meritum, fratres, magnum donum, magna gratia. Creatura peperit cratorem, ancilla peperit Dominum, filia peperit patrem, filia divinitatis, mater humanitatis, quia Dominus noster Iesus Cristus duas habuit nativitates, ambas quidem mirabiles: unam de Patris aequalitate, alteram de matris infirmitate, natus de Patre sine tempore, de matre sine semine, quia *verbum caro factum est, et habitavit in nobis.*<sup>2</sup>

### ANONYMUS<sup>3</sup>

#### SERMO DE QUADRAGESIMA

1453

[...] Famis enim amica virginitatis est, inimica lasciviae; saturitas vero castitatem perdit nutrix inlecebram. Igitur, sicut dixi, hoc agit Dominus ut his praeiudiciis quibus homo obnoxius peccati fuerat liberetur. Propterea namque per omnia secundum similitudinem Adae omnia hominis peccata dissolverit. Adam enim de terra virgine natus est et Christus de Maria virgine procreatus. Illius maternum solum rostris needum scissum fuerat, istius maternum secretum numquam concupiscentia violatum. *Adam Dei manibus plasmatus est de limo;*<sup>4</sup> Christus Dei spiritu formatus in utero. Uterque ergo oritur Patre, uterque virgine utitur matre, uterque, sicut evangeliista dicit, *filius Dei est,*<sup>5</sup> sed Adam creatura Dei est, Dei filius Christus vera substantia.

PLS  
IV, 952<sup>1</sup> Ezech. XLIV, 1-2.<sup>2</sup> Io. I, 14.<sup>3</sup> Tempore Patrum (cf. PLS IV, 950).<sup>4</sup> Gen. II, 7.<sup>5</sup> Lc. III, 38.

*Puer natus est nobis, et filius datus est nobis, cuius potestas in humeris eius, et vocabitur magni consilii angelus, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Dominator, Princeps pacis, Pater futuri saeculi.<sup>1</sup> Nunquid haec te nescire credibile est? Nisi forte contrariam illis a te prolatis evangelicis testimoniis prophetae sententiam iudicas?*

### S. IUSTUS Urgellensis (saec. VI)

#### IN CANTICA CANTICORUM EXPLANATIO

<sup>PL 67, 983</sup> Cap. VI, num. 132. *Dilectus meus descendit ad hortum:*<sup>2</sup> De- 1620  
scendit ad hortum suum, quando visitavit in adventu suo Israël  
populum suum, sicut ipse ait: *Non sum missus nisi ad oves quae  
perierunt domus Israël.*<sup>3</sup> Areolam autem aromatis, ipsam S. Ma-  
riam Virginem intelligendam accipimus: ex ea quippe nobis ordo  
iustitiae ortus est Dominus Iesus Christus.

### ARATOR (saec. VI)

#### DE ACTIBUS APOSTOLORUM (540)

<sup>PL 68, 93</sup> Lib. I. [...] Virgine matre satus, calcata morte resurgens, 1621  
Coeli sceptrum petens, his nuntiat acta ministris.  
<sup>\*94</sup> \* Nec cessant elementa suo servire Tonanti:  
Stella, comes praegressa Magos, venientis honori  
Militat: obsequio nubes famulatur euntis.  
Angelicis igitur postquam est affatibus usa,  
Liquit oliviferi veneranda cacumina montis,  
<sup>\*95</sup> \* Ad messem praelecta manus, qui, calle citato,  
Moenia nota petunt, quo per sua sabbata mille  
Passibus ire licet, qua tunc statione sedebat  
Porta, Maria, Dei genitrix intacta creantis,  
<sup>\*96</sup> \* A nato formata suo; mala criminis Evaë  
Virgo secunda fugat; nulla est iniuria sexus;

<sup>1</sup> Isa. IX, 6.

<sup>2</sup> Cant. VI, 1.

<sup>3</sup> Matth. XV, 24.

- PL 67, 968, 981, 989: PG 86, 776.
- EUSTATHIUS Monachus (saec. vi): PG 86, 905, 913.
- S. GREGENTIUS Tapharensis (saec. vi): PG 86, 648, 652, 656, 657, 669, 672, 681, 709.
- PG 86, 79, 81, 83, 89, 91, 122, ss., 129 ss.

Restituit quod prima tulit. Non voce querelas  
 \* Excitet, aut gemitu moerentia corda fatiget  
 Antiqua pro lege dolor; scelera ipsa nefasque  
 Hac potius mercede placent, mundoque redempto  
 Sors melior de clade venit; persona ruinam,  
 Non natura, dedit; tunc femina feta periculum,  
 Nunc tumuit paritura Deum, mortalia gignens,  
 Et divina ferens, per quam Mediator in orbem  
 Prodiit, et veram portavit ad aethera carnem.

\*97

- 1622** Lib. II. [...] Davidica nam stirpe satus, genitrice Maria, PL 68, 179  
 Christus adest, quem tota canunt oracula vatum  
 Venturum sub carne Deum, seseque creantem  
 Virgineos intrare sinus.
- 1623** Corporis ille locus, quo circumciditur Abram, PL 68, 190  
 Luxuriam lascivus habet, vitique minister  
 Naturae sub lege iacet, pater ipse futurus  
 Seminis, unde salus ad vitam pullulat orbis,  
 Evacuat, quod culpa gravat, truncata libido  
 Virgineum promittit opus; haec namque propago  
 Divinum concepit iter; hinc sacra Maria est  
 Ad partum generata novum, quae, coniugis expers,  
 \* Mater inest, natusque Dei de Virginis alvo  
 Emicat, atque hominem mediator in omnia complet,  
 Hinc terrena levans, illic coelestia praestans.
- 1624** [...] Quantum tua, Christe, potestas PL 68, 219  
 in famulis operata facit! Tu redditus astris,  
 Aequalisque Patri de maiestate perenni  
 Iura superna regis; sed quod caro, corpore matris  
 Virginis orta tibi, regnum spoliavit Averni,  
 Vivaque de proprio revocasti membra sepulcro,  
 Teque probans voluisse mori, qua parte resurgis,  
 Et qua natus eras, iam ferrea vincula solvis.

### SERMONES AFRICANI<sup>1</sup> (saec. VI)

- 1625** Sermo 4. [...] Audisti virtutes, sensisti potentiam? Deum fatere qui missus est. Hunc per castos auditus virgo Maria incorrupto pudore concepit et solo verbo pregnata Deum Christum gennit incorrupta. Sed dum secum virgo angelo nuntiante tanti conceptus

PLS III, 1417

<sup>1</sup> Cf. PLS III, 1412.

• PL 68, 186.

Mater Sion, ut quidam volunt, Maria significatur, in qua natus est homo Christus, ipsius quoque matris creator.

<sup>PL 50, 796</sup> Quomodo accipiendum est quod Dominus Iesus Christus *David filius*<sup>1</sup> dicitur, enim utique natus non sit ex Ioseph, qui ex David stirpe descendit?

In coniugium tunc Iudei secundum legem de consanguinitate proximas assumebant. Nec dubitandum est quod haec ratione etiam Maria ex eadem tribu veniens, sicut Ioseph ex David stirpe descendit, immo processerit. Ideo autem per generationem Ioseph origo Mariae significatur quia consuetudo Scripturarum est, virorum potius quam feminarum seriem in generatione contexere. Cuius Mariae quia *cognata*, sicut legitur, fuit *Elizabeth*,<sup>2</sup> quae fuisse scribitur *de filiabus Aaron*,<sup>3</sup> manifestissimum est, quod in Christo secundum carnem ex utroque genere convenerit, regum scilicet sacerdotumque successio.

<sup>PL 50, 797</sup> Quare in Evangelio *Maria Ioseph coniux dicitur*?<sup>4</sup> 1300  
Consuetudo est Scripturae, ut etiam sponsas appellent uxores.

<sup>PL 50, 813</sup> Lib. II, cap. I. [...] Maria, illuminata, sive stella maris: sed sermone Syro, domina. 1301

## ARNOBIUS Iunior († post 455)

### CONFICTUS<sup>5</sup>

<sup>PL 53, 242</sup> Lib. I, cap. III. [...] *Arnobius dixit*: Deum Iudei sic praedicant solum, ut negent Filium eius; negent simul cum eo unum esse, qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine. — *Serapion dixit*: Iste qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, ipse unus an est alius? — *Arnobius dixit*: In Deitate unus, in generatione vero sic est alius, ut Deus unus esse non ccesset Pater et Filius. Deus enim tune vere unus creditur, et integra in eo Divinitas non negatur. 1302

<sup>PL 53, 272</sup> Cap. XVIII. [...] Quicumque ergo negat Deum esse in Christo, id est, in homine, hic Antichristus est.<sup>6</sup> [...] Similiter qui duos filios

<sup>1</sup> Matth. I, 1.

<sup>2</sup> Lc. I, 36.

<sup>3</sup> Lc. I, 5.

<sup>4</sup> Matth. I, 20.

<sup>5</sup> Arnobii Catholici et Serapionis CONFICTUS de Deo Trino et Uno: de duabus in Christo substantiis in unitate personae; de gratiae et liberi arbitrii concordia.

<sup>6</sup> I Io. II, 22.

• PL 50, 734.

Dei ausus fuerit cogitare vel credere, unum qui ante tempora ex Pater genitus est sine matre, et alium qui natus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, aeterno anathemate ferietur.

- 1304** Lib. II, I. [...] – *Arnobius dixit*: In ea forma, in qua Filius Patris est sine matre, ipse et Pater unum sunt: in ea vero forma, in qua Filius matris est sine Pater, Pater minor est. Naturam enim servilem assumpsit, in qua non solum Deo Pater minor esset, sed et matre tantum minor esset, quantum matris Virginis annositas exstitisset. PL  
53, 273

- 1305** III. *Serapion dixit*: At per hoc duo sunt filii Dei, cum dicis, Deus, Deus est; et homo, homo est; Deus verus, verusque homo duo sunt. – *Arnobius dixit*: Duae sunt substantiae in uno Filio Dei. Hic enim unus Filius Patris, qui fecit primum hominem de limo terrae virginis. Cum timore Dei et interrogare \* te et audire oportet. – *Serapion dixit*: \*<sup>275</sup> Quare hoc dicis? – *Arnobius dixit*: Quia quasi plausibilem fuisse te existimas, cum dicis duos filios Dei esse, unum de Patre sine matre, et alium de matre sine patre. Cum ego tibi dixerim Deum per omnipotentiam suam formam servi assumpsisse in utero Virginis, et cum eo sumpsisse temporalem originem. Non habet hunc Filium Dei, qui penitus temporalem non habet. – *Serapion dixit*: Tu dixisti alterum Virginis filium praeter Christum. – *Arnobius dixit*: Non dixi alterum Virginis filium praeter Christum, sed dixi: Hic qui de limo terrae virginis primum hominem fecit, ipse in utero Virginis sanctae hominem in quo ipse habitaret sua incomprehensibili omnipotentia fabricavit, secundum quod legimus: *Sapientia aedificavit sibi domum*.<sup>1</sup> – *Serapion dixit*: Quis est qui fabricavit sibi in utero Virginis hominem? – *Arnobius dixit*: Filius Dei Patris invisibilis fabricavit sibi hominem, in quo, quasi in domo incomparabili manens, ipse fieret visibilis sanctis. – *Serapion dixit*: Ergo visibilis factus est? – *Arnobius dixit*: Non dixi visibilis factus est tantum: sed dixi, visibilis factus sanctis, hoc est creditibus, ut *per fidem* videretur, *non per speciem*<sup>2</sup> secundum hoc quod legimus: *Vidimus, et non habebat speciem*.<sup>3</sup>

- 1306** Cap. VIII. [...] – *Serapion dixit*: Ex quo tempore Dealitas in hominem, quem assumpsit, advenit? – *Arnobius dixit*: Ex qua hora Gabriel angelus verbum eiecit, et illa credendo concepit. – *Serapion dixit*: Ergo simul conceptus est. – *Arnobius dixit*: Dum conceiperetur verbo homo in utero, qui eum fabricaverat, et adhuc fabricabat, ut in eo maneret, et ibi erat is qui initium nunquam habuit, in eo qui initium essentiae suae in utero Virginis assumebat. – *Serapion dixit*: Ergo

<sup>1</sup> Prov. IX, 1.

<sup>2</sup> I Cor. XIII, 12.

<sup>3</sup> Isa. LIII, 2.

Deus et patrem et matrem habet. *Arnobius dixit:* – Patrem habet Filius Dei, qui eum genuit ante tempora sine matre; et matrem habet Virginem, quae illum concepit et peperit sine homine patre. – *Serapion dixit:* Ergo mater Dei est. – *Arnobius dixit:* Mater Christi et Dei. – *Serapion dixit:* Quid est Christi et Dei? – *Arnobius dixit:* Dei, qui cum initium non haberet, tamen nascendo initium assumpsit cum Christo. Christus enim sine Deo similis est christis aliis qui ante eum fuerunt. Christus autem Deus noster similem per naturam penitus non habet; praeter ipsum enim nullus est Christus et Deus. – *Serapion dixit:* Quid ergo in partu Mariae natum credis? – *Arnobius dixit:* Hominem, qui nunquam fuit, cum Deo qui semper fuit. – *Serapion \*respondit:* Maria ergo mater hominis, et non Dei est. – *Arnobius dixit:* Per hominem de Spiritu sancto conceptum et natum meruit etiam eius mater fieri, qui ita fuit semper, ut et non fuerit tempus quando non fuit. – *Serapion dixit:* Ergo Nestorii sectam sequeris. *Arnobius dixit:* Nestorius Θεοτόκον negavit, quam et Χριστοτόκον credo. *Serapion respondit:* Si illum creavit ex se qui ante non fuit, illum sine dubio non creavit qui semper fuit. *Arnobius dixit:* Si ad rationes humanas vadis, et fidem tecum non ducas, vadis, vacuus redis, et semper vacuus permanebis. *Serapion dixit:* Si scis quia non possum et ego tecum iniuriose loqui, loquere iniuriose. – *Arnobius dixit:* Iniuria esset, si non, ut vides, causa exigeret ut hoc tibi dicerem. – *Serapion dixit:* Quae causa hoc exigit sciamus. – *Arnobius dixit:* Quomodo totum quod circa Mariam gestum est rationem hanc habet primam, ut credas; si verocationem habeas, et fidem non habeas, vacua erit ratio tua. – *Serapion dixit:* Aut ratio, ratio, aut fides, fides erit. – *Arnobius dixit:* Non potest fides sine ratione in hac parte, nec ratio sine fide subsistere. – *Serapion dixit:* Et quae ratio poterit me docere quod Virgo concepit, Virgo peperit; Virgo post partum permansit? – *Arnobius dixit:* Haec ratio est Deus omnipotens. – *Serapion dixit:* Ego tecum de puella ago. – *Arnobius dixit:* Ego tecum de Omnipotente ago. Dicas mihi. Qui fecit coelum et terram, et omnia quae in eis sunt, Omnipotens ipse est, an non Omnipotens? – *Serapion dixit:* Semper aliud proponis, ut aliud tibi agere liceat, et non ad interrogata respondeas. – *Arnobius dixit:* Ego interrogationi tuae studens respondere, interrogo te. Die mihi, Deus est omnipotens, an non? – *Serapion dixit:* Qui hoc negat, nihil illo stultius est. Scriptum est: *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.*<sup>1</sup> – *Arnobius dixit:* Filius ergo Dei per omnipotentiam suam hoc facere voluit, ut efficeretur filius hominis. – *Serapion dixit:* – Cuius hominis? – *\*Arnobius dixit:* Mariae. – *Sera-*

\*281

<sup>1</sup> Ps. LII, 1.

*pion dixit:* Ergo hoc voluit quasi putative, et non veraciter. – *Arnobius dixit:* In Deo nihil putativum, nihil fantasticum, nihil mendacii existit. – *Serapion dixit:* Unum e duobus stare non potest, quia Maria aut Θεοτόκος erit eadem genitrix; aut Χριστοτόκος eadem genitrix Christi. – *Arnobius dixit:* Et Θεοτόκος est, et Χριστοτόκος. – *Serapion dixit:* Ergo duorum est mater filiorum. – *Arnobius dixit:* Unius filii mater est. – *Serapion dixit:* Qua ratione hoc poteris docere, cum Filius Dei, Dei Filius sit; qui ex Deo Patre ante saecula est genitus Deus; et iste nunc ex tempore sit genitus filius hominis? – *Arnobius dixit:* Filius Dei omnipotens omnipotentis Patris per omnipotentiam suam hoc voluit, ut unus cum eo fieret Filius Dei iste filius hominis. [...] \* Status virginitatis Mariae, homine concepto et parto, non est <sup>\*283</sup> ex sua integritate deiectus, sed magis est integrior factus.

1307

PL  
53, 284

X. *Serapion dixit:* Quae ratio te compellit, ut quotiescumque de Filio Dei, qui est Deus natus ex Maria, loqueris, non solum dicis ut sit Maria Θεοτόκος; sed semper hoc nominas, quod Filius hominis est, ut sit Maria Χριστοτόκος? – *Arnobius dixit:* Sicut ego nunquam Χριστοτόκον sine Θεοτόκον dico, et tu ita confitendo confirmas fidem tuam, et finis huius nostrae altercationis occurrit. – *Serapion dixit:* Unde tibi haec auctoritas huius definitionis advenit? – *Arnobius dixit:* Apostoli Pauli non vis recipere hoc quod dixit testimonium: *Factus est primus homo in animam viventem, novissimus homo in spiritum vivificantem.*<sup>1</sup> – *Serapion dixit:* Dic mihi quo ordine tu istum sensum accipias? – *Arnobius dixit:* Ipse Apostolus suis verbis hoc quod dixi explanavit, dicens: *Quoniam per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificantur.*<sup>2</sup> – *Serapion dixit:* Video quod moliris astruere, ut quia in isto loco nominat Apostolus hominem solum, non etiam Deum, docuisse videatur resurrectionis nostrae gloriam celebrare. – *Arnobius dixit:* Christum quando audis, et non audis sanctae Mariae Virginis Filium, scias te unum ex rebus Iudeorum audire: et ideo hominem hunc solum esse iusta ratione firmamus. Virginis autem Filium Deum et Christum esse catholica fidelitate hoc ordine contemur, ut gloriam quam humanum genus per primum hominem amiserat, per istum Filium Virginis, qui Deus et homo, in centuplum melius recuperaret. Nam paradisi regio per primum hominem legitur fuisse sublata, per secundum vero hominem et regno paradisi restituitur, et omnium indulgentia confertur.

<sup>1</sup> I Cor. XV, 45.<sup>2</sup> I Cor. XV, 21, 22.

PL  
53, 285

XI. – *Serapion dixit:* Multum me suspectum reddis, cum et creaturam, et carnem, et hominem, et filium repetis, tamen Filium Dei Filium fuisse Mariae non fateris. – *Arnobius dixit:* Si non esset filius hominis Filius Dei factus, Maria mater Dei esse non poterat. Per filium ergo suum facta est mater Filii Dei; per formam servi quam assumpsit Dominus, facta est mater Domini; nec poterat esse Θεοτόκος, nisi Χριστοτόκος fieri meruisset. Audi quid habebat concipere in utero, aut quid habebat parere, aut quid habebat pannis involvere, et in praesepio ponere,<sup>1</sup> aut quid habebat lactare, aut quid habebat tollere et fugere in Aegyptum,<sup>2</sup> aut quid habebat crescere aetate et sapientia, aut quid octava die circumcidendi, aut quid habebat baptizari a Ioanne,<sup>3</sup> nisi esset homo perfectus, in quo esset perfectus Deus, qui

1308

PL  
53, 285

ipsum sicuti hominem in utero fabricavit. – *Serapion dixit:* Nestorii est ista doctrina. – *Arnobius dixit:* Nestorius quae asserit prae manibus habeo; si iubent iudices recitabo. – *Iudices dixerunt:* Legatur quod ab Arnobio offertur, ut possit Serapionis si vera est obiectio demonstrari. Cumque accepta esset homilia, ad locum lecta est ita: Non peperit sanctissima Maria Deitatem, nam *quod natum est de carne, caro est.*<sup>4</sup> Non peperit creatura creatorem; sed peperit hominem Deitatis ministrum. Non aedifieavit Deum Verbum Spiritus sanctus: *Quod enim ex ipsa natum est,* ait, *de Spiritu sancto est.*<sup>5</sup> Deo itaque Verbo templum ex Virgine aedificavit. Et paulo post: Per se qui natus est Deus in utero Deus est. Et paulo post: \* Θεοτόκον formam in Deo honoremus. Item in alia praedicatione, cuius initium hoc est: Saepe mecum fructus vitae versans, et terrestrialium rerum multiplicem mutabilitatem, sparsaque per vitam insidias cogitans, haesitans exclamavi: Quis poterit liberari? Et post paululum ait: Spiritum divina separat natura, qui humanitatem eius creavit. Quidquid ex Maria natum est, de Spiritu sancto est, qui et secundum iustitiam replevit quod creatum est. Hoc *quod manifestatum est in carne, iustificatum est in Spiritu.*<sup>6</sup> Item ait: Qui fecit eum metuendum daemonibus, de quo dicit ipse Dominus, *Ego in Spiritu Dei eiicio daemonia,*<sup>7</sup> ipse carnem eius fecit templum. Unde dicit Baptista: *Vidi Spiritum sanctum descendenter de caelo, et manentem in eo.*<sup>8</sup> Item paulo post: Qui

1309

\*286

<sup>1</sup> Lc. II, 7.<sup>2</sup> Matth. II, 13.<sup>3</sup> Lc. II, 21; Matth. III, 13.<sup>4</sup> Io. III, 6.<sup>5</sup> Matth. I, 20.<sup>6</sup> I Tim. III, 16.<sup>7</sup> Matth. XII, 28.<sup>8</sup> Io. I, 32.

dedit ei elevationem in coelum, ait, dedit mandata apostolis quos elegit per Spiritum sanctum, et postea elevatus est in coelum.<sup>1</sup> Hunc itaque qui Christo tantam donavit dispensationem, qui natum putant carneum, separant a divina natura. Item in alia praedicatione, cuius initium hoc est, nulla deterior aegritudo humanis animis quam ignorantia. Et paulo post: Ista autem faciunt Deum secundum post beatam Mariam, cum matrem temporalem creatricem temporum Deitatem assignant; immo nec matrem Christi eam esse permittunt, quae et Χριστοτόκος est. Nam, sicut illi aiunt, non humana natura, sed Deus Verbum ab illa natus est, et ea quae peperit non est mater nati. Quomodo enim mater esse potest alieni a sua natura? Si autem mater est, ut ab ipsis vocatur, humanitas est quod natum est, et non Deitas. Proprium est enim parere matri essentiae suae similem: aut enim non erit mater, si essentiae suae similem non pepererit; aut si mater est, essentiae suae similem pepererit. Item post alia: Deus enim mensium et creator est, et non mensium partus est; fabricator sanctae Mariae non postea ex Spiritu in ipsa fabricatus. Sed sine mea doctrina audi angelum ad ipsum Ioseph dicentem: *Accipe puerum et matrem eius.*<sup>2</sup> Igitur pueri dixit, non Deitatis. Item post haec: Vis tibi addi secundum testimonium? *Completi sunt itaque dies ut pareret, et peperit filium suum primogenitum.*<sup>3</sup> Ecce habes cuius mater fuit Χριστοτόκος, id est, pueri mater, quem peperit Maria, non Deitatis, quae omnia circumstringit. \* Audi et aliud testimonium: *Videntes autem magi stellam, gavisi sunt gaudio magno valde, et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre eius.*<sup>4</sup> Ubique pueri mater, non Deitatis, Virgo praedicatur. Quid igitur ordinat carnem matrem Deitatis? Et paulo post: Virgini Χριστοτόκῳ contigit parere humanitatem, Dei verbo Deitatis ministerium. – *Et cum legeret haec iudices dixerunt:* Hactenus Nestorii dicta sufficient: quid ad haec sentiat Serapion, pandat.

1310

XII. – *Serapion respondit:* Si ita non sentit, nec credit Arnobius, quare frequentat Χριστοτόκουν et Θεοτόκου? – *Arnobius dixit:* Si Χριστοτόκου dico, et nego Θεοτόκου, recte arguis me Nestorianum, vel per leve accusationis tuae vestigium forsitan accusaris. Nunc vero totus defensionis meae cursus impugnat negantem Θεοτόκου Mariam; et tu tecum Nestorium damnas, cum me tecum exsecretur Nestorius. – *Serapion dixit:* Pro qua re me tecum exsecretur Nestorius? – *Arnobius*

\*287

PL  
53, 287<sup>1</sup> Act. I, 9.<sup>2</sup> Matth. II, 13.<sup>3</sup> Lc. II, 6-7.<sup>4</sup> Matth. II, 10-11.

*dixit:* Pro eo quod tecum sanctam Mariam Θεοτόκον non nego. – *Serapion dixit:* Sermone argumentando Θεοτόκον qui confiteris, Χριστοτόκον illam asserendo impugnas. – *Arnobius dixit:* Tu negas Christum Filium Dei esse? – *Serapion dixit:* Non nego Christum Filium Dei; sed te increpo qui Christum hominem asseris, et non Filium Dei. – *Arnobius dixit:* Antequam nasceretur ex Maria, Filius Dei ante fuit? – *Serapion dixit:* Quis haec praeter Photinum dixerit? *Arnobius dixit:* Ergo semper fuit.

PL  
53, 289

1311

XIII. [...] – *Arnobius dixit:* Apostolicae recordationis vir S. Cyrillus, Ecclesiae Alexandrinae episcopus, cum cognovisset Nestorianum dogma contrarium fidei pullulare, scripsit per totam Aegyptum, et ad sanctum Coelestinum apostolicae recordationis antistitem misit; dicens ad laudem suam pertinere, si ab eo qui pontificatus arem tenebat, fuisse aliquid emendatum. Sanctus vero Coelestinus ita ἐγκωμίαστης eius exstitit, ut in Nestorii damnationis dictasset sententiam: laudem vero Cyrilli et in conspectu Dei et omnium praedicatorum asserens sensum eius praeclarorum nostrae provinciae episcoporum praedicatione roborari; et Damasi, Ambrosii, Hilarii hunc fuisse sensum evidenter exposuit. Ait enim in ipso concilio: Recordor beatae memoriae Ambrosium in die natalis Domini nostri Iesu Christi, omnem fecisse populum una voce Deo canere: *Veni, Redemptor gentium, ostende partum Virginis, miretur omne saeculum, talis decet partus Deum.* Nunquid talis partus decet hominem? Et adiecit: Ergo sensus fratris nostri Cyrilli in hoc quod dicit Θεοτόκον Mariam, valde concordat, *talis decet partus Deum.* Deum partu suo Virgo effudit, ipso potente qui omnipotentia plenus est. Hilarius quoque vir acris ingenii scribens in Constantium imperatorem, de incarnatione Domini sic ait: Filius Dei factus homo Deus. Et praeposterans repetit: Deus filius hominis factus est Deus, non Deus factus est homo, et filius hominis factus est Filius Dei. \* Superavit enim magnitudo Domini parvitatem servilis formae, ita ut ipsa forma servilis, quam assumpsit, cessaret esse servilis per eum Dominum qui eam assumpsit. Si enim qui natura non filii Dei, per ipsum efficiantur filii Dei; quanto magis ipse qui natura Filius Dei est, hunc cum quo voluntate sua alvo virginali conceptus et natus est, ita sublimavit in Deum, *ut in nomine eius omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum?*<sup>1</sup> Item praecessor meus Damasus scribens ad Paulinum Antiochenae Ecclesiae episcopum, inter caetera ait: Anathematizamus eos qui duos filios Dei asserunt, alterum qui ex Patre est genitus, et alterum qui ex assumptione carnis natus est ex Virgine. Item ipse apostolicae memoriae vir Damasus in altera epistola ad Paulinum: Anathema-

\*290

<sup>1</sup> Phil. II, 10.

tizamus eos qui duos in Salvatore filios confitentur: unum ante incarnationem, et alium post assumptam carnem ex virgine, et non eundem Dei Filium, et antea et postea ipsum esse Christum verum Dei Filium, qui natus est ex Virgine, confitentur.

- 1312** XVIII. – *Serapion dixit:* Iste liber qui lectus est S. Cyrilli, non docet in Filio Dei duas substantias, sed unam conatur ostendere. – *Arnobius dixit:* Ipsam unam, quam conatur ostendere pande. – *Serapion dixit:* Deitatis tantum, non humanitatis; ut Dei mater dicatur Maria, non tamen et hominis. Nam Θεοτόκον vult eam vocari, non Χριστοτόκον; aut si alio consentit, et Χριστοτόκον pande. – *Arnobius dixit:* Sanctus Cyrillus contra eos qui sanctam Mariam Θεοτόκον negant, secutus priores suos episcopos Theophilum, sive Athanasium, ostendit illam Θεοτόκον exstisset, ne forte parem habere putaretur, cum Χριστοτόκος dicitur. Fuerunt enim et aliae Christotocae, nulla tamen ita Χριστοτόκος et Θεοτόκος, et virgo effecta feta est sicut Maria. Memorans ergo hoc quod maius est Θεοτόκος, quod minus est Χριστοτόκος siluit. Modo qui ante dixit, Maria patrem et \* matrem habuit, et homo fuit, nunquid eam negasse hominem esse putandus est? Impressit igitur hunc locum, de quo erat contentio. Nestorius enim nullo modo passus est debere Θεοτόκον credi, et ideo frequenti assertione id egit, ut eum hoc quod negavit Θεοτόκος edoceret. – *Serapion dixit:* Doce ergo sensum Cyrilli tales exstisset, ut ipsum qui ex Maria natus est Deum illum et hominem memoraret. – *Arnobius dixit:* Et nos assumus, et liber qui lectus est; accipe ex eo quae lecta sunt ita: Non ideo factus est homo unigenitum Dei Verbum, ut Deus esse cessaret, sed ut in assumptione etiam carnis propriae maiestatis gloriam intueremur. Haec primo dixisse si non sufficit, quae in secundis dixit ausulta: In carne positus audiebat Patrem dicentem, *Sede ad dexteram meam.*<sup>1</sup> Audi etiam quid dixerit tertio: Divinam secuti Scripturam, Dei Verbum cum conditione copulantes, humanam et mortalem, divinamque naturam in unum aliquid conferentes, ita tamen ut simpliciter non homo Theoferus intelligatur, sed Deus incarnatus, qui per dispensationem copulationis (nota quid dicat) corpus sibi ex Virgine sancta aseribit. Hoc enim modo, nec aliter intelligitur Christus. Ausulta etiam quarto loco quid astruat: In Christo asserimus quod coierunt quadam arcana ineffabilique ratione in unum Deitas et humana conditio, ut in eodem simul et homo intelligatur iuxta nos, et Deus supra nos. Quinto etiam loco audi quid dixerit de Filio Dei: Sicut ipsius Verbi quod est ex Deo Patre, propria fuit caro illa pura atque venerabilis, quae ex sancta Virgine procreata est, ita omnia quae

PL  
53, 295

\*296

<sup>1</sup> Ps. CIX, 1.

carni convenientiunt absque solo peccato, subire debuit, et omnia ut naseretur ex matre. Audisti quid dixit? – *Serapion respondit:* Audivi. – *Arnobius dixit:* Explana mihi quod dixit. – *Serapion respondit:* Caro pura atque honorabilis, quae ex sancta Maria procreata est, omnino ut nasceretur ex matre. *Arnobius dixit:* Quidquid intelligis in hoc loco, fac me scire. – *Serapion dixit:* Hoc puto illum dixisse, quod carnis sanctae mater sit Virgo ista \* quae peperit. – *Arnobius dixit:* Vis videre quia bene intellexisti? Considera quid isti sermoni subiunxit. Si, inquit, extra carnem intelligatur Deitas, ipsa per se erit sine matre, et recte quidem. – *Serapion dixit:* Peto ut planum mihi facias quid conetur astruere. – *Arnobius dixit:* Luce clarius est quod Dei matrem Mariam esse per carnem, quam solam creavit, exponat. Deitas enim, ait, sola matrem non habet, ut subaudiatur, quia Deus et homo unus Dei Filius est iste qui natus est. Unde sexto loco subiungens, ait: Si voluerimus recte calcare, non Deitatem nudam, sed inter carnem et natum permixtum Dei Patris Verbum sanctam Virginem creasse, quae electa est, ad puerperium venerandum, ut carnaliter eum pareret, qui carnem dignatus est induere. – *Serapion dixit:* Clausis auribus mentis totum librum istum audivi: et ideo non vidi istas duas personas in uno Dei Filio Cyrilli assertione expressas. Nam quomodo non duae docerentur personae virgineo partu editae, cum dicat Deum carnaliter natum, qui dignatus est assumere? etc. – *Arnobius dixit:* Utique carnem simul cum assumptione carnis. Assumptor enim carnis Deus est, caro autem integer homo est; integer autem homo est, qui carnem et animam habet. Nam Apollinaris ideo damnatus est, quia pro anima Deum posuit incarnatum.

<sup>PL</sup>  
<sup>53, 299</sup> XX. [...] Sequamur nunc, et quid in nono capitulo dixerit recitemus. Prophetissam sanctam Virginem vocat. Christo enim praeagnans prophetae implevit officium.

1313

<sup>PL</sup>  
<sup>53, 302</sup> XXI. [...] Antequam Spiritus veniret super Mariam, et virtus Altissimi obumbraret eam, et hoc conciperet quod sanctum vocatur Filius Dei,<sup>1</sup> ante hoc ipse uterus Mariae, quamvis mundus esset a peccato et sanctus, tamen vilitate humilitatis erat ut lana optima et incomparabilis universis quae erant sub coelo virginibus: eratque talis ac tanta, quae decenter et in se Dealitatem Filii Dei, sicut conchylii lana sanguinem suscepit, et ipsa lana esse cessaret lana, sed vera purpura per sanguinem fieret memoratum. Non enim lana, sed pretiosa est huius sanguinis capax. Quod si sanguis hic lanam tanta maiestate sublimat per suam admixtionem, ut nulli hac liceat uti, nisi huic, qui regia fuerit praeditus dignitate; quanto magis quando

1314

<sup>1</sup> Le. I, 35.

Spiritus sanctus venit in Mariam, et virtus Altissimi obumbravit eam, hoc quod natum est ex ea *de semine David secundum carnem*,<sup>1</sup> secum fecit Filium Dei, ut sic esset Maria Θεοτόκος, sicut Χριστοτόκος? Quia ante Mariam fuerunt aliae christotocae, sed non virgines, nec ex Spiritu sancto, nec virtute Altissimi obumbrante. Haec autem et Χριστοτόκος est sola, et Θεοτόκος, sola virgo, ex Spiritu sancto et virtute Altissimi concipiens.<sup>2</sup>

#### COMMENTARII IN PSALMOS

- 1315** Psalmus XLVI. [...] Hoe apostoli dicunt: Subiecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris. Quando hoc fecit? Quando elegit nobis haereditatem suam in specie Mariae, quam dilexit Spiritus sanctus, tunc ascendit in strepitu et in voce tubae. Herodes turbatur, pastores terrentur, magi fugiunt, infantes occiduntur, angeli psallunt, dicentes: *Gloria Deo in excelsis*; qui dicunt pastoribus, quia ecce regnat Deus super omnes gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam. Si sedes eius ubicunque virginitas illibata fuerit, quanto magis in Maria? Principes populorum convenerunt cum Deo Abraham. Principes hoc loco angelos indicat, qui cum Deo Abraham ad Mariam convenerunt, quando gloriam cecinerunt.
- 1316** Psalmus LXXXIV. [...] Iustitia vero et pax osculantur se. Quia veritas, quae est Christus, de terra, id est, de Maria, orta est, et ita iusto hoc iudicio factum est, quod cum fieret docebamus, quod iustitia de coelo prospexit. Cum Dominus daret hanc benedictionem Mariae, in qua quasi terra nostra, ex nostra utique materia, daret fructum suum. Suum utique hominem perfectum, ex semine David secundum carnem.
- 1317** Psalmus CIII. [...] Sicut enim lac de uberibus, sic de terra per herbam attingitur ad spicam, de spica pervenitur ad panem, qui de coelo per imbre descendit. Ergo per fontem perennem, venit tibi panis de terra Mariae Virginis. Imber iste qui in Maria venit, audi qualiter venit. Angelus ei dicit: *Virtus Altissimi*, id est, ex alto veniens obumbrabit tibi.<sup>3</sup> Et exivit nobis panis de terra.
- 1318** Psalmus CIX. [...] Nos enim eum et Dei Filium ante luciferum ex Deo Deum genitum credimus: et David eum filium per partum virginis Mariae profitemur, qui ascendens in coelos, sedet ad dexteram Patris, unde venturus est iudex. Habebit inimicos suos scabellum

PL  
53, 390

PL  
53, 448

PL  
53, 476

PL  
53, 496

<sup>1</sup> Rom. I, 3.

<sup>2</sup> In app. huius op. (PL 53, 316) legitur Sermo 369 S. Augustini (dubius). PL 39, 1655 (cf. PLS II, 403; III, 213).

<sup>3</sup> Lc. I, 35.

pedum suorum, secundum quod et Apostolus dicit: *Cum evacuaverit omnem principatum, potestatem et virtutem, tunc oportet illum regnare donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus eius.*<sup>1</sup> Cuius inimicos si interrogas, respondebit tibi, eius sine dubio cuius virgam virtutis misit Dominus ex Sion. Virga virtutis, hominis corpus est ex Virgine nati, quam virgam ex Sion misit Dominus, ut dominetur in medio inimicorum suorum. Non ergo sicut damnabilis Photinus credit, ex Mariae partu sumpsit exordium, sed ante luciferum est ex Patris ore progenitus.

PL 53, 505 Psalmus CXVII. [...] Veniamus nunc ad lapidem quem reproba-  
verunt aedificantes. Hic *lapis* legitur in Daniele *excisus sine manibus*,<sup>2</sup> id est, sine opera viri natus ex Virgine. Aedificantes erant Iudei soli super universam faciem terrae.

1319

## ANONYMUS (saec. v)

PRAEDESTINATUS SEU PRAEDESTINATORUM HAERESIS<sup>3</sup>

PL 53, 590 Liber I, XI. Undecima haeresis Valentianorum, a Valentino.  
\*591 \* Hi per Orientem dispersi graviter Dei Ecclesiam vulnerarunt, dicen-  
tes profundum et altum secum commixta. Ex quibus duobus, velut  
ex coniugio, mundum processisse: altum dicentes Patrem, profun-  
dum Filium, eumque nihil assumpsisse de Maria virgine; sed illum,  
tanquam aquam per rivum aut fistulam, sine ulla carnis assump-  
tione transisse. Carnis autem resurrectionem omnimodis denegantes.  
Hos anathematizavit beatus Zacheus Caesariensis episcopus, do-  
cens Dominum nostrum Iesum Christum, Deum verum verumque  
hominem, per virginea secreta transisse, ex semine David secundum  
carnem, sed hominem vere natum, vere passum, vere mortuum, vere  
resurrexisse a mortuis, et vere ascendisse in coelis.

1320

PL 53, 606 LV. Quinquagesima et quinta haeresis Apollinaristarum est, ab Apollinare inchoata. Negant hominem perfectum in Christo, sed as-  
sumptionem carnis ita factam, ut intus in homine pro anima divinitas  
esset. Carnem autem et Verbum unius eiusdemque voluit docere sub-  
stantiae. Contentiosissime afferentes: *Verbum caro factum est*,<sup>4</sup> volunt

1321

<sup>1</sup> I Cor. XV, 24-25.<sup>2</sup> Dan. II, 34.<sup>3</sup> J. Sirmond auctorem esse Arnobium iuniorem affirmit; idem affirmit G. Morin; alii probabilius attribuunt opus hoc Iuliano Aeclanensi (cf. PLS III, 220 clavis 243).<sup>4</sup> Io. I, 14.● PL 53, 271, 273, 282, 289, 291, 292, 294, 299, 301, 302, 304, 316, 367,  
388, 391, 424, 449, 452, 455, 501, 519, 520, 521.

κατὰ τὰς θείας ἀναπλασθέντι Γραφάς, καὶ τὴν γε σύστασιν ἐπὶ τῆς γυναικείας δεξαμένῳ γαστρός, ἐνηγός εἰκός· ἐπειδὴ ἂμα τῷ διαπλασθῆναι, καὶ τὸ εἶναι ναὸς Θεοῦ εἰλήφει· οὐ μὴν τὸν Θεὸν γεγενῆσθαι ἡγητέον ἡμῖν ἐκ τῆς Παρθένου· εἰ μὴ ἄρα ταύτὸν ἡγητέον ἡμῖν τὸ τε γεννηθὲν καὶ τὸ ἐν τῷ γεννηθέντι, τὸν ναόν, καὶ τὸν ἐν τῷ ναῷ Θεὸν Λόγον· οὐ μὴν οὐδὲ κατὰ τὴν σὴν φωνὴν ἀποφαντέον πάντη τὸν ἐκ τῆς Παρθένου γεννηθέντα Θεὸν εἶναι ἐκ Θεοῦ, διοούσιον τῷ Πατρί, τῆς σαρκὸς οὐ δυναμένης ταύτην προσίσθαι τὴν φωνὴν· ἔστι μὲν γάρ ἀνόητον, τὸ τὸν Θεὸν ἐκ τῆς Παρθένου γεγενῆσθαι λέγειν. Τοῦτο γάρ οὐδὲν ἔτερόν ἔστιν, ἢ ἐκ σπέρματος αὐτὸν λέγειν Δαβὶδ, ἐκ τῆς οὐσίας τῆς Παρθένου τετεγμένον, καὶ ἐν αὐτῇ διαπεπλασμένον· ἐπει γε τὸ ἐκ σπέρματος Δαβὶδ, καὶ ἐκ τῆς οὐσίας τῆς Παρθένου συστὰν ἐν τῇ μητρῷ γαστρί, καὶ τῇ τοῦ ἀγίου Πνεύματος διαπλασθὲν δυνάμει, γεγενῆσθαι φαμὲν ἐκ τῆς Παρθένου.

Scripturas formato, et in ventre muliebri concreto, ut par erat, postquam simul et formatus est, accepit ut esset templum Dei; non tamen existimandum est nobis genitum esse Deum ex Virgine, nisi putandum est nobis, idem esse genitum, et quod est in genito, templum et Verbum quod est in templo: neque, ut tu loqueris, dicendum nobis est ullo modo, genitum ex Virgine Deum esse ex Deo, consubstantialem Patri. Si enim non est homo, ut dicis, assumptus, qui ex Virgine natus est; Deus autem incarnatus est, quomodo genitus, Deus ex Deo et consubstantialis Patri dicetur, cum caro non possit hanc vocem admittere? Est enim fatuum dicere, esse Deum ex Virgine genitum. Hoc enim nihil aliud est, quam dicere Deum esse ex semine David, et ex substantia Virginis concretum est in materno utero, et virtute Spiritus sancti formatum, ex Virgine factum esse dicimus.<sup>1</sup>

### S. AUGUSTINUS A. (354 † 430)

#### DE DIVERSIS QUAESTIONIBUS LXXXIII (388/395)

- 859**     XI. Deus cum liberat, non partem aliquam liberat; sed totum liberat, quod forte in periculo est. Sapientia ergo et Virtus Dei, qui dicitur unigenitus Filius, homine suscepto liberationem hominis indicavit. Hominis autem liberatio in utroque sexu debuit apparere. Ergo, quia virum opporebat suspicere, qui sexus honorabilior est, consequens erat ut feminei sexus liberatio hinc appareret, quod ille vir de femina natus est.

PL  
40, 14

<sup>1</sup> Et hic resonat ambigua doctrina de unica persona in Christo.

## DE GENESI CONTRA MANICHAEOS (389/390)

<sup>PL 34, 216</sup> Lib. II, cap. XXIV [... Christus] *factus* autem, ut supra dixi, *ex semine David secundum carnem*, sicut Apostolus dicit,<sup>1</sup> id est tanquam de limo terrae, cum homo operatus est in Virgine, de qua natus est Christus. *Fons autem ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terrae.*<sup>2</sup> Facies terrae, id est dignitas terrae, mater Domini virgo Maria rectissime accipitur, quam irrigavit Spiritus sanctus, qui fontis et aquae nomine in Evangelio significatur;<sup>3</sup> ut quasi de limo tali homo ille fieret, qui constitutus est in paradyso, ut operaretur et custodiret, id est in voluntate Patris, ut eam impleret atque servaret.

860

## SERMO CCXIV (391)

<sup>PL 38, 1068</sup> 6. Sed quia ille, qui in forma Dei non rapinam arbitratus est esse aequalis Deo, per quem creati sumus, ut quod perierat quaereret et salvaret, *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo:*<sup>4</sup> sic in eum credimus quod natus sit de Spiritu sancto et virginie Maria. Utraque enim eius nativitatis mira est, et divinitatis et humanitatis. Illa est de Patre sine matre, ista de matre sine patre: illa est sine aliquo tempore: ista in acceptabili tempore: illa aeterna, ista opportuna: illa sine corpore in sinu Patris, ista cum corpore, quo non violata est virginitas matris: illa sine ullo sexu, ista sine ullo virili complexu. Ideo autem dicimus natum de Spiritu sancto et \* Maria virgine, quia cum sancta virgo inquisisset ab angelo, *Quomodo fiet istud?* ille respondit: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Deinde addidit: *Propterea quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>5</sup> Non ait, Quod nascetur ex te, vocabitur filius Spiritus sancti. Susceptus quippe a Verbo totus homo, id est, anima rationalis et corpus; ut unus Christus, unus Deus Dei Filius non tantum Verbum esset, sed Verbum et homo, totum hoc Dei Patris est Filius propter Verbum, et hominis filius propter hominem. Per id quod Verbum est, aequalis est Patri: per id quod homo est, maior est Pater. Et simul cum homine Filius Dei est, sed propter Verbum, a quo susceptus est

<sup>1</sup> Rom. I, 3.<sup>2</sup> Gen. II, 6.<sup>3</sup> Io. VII, 38, 39.<sup>4</sup> Philipp. II, 6, 7.<sup>5</sup> Lc. I, 34, 35.

● PG 66, 969, 1018.

homo: et simul cum Verbo filius hominis est, sed propter hominem, qui est susceptus a Verbo. Propter cuius sanctam in virginis utero conceptionem, non concupiscentia carnis urente factam, sed fidei charitate fervente, ideo dicitur natus de Spiritu sancto et virgine Maria: ut unum eorum pertineat, non ad gignentem, sed ad sanctiificantem, alterum vero ad concipientem, atque parientem. *Propterea, inquit, quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quia *Sanctum*, ideo de Spiritu sancto; quia *nascetur ex te*, ideo de virgine Maria; quia Filius Dei, ideo *Verbum caro factum est.*<sup>1</sup>

## SERMO CCXV (391)

862 3. [...] Si vero nativitatem eius secundum carnem, quam pro nostra salute dignatus accepit, scire desideras; audi, et crede natum de Spiritu sancto ex Maria virgine. Quamquam et hanc ipsam nativitatem eius quis enarrabit? Quis enim digne aestimare potest Deum propter homines nasci voluisse, sine virili semine virginem concepisse, sine corruptione peperisse, et post partum in integritate permanisse? Dominus enim noster Iesus Christus uterum virginis dignatus intravit, membra feminae immaculatus implevit, matrem sine corruptione fetavit, a se ipso formatus exivit, atque integra genitricis viscera reservavit; ut eam de qua nasci dignatus est, et matris honore perfunderet, et virginis sanctitate. Quis hoc cogitat? Quis enarrat? Ergo et hanc nativitatem eius quis enarrabit? Cuius enim mens ad cogitandum, cuius ad enuntiandum lingua sufficiat, non solum quod in principio erat Verbum, non habens ullum nascendi principium; verum etiam quod Verbum caro factum est, eligens virginem quam sibi faceret matrem, faciens matrem quam servaret et virginem; Dei Filius nulla matre concipiente, hominis filius nullo homine seminante; fecunditatem feminae veniendo afferens, integritatem nascendo non auferens? Quid est hoc? Quis dicat? Quis taceat? Et mirum dictu: quod eloqui non valemus, silere non sinimur; sonando praedicamus, quod nec cogitando comprehendimus. Tantum quippe Dei donum nec effari possumus, quoniam sumus ad eius enarrandam magnitudinem parvuli; et tamen laudare \* compellimur, ne tacendo remaneamus ingrati. Sed Deo gratias, quia id quod competenter non potest dici, potest fideliter credi.

PL  
38, 1073

\*1074

863 4. Credimus ergo in Iesum Christum Dominum nostrum, natum de Spiritu sancto ex virgine Maria. Nam et ipsa beata Maria, quem credendo peperit, credendo concepit. Cum enim promisso sibi filio,

PL  
38, 1074<sup>1</sup> Io. I, 14.

quaesisset quemadmodum fieret, quoniam virum non cognosceret; utique solus ei modus cognoscendi atque pariendi notus erat, quem quidem ipsa experta non fuerat, sed ex aliis feminis natura frequentante didicerat, ex viro scilicet et femina hominem nasci: responsum ab Angelo accepit, *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; propterea quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quae cum dixisset Angelus, illa fide plena, et Christum prius mente quam ventre concipiens, *Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*<sup>1</sup> Fiat, inquit, sine virili semine conceptus in virgine; nascatur de Spiritu sancto et integra femina, in quo renascatur de Spiritu sancto integra Ecclesia. Sanctum quod nascetur de homine matre sine homine patre, vocetur Dei Filius; quoniam qui natus est de Deo Patre sine ulla matre, mirabiliter oportuit ut fieret hominis filius; in ea carne natus, ut per clausa viscera parvus exiret, in qua resuscitatus per clausa ostia magnus intraret. Mira sunt haec, quia divina sunt; ineffabilis, quia et inscrutabilia: non sufficit explicando os hominis, quia nec investigando cor hominis. Credidit Maria, et in ea quod credidit factum est. Credamus et nos, ut et nobis possit prodesse quod factum est. Quamvis ergo mirabilis sit etiam ista nativitas: tamen cogita, o homo, quid pro te Deus tuus, Creator pro creatura suscepit; ut Deus in Deo manens, aeternus cum aeterno vivens, aequalis Filius Patri, pro reis et pro peccatoribus servis formam servi non deditnaretur induere. Neque enim hoc meritis humanis est exhibitum. Nam pro iniquitatibus nostris poenas potius merebamur: sed si iniquitates observasset, quis sustinuisse? Pro impiis ergo et pro peccatoribus servis Dominus factus est homo, de Spiritu sancto et virgine Maria nasci dignatus est.

## SERMO CXC (391/400)

PL 38, 1007 Caput II, 2. Diem ergo istum, Christiani, non divinae nativitatis celebremus, sed humanae, scilicet qua contemporatus est nobis; ut per invisibilem visibilem factum, a visibilibus ad invisibilia transiremus. Debemus enim fide catholica retinere duas esse nativitates Domini: unam divinam, alteram humanam; illam sine tempore, hanc in tempore. Ambas autem mirabiles: illam sine matre, istam sine \*patre. Si istam non comprehendimus, illam quando enarramus? Quis comprehendat novitatem novam, inusitatam, unicam in mundo, incredibilem credibilem factam, et toto mundo incredibiliter creditam, ut virgo conceiperet, virgo pareret, virgo pariens permaneret? Quod hu-

<sup>1</sup> Lc. I, 34-38.

mana ratio non invenit, fides capit: et ubi humana ratio deficit, fides proficit. Quis enim dicat non potuisse Dei Verbum per quod facta sunt omnia, facere sibi carnem etiam sine matre, sicut primum hominem sine patre fecit et matre? Sed quoniam utrumque sexum, id est, masculi et feminae, ipse utique creavit; ideo utrumque sexum etiam nascendo voluit honorare, quem venerat liberare. Lapsus certe primi hominis nostis, quia non est ausus serpens loqui viro, sed ad eum deiiciendum femineo usus est ministerio. Per infirmiorem, obtinuit fortiorem: et qui per alterum penetravit, de utroque triumphavit. Ideo ut non possemus mortem nostram in femina velut motu iusti doloris horrere, eamque credere sine reparacione damnatam; Dominus veniens quaerere quod perierat, utrumque voluit honorando commendare, quia utrumque perierat. In nullo igitur sexu debemus iniuriam facere Creatori: utrumque ad sperandam salutem commendavit Nativitas Domini. Honor masculini sexus est in carne Christi: honor feminini est in matre Christi. Vicit serpentis astutiam gratia Iesu Christi.

#### DE FIDE ET SYMBOLO (393)

865 Cap. IV, 8. Sed quoniam per temporalem, ut dixi, dispensationem, \*ad nostram salutem et reparationem, operante Dei benignitate, ab illa incommutabili Dei Sapientia natura mutabilis nostra suscepta est, temporalium rerum salubriter pro nobis gestarum adiungimus fidem, credentes in eum Dei Filium qui natus est per Spiritum sanctum ex virginе Maria. Dono enim Dei, hoc est, sancto Spiritu concessa nobis est tanta humilitas tanti Dei, ut totum hominem suscipere dignaretur in utero virginis, maternum corpus integrum inhabitans, integrum deserens.

PL  
40, 185  
\* 186

9. Detestandi autem etiam illi sunt, qui Dominum nostrum Iesum Christum matrem Mariam in terris habuisse negant, cum illa dispensatio utrumque sexum, et masculinum et femininum honoravit, et ad euram Dei pertinere monstraverit, non solum quem suscepit, sed illum etiam per quem suscepit, virum gerendo, nascendo de femina. Nec nos ad negandam Christi matrem cogit, quod ab eo dictum est, *Qui mihi et tibi est, mulier?* *Nondum venit hora mea.*<sup>1</sup> Sed admonet potius ut intelligamus secundum Deum non eum habuisse matrem, cuius maiestatis personam parabat ostendere aquam in vinum vertendo.

<sup>1</sup> Io. II, 4.

## ENARRATIO IN PS. CXLVIII (395)

<sup>PL</sup>  
<sup>37, 1948</sup> 17. [...] Quid illis dicit Dominus dicentibus, *Fili sumus Abrahae?* <sup>866 .</sup>

Ausi sunt ostentare se, et erigere cervicem de nobilitate generis iusti; et quid illis Dominus? *Si filii Abrahae essetis, facta Abrahae fecissetis.*<sup>1</sup> Si ergo perdiderunt ipsi quod filii sunt Abrahae, invenimus nos ut filii simus Abrahae. Credendo quippe invenimus quod illi non credendo amiserunt: quia *credidit Abraham Deo, et deputatum est illi ad iustitiam.* Et semen Abrahae Christus,<sup>2</sup> et in Christo nos sumus; et ex Israel populus, de quo populo Maria, de qua Maria Christus, in quo Christo nos: ergo filii Israel nos.<sup>3</sup>

## ENARRATIO IN PS. CI (395)

<sup>PL</sup>  
<sup>37, 1294</sup> I. [...] *Ego servus tuus et filius ancillae tuae.*<sup>4</sup> Attende ancillam <sup>867</sup>

illam castam, et virginem, et matrem: ibi enim accepit paupertatem nostram, ubi servi forma indutus est, semetipsum exinaniens; ne divitias eius expavesceres, et ad eum accedere cum tua mendicitate non auderes. Ibi accepit, inquam, formam servi, ibi nostra indutus est paupertate; ibi se pauperavit, ibi nos ditavit. Iam ergo propinquamus de illo haec intelligere: verumtamen adhuc non est temere pronuntiandum. Partus virginis est lapis sine manibus de monte praecisis,<sup>5</sup> ubi nullus hominum operatus est, nulla, transfusa concupiscentia, sed sola fides accensa, et Verbi caro concepta. Deinde processit ex utero; locuti sunt coeli, Angeli pastoribus nuntiaverunt,<sup>6</sup> stella ad adorandum regem magos traxit,<sup>7</sup> Simeon impletus Spiritu infantem Deum in matris manibus agnovit.<sup>8</sup>

## SERMO CXCVI (396)

<sup>PL</sup>  
<sup>38, 1019</sup> Cap. I. [...] Nativitates Domini nostri Iesu Christi, duae sunt; una divina, altera humana: ambae mirabiles; illa sine femina matre, ista sine viro patre. Quod ait sanctus Isaias propheta, *Generationem eius quis enarrabit?*<sup>9</sup> ad ambas generationes referri potest. Quis digne

<sup>1</sup> Io. VIII, 33, 39.

<sup>2</sup> Gal. III, 16.

<sup>3</sup> CCL XL, 2177.

<sup>4</sup> Ps. CXV, 16.

<sup>5</sup> Dan. II, 34.

<sup>6</sup> Lc. II, 7-14.

<sup>7</sup> Matth. II, 1, 2.

<sup>8</sup> CCL XL, 1426.

<sup>9</sup> Isa. LIII, 8.

enarrat generantem Deum? Quis digne enarret virginis partum? Illud sine die, hoc certo die: utrumque sine humana aestimatione, et cum magna admiratione. Illam primam attendite generationem: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.*<sup>1</sup> Cuius Verbum! Ipsius Patris. Quod Verbum? Ipse Filius. Nunquam Pater sine Filio. Et tamen qui nunquam sine Filio, genuit Filium. Et genuit, et non coepit. Sine initio generato nullum est initium. Et tamen Filius, et tamen genitus. Dicturus est homo: Quomodo genitus, et non habet initium? Si genitus, habet initium: si non habet initium, quomodo genitus? Quomodo, nescio. Quaeris ab homine quomodo sit genitus Deus? Interrogatione tua labore; sed Prophetam appello: *Generationem eius quis enarrabit?* Veni mecum ad istam generationem humanam, veni mecum ad istam, in qua se ipsum exinanivit formam servi accipiens: si forte vel ipsam capere possimus, si forte vel de ipsa aliquid loqui valeamus. Etenim quis capiat, *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse aequalis Deo?* Quis hoc capiat? quis hoc digne cogitet? Cuius mens hoc audeat perscrutari? Cuius lingua audeat pronuntiare? Cuius valeat cogitatio capere? Interim hoc omittamus: multum est ad nos. Ut autem non multum esset ad nos, *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.*<sup>2</sup> Ubi? In virgine Maria. Inde ergo aliquid loquamur, si forte possumus. Angelus nuntiat, virgo audit, credit, et concipit. Fides in mente, Christus in ventre. Virgo concepit, miramini: virgo peperit, plus miramini: post partum, virgo permansit. Generationem ergo istam quis enarrabit?

869 Cap. II, 2. Dico quod vos delectet, \*charissimi. Tres vitae sunt in Ecclesia membrorum Christi: coniugalis, vidualis, virginalis. Quia ipsae vitae, ipsae pudicitiae futurae erant in sanctis membris Christi; omnes istae vitae tres attestatae sunt Christum. Prima, coniugalis: quando Maria virgo concepit, Elisabeth uxor Zachariae et ipsa conceperat; huius Iudicis praeconem ferebat in utero. Venit ad eam sancta Maria, tanquam ad cognatam suam salutandam. Exsultavit infans in utero Elisabeth. Ille exsultavit, illa prophetavit. Habes attestantem pudicitiam coniugalem. Ubi vidualis? In Anna. Audistis modo cum Evangelium legeretur, quod esset sancta prophetissa vidua octoginta et quattuor annorum, quae septem annis vixerat cum viro suo; frequentans templum Domini, serviens in orationibus nocte et die. Et ipsa vidua agnovit Christum. Vedit parvum, agnovit magnum. Et ipsa attestata est. Habes et in ista vitam vidualem. In Maria, virgi-

PL  
38, 1019  
\*1020

<sup>1</sup> Io. I, 1.

<sup>2</sup> Philipp. II, 6, 7.

nalem.<sup>1</sup> Eligat sibi quisque de istis tribus quam voluerit. Qui praeter istas esse voluerit, in membris Christi esse non disponit. Non dicant coniugatae: Nos ad Christum non pertinemus. Habuerunt maritos sanctae feminae. Non se extollant virgines. Quanto magnae sunt, humiliant se in omnibus.<sup>2</sup> Omnia exempla salutis proposita sunt ante oculos nostros. Nemo exorbitet. Nemo praeter uxorem: melius sine uxore. Si pudicitiam coniugalem quaeris: habes Susannam; si vidualem: habes Annam; si virginalem: habes Mariam.

### SERMO CCCXLIII (397)

<sup>PL 39, 1507</sup> 3. Qui ergo liberavit Susannam mulierem castam, coniugem fide-

870

lem a falso testimonio seniorum, ipse liberavit et virginem Mariam a falsa suspicione mariti sui. Inventa est ergo virgo illa praegnans, ad quam vir non accesserat. Uterus quidem fetu intumuerat; sed virginalis integritas manserat. Seminatorem fidei fide conceperat, Deum in suum corpus assumpserat, qui eius corpus violari non permiserat: marito tamen tanquam homini venit in suspicionem. Aliunde esse credebat, quod de se non esse sciebat, et ipsum aliunde adulterium suspicabatur. Ab angelo corrigitur. Quare dignus fuit ab angelo corrigi? Quia non in illo erat malevola suspicio: quales Apostolus dicit malevolas suspiciones nasci inter fratres.<sup>3</sup> Malevolae suspiciones sunt calumniantium, benevolae suspiciones sunt gubernantium. Lieet cuiquam de filio male suspicari; sed de filio non licet calumniari: utique suspicaris malum; sed optas invenire bonum. Qui benevole suspicatur, vinci cupit: tunc enim bene laetatur, quando falsum inventum fuerit quod male suspicabatur. Talis erat Joseph circa coniugem suam, cui corpore non erat mixtus, sed tamen fide iam fuerat copulatus. Venit ergo et virgo in falsam suspicionem: sed sicut pro Susanna adfuit in Daniele Spiritus, sic pro Maria adfuit angelus. Ad Ioseph inquit angelus: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim de ea nascitur, de Spiritu sancto est.*<sup>4</sup> Ablata suspicio est, quia inventa redemptio est.

4. Gaudebant paulo ante coniugatae ad Susannam, gaudeant virgines ad Mariam: utraeque teneant castitatem; illae coniugalem, illae virginalem. Utraque enim castitas habet apud Deum meritum: etsi virginalis maior est, coniugalis minor; tamen utraque grata est Deo, quia donum est Dei.

<sup>1</sup> Le. I-II.

<sup>2</sup> Eccli. III, 20.

<sup>3</sup> I Tim. VI, 4.

<sup>4</sup> Matth. I, 20.

## CONTRA FAUSTUM MANICHAEUM (397/398)

- 871** Lib. XIV, cap. V. Ex ingenio meo ista dixerim, si non Apostolus <sup>PL 42, 297</sup> toties hoc inculcat, ut et dormientes excitet, et calumniantes offocet. *Misit*, inquit, *Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne.*<sup>1</sup> Non erat ergo illa caro peccati, quia non de traduce mortalitatis in Mariam per masculum venerat: sed tamen quia de peccato est mors, illa autem caro quamvis ex virgine, tamen mortalis fuit; eo ipso quo mortalis erat, similitudinem habebat carnis peccati. Hoc appellat etiam peccatum, consequenter dicens, *Ut de peccato damnaret peccatum in carne.* Item alio loco, *Eum*, inquit, *qui non noverat peccatum, peccatum pro nobis fecit, ut nos simus iustitia Dei in ipso.*<sup>2</sup> Cur ergo timeret Moyses dicere *maledictum*, quod Paulus non timuit dicere *peccatum?* Plane hoc Propheta et praevidere debuit, et praedicere, paratus ab haereticis cum Apostolo reprehendi. Quisquis enim reprehenderit Prophetam dixisse, *peccatum:* nam utique maledictum comes peccati est.
- 872** Lib. XXIII, cap. VII. Sic ergo de coelo dictum est super aquam Iordanis, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui;* quemadmodum dictum est et in monte.<sup>3</sup> Neque enim quia et ibi de coelo vox ipsa sonuit, Filius Dei ante non fuit: quandoquidem ex utero virginis ille accepit *formam servi, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse aequalis Deo.*<sup>4</sup> Denique idem ipse apostolus Paulus alio loco apertissime dicit, *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub Lege:*<sup>5</sup> mulierem scilicet more locutionis hebraicae feminam appellans. Ipse ergo est Filius Dei, qui et Dominus David secundum divinitatem; et idem ipse filius David, ex semine David secundum carnem. Quod si nobis credere non prodesset, non hoc tam attente idem apostolus Timotheo commendaret, dicens, *Memor esto Christum Iesum resurrexisse a mortuis, ex semine David, secundum Evangelium meum.*<sup>6</sup> Contra quod Evangelium quisquis aliud annuntiaverit, ut anathema sit, magna cura fideles admonuit.<sup>7</sup>
- 873** Cap. VIII. Quid ergo iam moveat sancti Evangelii sectatorem, <sup>PL 42, 470</sup>

<sup>1</sup> Rom. VIII, 3.<sup>2</sup> II Cor. V, 21.<sup>3</sup> Matth. XVII, 5.<sup>4</sup> Philipp. II, 6.<sup>5</sup> Gal. IV, 4.<sup>6</sup> II Tim. II, 8.<sup>7</sup> Gal. I, 8.

quod sine concubitu Ioseph Christus natus ex virgine, filius tamen David appellatur, cum generationum seriem non usque ad Mariam, sed usque ad Ioseph Mattheaeus evangelista perducat? Primo, quia mariti eius fuerat, propter virilem sexum, potius honoranda persona: neque enim quia concubitu non permixtus, ideo non maritus, cum ipse Mattheaeus narret ab angelo Mariam coniugem ipsius appellatam, qui narrat quod non ipsius concubitu, sed de Spiritu sancto conceperat. Quod si non Mattheaeus apostolus ista vera, sed aliquis alius sub eius nomine, sicut Manichaei putant, ea falsa conscriberet; itane sibi etiam ipse in rebus apertissimis et tam de proximo contextis contraria loqueretur, ut quem diceret David Filium de Maria virgine sine cuiusquam viri concubitu natum, eiusdem parentes gradatim enumerans, usque ad eum sine aliqua ratione perduceret, quem non commixtum Mariae ipse dixisset? Si enim aliis enumeraret progenatores Christi a David usque ad Ioseph, dicens eum filium David, et alius eum sine ullius viri concubitu ex Maria virgine natum diceret, nec cum filium David appellaret; nec sic continuo putare deberemus, eos sibi haec contraria locutos fuisse, ut vel ambo vel unus eorum falsitatis convinceretur. Cogitare enim deberemus fieri potuisse ut ambo vera dicarent, ut et Ioseph maritus Mariae diceretur, habens eam coniugem continenter, non concubitu, sed affectu; non commixtione corporum, sed copulatione, quo est charius, animorum: et ideo non debuisse virum virginis \*matris Christi separari a serie parentum Christi; et ipsam Mariam aliquam de stirpe David venam sanguinis ducere, ut caro Christi etiam ex virgine procreata sine David semine esse non posset. Cum vero unus idemque narrator utrumque dicat, utrumque commendet, et virum Mariae Ioseph et Christi virginem matrem, et Christum ex semine David et Ioseph in serie progeneratorum Christi ex David: quid restat ut credat, qui vult divino Evangelio, quam haereticorum fabulis credere, nisi et Mariam non fuisse extraneam a cognatione David, et eam Ioseph coniugem non frustra appellatam, propter ordinem sexus et animorum confoederationem, quamvis ei non fuerit carne commixtus; et Ioseph potius propter dignitatem virilem ab ordine generationum illarum non fuisse separandum, ne hoc ipso videretur ab illa femina separatus, cui eum coniungebat mentis affectus; et ne homines fideles Christi, id quod sibi coniuges carne miscentur, tam magnum in coniugio deparent, ut sine hoc coniuges esse non crederent: sed potius discent fidelia coniugia, multo familiarius se adhaerere membris Christi, quanto potuissent imitari parentes Christi?

\* 471

PL 42, 471

Cap. IX. Nos ergo credimus etiam Mariam fuisse in cognatione David, quia Scripturis eis credimus, quae utrumque dicunt, et Chri-

874

stum ex semine David secundum carnem,<sup>1</sup> et eius matrem Mariam, non cum viro concubendo, sed virginem.<sup>2</sup> Quisquis itaque dicit Mariam ad consanguinitatem David non pertinuisse, manifestum est quod istarum Scripturarum tam excellenti auctoritati obluctetur: ipse ergo convincat non eam pertinuisse ad semen David, et hoc ostendat, non ex quibuscumque litteris, sed ecclesiasticis, canonicis, catholicis. Aliae quippe apud nos non habent ad has res ullum pondus auctoritatis: ipsae sunt enim quas recipit et tenet Ecclesia toto orbe diffusa, quae per illa est etiam prophetata; et quemadmodum promissa, sic redditia. Ac per hoc illud quod de generatione Mariae Faustus posuit, quod patrem habuerit ex tribu Levi sacerdotem quemdam nomine Ioachim, quia canonicum non est,<sup>3</sup> non me constringit: sed etiamsi hoc crederem, ipsum potius Ioachim dicerem aliquo modo ad David sanguinem pertinuisse, et aliquo modo ex tribu Iuda in tribum Levi fuisse adoptatum, vel ipsum vel eius aliquem progenerarem, vel certe in tribu Levi ita natum, ut de stirpe David consanguinitatem aliquam duceret; sicut fieri potuisse idem Fautus fatetur, ut Maria de tribu Levi esset, quam tamen constat traditam viro qui fuerit de stirpe David, id est de tribu Iuda; et ita dicit potuisse accipi, Christum filium David, si Maria filia Ioseph fuisset. Proinde si filia Ioseph \* nupsisset in tribu Levi, non absurde diceretur etiam filius David, quisquis de illa et in tribu Levi natus fuisset: ita si mater illius Ioachim, quem patrem Mariae Faustus commemorat, de tribu Iuda et genere David nupsit in tribu Levi, non immerito et Ioachim, et Maria, et filius Mariae etiam sic ex David semine veraciter perhibentur. Hoc ergo potius, vel tale aliquid crederem, si illius apocryphae scripturae, ubi Ioachim pater Mariae legitur, auctoritate detinerer, quam mentiri Evangelium in quo scriptum est, et Iesum Christum Filium Dei Salvatorem nostrum ex semine David secundum carnem, et per virginem Mariam procreatorem. Sufficit ergo nobis quod Scripturae quae hoc dicunt, et quibus credimus, ab inimicis suis de nulla possunt falsitate convinci.

\*472

875 Cap. X. Non mihi ergo vicissim dicat: Etsi ego non ostendo Mariam non fuisse de cognatione David, tu quod inde fuerit ostende. Hoc enim ostendo clarissimo plane atque fortissimo documento, quod Scriptura confirmatissimae auctoritatis et Christum dicit ex semine David, et eius matrem sine ullius concubitus virginem Mariam. Quam vero sibi Faustus cuiusdam quasi turpitudinis visus est verecundissimus detestator, cum diceret: *Frustra vos calumniam ingeritis*

PL  
42, 472<sup>1</sup> Rom. I, 3 et II Tim. II, 8.<sup>2</sup> Matth. I, 18, et Lc. I, 27.<sup>3</sup> Apocryphum *Protoevangelium Iacobi* quod dicitur.

*scriptori, tamquam Dei ille Filium in utero mulieris incluserit!* Non plane catholica fides, quae Christum Dei Filium natum secundum carnem credit ex virgine, ullo modo eundem Dei Filium sic in utero mulieris includit, quasi extra non sit, quasi coeli et terrae administrationem deseruerit, quasi a Patre recesserit: sed vos, Manichaei, corde illo, quo nihil potestis nisi corporalia phantasmata cogitare, ista omnino non capitis, quomodo Dei Verbum, Dei Virtus atque Sapientia, in se manens et apud Patrem, et universam creaturam regens, pertendat a fine usque ad finem fortiter, et disponat omnia suaviter.<sup>1</sup> In cuius dispositionis admirabili et ineffabili facilitate sibi etiam matrem in terra disposuit, et propter servos suos de corruptionis servitute liberandos in ea formam servi, hoc est, mortale corpus accepit, acceptum monstravit, monstratumque et morte prostratum, resurrectione sursum erexit, et tanquam templum solutum iterum aedificavit. Vos tamen qui haec credere quasi sacrilega formidatis, non membra dei vestri in utero virginis, sed in uteris omnium feminarum carnalium ab elephantis usque ad museas includitis. An ideo vobis videtur vilior verus Christus, quia sic Verbum dicimus carnem factum in utero virginali, ut nulla sui commutatione in natura propria inviolabiliter permanens, templum sibi hominem coaptarit; et ideo vobis charus est deus vester, quia tot vinculis carnium colligatus et inquinatus in illa parte qua etiam in globo figendus est, sine causa suppetias deprecatur, aut etiam penitus oppressus deprecari non sinitur?

PL  
42, 490

876

Lib. XXIX, cap. IV. Absit autem ut sit in membris sanctorum etiam genitalibus aliqua turpitudo. Dicuntur quidem inhonesta, quia non habent eam speciem decoris, quam membra quae in promptu locata sunt. Sed videte quid dicat Apostolus, cum ex ipsa membrorum corporis nostri unitate atque compage charitatem persuadet Ecclesiae. *Multo magis, inquit, quae videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt; et quae videntur viliora esse corporis, iis abundantiorem honorem circumponimus: et quae inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent; quae autem honesta sunt nostra, non opus habent: sed Deus temperavit corpus, ei, cui deerat, maiorem honorem dans, ut non essent scissurae in corpore.*<sup>2</sup> Illicitus itaque, et temperantiae legibus non subiectus membrorum illorum usus est turpis; non ipsa membra, quae non solum in excellenti integritate caelibes et virgines servant, sed ipsi coniugati sancti patres ac matres, sic eis generationi tantummodo consulentes utebantur, ut ille natu-

<sup>1</sup> Sap. VIII, 1.<sup>2</sup> I Cor. XII, 22-25.

ralis motus nullo modo turpis esset, qui non libidini, sed rationi serviret. Quanto magis ergo in sancta virgine Maria, quae Christi carnem fide concepit, nihil habuerunt turpitudinis membra, quae nec humano licitoque conceptui, sed divino tantum partui servierunt? Merito plane sic honestata, ut nobis Christum, quem cordibus integris credendo conciperemus, et confitendo quodammodo pareremus, etiam corporaliter servata integritate transfunderet. Nullo modo enim Christus matrem nascendo faceret deteriorem; ut cui munus fecunditatis attulerat, decus virginitatis auferret. Haec veraciter, non fallaciter facta sunt: sed nova sunt, sed insolita sunt, sed contra naturae cursum notissimum sunt, quia magna, quia mira, quia divina; et eo magis vera, certa, firmata.

Et Angeli, inquit, visi et locuti sunt, quamvis nati non fuerint. Quasi nos dicamus Christum, nisi nasceretur ex femina, nec videri, nec loqui potuisse. Potuit, sed noluit: et hoc melius est quod voluit. Hoc autem eum voluisse ideo certum est, quia hoc fecit, qui nihil necessitate, sicut deus vester, faceret, sed omnia voluntate. Hoc vero eum fecisse, ideo non dubitamus, quia non cuiquam haeretico, sed eius Evangelio credimus.

#### CONFESIONES (397/401)

877 Lib. V, cap. X, 20. [...] Ipsum quoque Salvatorem nostrum unigenitum tuum, tanquam de massa lucidissimae molis tuae porrectum ad nostram salutem, ita putabam, ut aliud de illo non crederem, nisi quod possem vanitate imaginari. Talem itaque naturam eius nasci non posse de Maria virgine arbitrabar, nisi carni concerneretur. Concerni autem et non inquinari non videbam, quod mihi tale figurabam. Metuebam itaque credere in carne natum, ne credere cogerer ex carne inquinatum. Nunc spirituales tui blande et amanter ridebunt me, si has confessiones meas legerint: sed tamen talis eram.

PL  
32, 716

878 Lib. VII, cap. XIX, 25. Ego vero aliud putabam, tantumque sentiebam de Domino Christo meo, quantum de excellentis sapientiae viro, cui nullus posset aequari; praesertim quia mirabiliter natus ex virgine, ad exemplum contemnendorum temporalium pro adipiscenda immortalitate, divina pro nobis cura tantam auctoritatem magisterii meruisse videbatur. Quid autem sacramenti haberet *Verbum caro factum*,<sup>1</sup> ne suspicari quidem poteram.

PL  
32, 746

<sup>1</sup> Io. I, 14.

## DE DOCTRINA CHRISTIANA (397/426)

<sup>PL 34, 24</sup> Lib. I, cap. XIV, 13. [...] Corrupto animo feminae ingressus est 879  
morbus; integro corpore feminae processit salus. Ad eadem contraria  
pertinet, quod etiam exemplo virtutum eius vitia nostra curantur.  
Iamvero similia quasi ligamenta membris et vulneribus nostris adhi-  
bita, illa sunt, quod per feminam deceptos per feminam natus, homo  
homines, mortalis mortales, morte mortuos liberavit.

## DE CATECHIZANDIS RUDIBUS (399)

<sup>PL 40, 339</sup> Cap. XXII, 40. [...] Natus enim de matre quae quamvis a viro 880  
intacta conceperit, semperque intacta permanserit, virgo concipiens,  
virgo pariens, virgo moriens, tamen fabro desponsata erat, omnem  
typhum carnalis nobilitatis extinxit.<sup>1</sup>

<sup>PL 40, 346</sup> Cap. XXVII, 53. [...] Praedictum est Abrahæ fideli servo Dei, 881  
uni homini, quod de illo esset populus nasciturus, qui coleret unum  
Deum inter caeteras gentes quae idola colebant: et omnia quae illi  
populo ventura praedicta sunt, sic evenerunt ut praedicta sunt. Pro-  
phetatus est in illo populo etiam Christus rex omnium sanctorum et  
Deus venturus ex semine ipsius Abraham secundum carnem, quam  
assumpsit, ut omnes etiam filii essent Abrahæ, qui fidem eius imita-  
rentur; et sic est factum: natus est Christus de Maria virgine, quae  
ex illo genere fuit.<sup>2</sup>

## DE FIDE RERUM QUAE NON VIDENTUR (399)

<sup>PL 40, 174</sup> Cap. III, 5. [...] Jacob genuit duodecim filios, ex quibus ortus est 882  
populus Israel. Iacob quippe ipse appellatus est Israel. In his duo-  
decim filiis genuit Iudam, unde nomen est Iudeorum, ex quibus  
nata est virgo Maria, quae peperit Christum. Et ecce in Christo, id  
est in semine Abrahæ, benedici omnes gentes videtis et stupetis; et  
adhuc in eum credere timetis, in quem non credere potius timere de-  
buitis! An credere dubitatis vel recusatis virginis partum, cum ma-  
gis credere debeatis, sic decuisse nasci hominem Deum? Et \* hoc nam-  
que accipite per prophetam fuisse praedictum: *Ecce virgo accipiet in  
utero, et pariet filium, et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est in-*

<sup>1</sup> CCL XLVI, 164.

<sup>2</sup> CCL XLVI, 175.

*terpretatum, Nobiscum Deus.*<sup>1</sup> Non ergo dubitabitis virginem parientem, si velitis credere Deum nascentem; mundi regimen non relinquentem, et ad homines in carne venientem; matri fecunditatem afférentem, integratatem non auferentem. Sic hominem nasci oportebat, etsi semper erat Deus, ex quo nascendo fieret nobis Deus.<sup>2</sup>

## DE TRINITATE (399/419)

- 883 Lib. VIII, cap. V, 7. [...] Hoc enim nobis prodest credere, et fir-  
mum atque inconcussum corde retinere, humilitatem qua natus est  
Deus ex femina et a mortalibus per tantas contumelias perductus ad  
mortem, sumnum esse medicamentum quo superbiae nostrae sana-  
retur tumor, et altum sacramentum quo peccati vinculum solveretur.  
Sic et virtutem miraculorum ipsius et resurrectionis eius, quoniam  
novimus quid sit omnipotentia, de omnipotente Deo credimus, et se-  
cundum species et genera rerum vel natura insita vel experientia col-  
lecta, de factis huiuscmodi cogitamus, ut non ficta sit fides nostra.  
Neque enim novimus faciem virginis Mariae, ex qua ille a viro in-  
tacta neque in ipso partu corrupta mirabiliter natus est.

[...] Credimus enim Dominum Iesum Christum natum de virgine  
quae Maria vacabatur. Quid sit autem virgo, et quid sit nasci,  
et quid sit nomen proprium non credimus, sed prorsus novimus.  
Utrum autem illa facies Mariae fuerit quae occurrerit animo cum  
ista loquimur aut recordamur, nec novimus omnino, nec credi-  
mus. Itaque hic, salva fide, licet dicere: «Forte talem habebat faciem,  
forte non talem». «Forte autem de virgine natus est Christus» nemo  
salva fide christiana, dixerit.<sup>3</sup>

- 884 Lib. XV, cap. XXVI, 46. [...] Nec sane tunc unctus est Christus  
Spiritus sancto, quando super eum baptizatum velut columba de-  
scendit: <sup>4</sup> tunc enim corpus suum, id est, Ecclesiam suam praefigu-  
rare dignatus est, in qua praecipue baptizati accipiunt Spiritum  
sanctum: sed ista mystica et invisibili unctione tunc intelligendus est  
unctus, quando Verbum Dei caro factum est; <sup>5</sup> id est, quando humana  
natura sine illis praecedentibus bonorum operum meritis Deo Verbo  
est in utero virginis copulata, ita ut eum illo fieret una persona. Ob  
hoc eum confitemur natum de Spiritu sancto et virgine Maria.<sup>6</sup>

<sup>1</sup> Isa. VII, 14.

<sup>2</sup> CCL XLVI. 7.

<sup>3</sup> CCL L, 277.

<sup>4</sup> Matth. III, 16.

<sup>5</sup> Io. I, 14.

<sup>6</sup> CCL LA, 526, 527.

PL  
42, 952

PL  
42, 1093

## DE CONSENSU EVANGELISTARUM (400)

<sup>PL 34, 1071</sup> Cap. I, 2. [...] Exsequitur ergo humanam generationem Christi Mat- 885  
 thaeus, ab Abraham generatores commemorans, quos perducit ad Ioseph virum Mariae de qua natus est Iesus. Neque enim fas erat ut ob hoc cum a coniugio Mariae separandum putaret, quod non ex eius concubitu, sed virgo peperit Christum. Hoc enim exemplo magnifice insinuatur fidelibus coniugatis, etiam servata pari consensu continentia, posse permanere vocarique coniugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu: praesertim quia nasci eis etiam filius potuit sine ullo complexu carnali, qui propter solos gignendos filios adhibendus est. Neque enim propterea non erat appellandus Ioseph pater Christi, quia non eum concubendo genuerat, quandoquidem recte pater esset etiam eius quem non ex sua coniuge procreatum, aliunde adoptasset.

<sup>\*1072</sup> 3. Putabatur quidem Christus etiam aliter filius Ioseph, tan-  
 quam ex eius omnino carne progenitus; \* sed ab eis hoc putabatur,  
 quos Mariae latebat virginitas. Nam Lucas ait: *Et ipse Iesus erat in-  
 cipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioseph.*<sup>1</sup> Qui tam-  
 men Lucas non eius parentem solam Mariam, sed ambos parentes  
 eius appellare minime dubitavit, ubi ait: *Puer autem crescebat et con-  
 fortabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo. Et ibant parentes  
 eius per omnes annos in Ierusalem in die solemnii Paschae.* Sed ne quis-  
 quam hic parentes consanguineos potius Mariae cum ipsa matre  
 eius intelligendos putet, quid ad illud respondebit, quod ipse item  
 Lucas superius dixit. *Et erat pater eius et mater mirantes super iis quae  
 dicebantur de illo?*<sup>2</sup> Cum igitur ipse narret, non ex concubitu Ioseph,  
 sed ex Maria virgine natum Christum; unde eum patrem eius appellat,  
 nisi quia et virum Mariae recte intelligimus sine commixtione  
 carnis, ipsa copulatione coniugii; et ob hoc etiam Christi patrem  
 multo coniunetius, qui ex eius coniuge natus sit, quam si esset aliunde  
 adoptatus? Unde manifestum est illud, quod ait, *Ut putabatur, filius  
 Ioseph*, propter illos dixisse, qui eum ex Ioseph, sicut alii homines  
 nascuntur, natum arbitrabantur.

Cap. II, 4. Ac per hoc, etiam si demonstrare aliquis posset, Mariam ex David nullam consanguinitatis originem ducere, sat erat secundum istam rationem accipere Christum filium David, qua ratione etiam Ioseph pater eius recte appellatus est: quanto magis, cum evidenter dicat apostolus Paulus, ex semine David secundum

<sup>1</sup> Lc. III, 23.

<sup>2</sup> Lc. II, 33.

carnem Christum,<sup>1</sup> ipsam quoque Mariam de stirpe David aliquam consanguinitatem duxisse, dubitare utique non debemus. Cuius fēmina quoniam nec sacerdotale genus tacetur, insinuante Luca, quod cognata eius esset Elisabeth quam dicit de filiabus Aaron;<sup>2</sup> firmissime tenendum est carnem Christi ex utroque genere propagatam, et regum scilicet et sacerdotum, in quibus personis apud illum populum Hebraeorum etiam mystica unctio figurabatur, id est, chrisma, unde Christi nomen elucet, tanto ante etiam illa evidentissima significatione praenuntiatum.

## SERMO CCXLVII (400)

- 886     2. [...] Lectio admonet nos, et quodam modo loquitur nobis, ut aliquid dicamus, quemadmodum Dominus qui in ea soliditate corporis resurrexit, ut non solum videretur a discipulis, sed etiam tangeretur, potuerit illis apparere ostiis clausis. Nonnulli enim de hac re ita moventur, ut pene periclitentur, afferentes contra miracula divina praeiudicia ratiocinationum suarum. Sic enim disputant: «Si corpus erat, si caro et ossa erant, si hoc surrexit de sepulcro, quod peperdit in ligno; quomodo per clausa ostia intrare potuit? Si non potuit, dicunt, non est factum. Si potuit, quomodo potuit?» Si comprehendis modum, non est miraculum: et si miraculum tibi non videtur, propinquas ut neges quia et de sepulcro resurrexit. Respice ab initio miracula Domini tui, et redde mihi de singulis rationem. Vir non accessit, et virgo concepit. Redde rationem, quomodo sine masculo virgo conceperit. Ubi defecerit ratio, ibi est fidei aedificatio. Ecce habes unum in Domini conceptu miraculum: audi etiam in partu. Virgo peperit, et virgo permansit. Iam tune Dominus antequam resurgeret, per clausa ostia natus est. Quaeris a me et dicis: Si per clausa ostia intravit, ubi est corporis modus? Et ego respondeo: Si super mare ambulavit, ubi est corporis pondus? Sed fecit illud Dominus tanquam Dominus. Numquid ergo cum resurrexit, destitit esse Dominus? Quid quod et Petrum fecit ambulare super mare?<sup>3</sup> Quod in illo divinitas potuit, in isto fides implevit. Sed Christus, quia potuit; Petrus, quia Christus adiuvit. Si ergo cooperis humano sensu miraculorum discutere rationem, timeo ne perdas fidem. Nescis nihil esse impossibile Deo?

PL  
38, 1157<sup>1</sup> Rom. I, 3.<sup>2</sup> Lc. I, 5 et 36.<sup>3</sup> Matth. XIV, 29.

## SERMO CCXXXIII (400)

<sup>PL 38, 1114</sup> Cap. III, 4. [Christus] de coelo enim venit a Patre. Et tamen <sup>887</sup> natus est mortalis. Natus est de Spiritu sancto ex virgine Maria. Numquid nos sic de Adam et Eva? Nos per concupiscentiam carnis, ille autem non per ipsam. Maria enim virgo sine virili amplexu, sine concupiscentiae aestu; quoniam ne pateretur hunc aestum, ideo ei dictum est, *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.*<sup>1</sup> Virgo ergo Maria non concubuit et concepit; sed credidit et concepit. Natus est enim mortalibus mortalibus.

## DE SANCTA VIRGINITATE (401)

<sup>PL 40, 397</sup> Cap. II, 2. Hoe isto sermone suscepimus: adiuvet Christus Virginis filius, et virginum sponsus, virginali utero corporaliter natus, virginali connubio spiritualiter coniugatus. Cum ipsa igitur universa Ecclesia virgo sit despensata uni viro Christo, sicut dicit Apostolus;<sup>2</sup> quanto digna sunt honore membra eius, quae hoc custodiunt etiam in ipsa carne, quod tota custodit in fide? Quae imitatur matrem viri sui et domini sui. Nam Ecclesia quoque et mater et virgo est, cuius enim integrati consulimus, si virgo non est? Aut cuius prolem alloquimur, si mater non est? Maria corporaliter caput huius corporis peperit: Ecclesia spiritualiter membra illius capitum parit. In utraque virginitas fecunditatem non impedit: in utraque fecunditas virginitatem non adimit. Proinde cum Ecclesia universa sit sancta et corpore et spiritu, nec tamen universa sit corpore virgo, sed spiritu; quanto sanctior est in his membris, ubi virgo est et corpore et spiritu?

<sup>PL 40, 397</sup> Cap. III, 3. Scriptum est in Evangelio, quod mater et fratres Christi, hoc est consanguinei carnis eius, cum illi nuntiati fuissent, et foris exspectarent, quia non possent eum adire prae turba, ille <sup>889</sup> respondit: *Quae est mater mea, aut qui sunt \*fratres mei?* Et extendens manum super discipulos suos, ait: *Hi sunt fratres mei; et quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse mihi frater, et mater et soror est.*<sup>3</sup> Quid aliud nos docens, nisi carnali cognationi genus nostrum spirituale praepone; nec inde beatos esse homines, si iustis et sanctis carnis propinquitate iunguntur, sed si eorum doctrinae ac moribus obediendo atque imitando cohaerescunt? Beatior ergo Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. Nam et di-

<sup>1</sup> Le. I, 35.

<sup>2</sup> II Cor. XI, 2.

<sup>3</sup> Matth. XII, 46-50.

centi euidam, *Beatus venter qui te portavit*; ipse respondit, *Imo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt.*<sup>1</sup> Denique fratribus eius, id est secundum carnem cognatis, qui non in eum crediderunt, quid profuit illa cognatio? Sic et materna propinquitas nihil Mariae profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset.

890 Cap. IV, 4. Ipsa quoque virginitas eius ideo gratior et acceptior quia non eam conceptus Christus viro violaturo quam conservaret ipse praeripuit, sed priusquam conciperetur iam Deo dicatam de qua nasceretur elegit. Hoc indicant verba quae sibi fetum annuntianti angelo Maria reddidit. *Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco?*<sup>2</sup> Quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset. Sed quia hoc Israëlitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto, non violenter ablature, sed potius contra violentos custodituro quod illa iam voverat. Quanquam etiamsi hoc solum dixisset, *Quomodo fiet istud?* nec addidisset, *quoniam virum non cognosco;* non quaesisset utique, promissum sibi filium quomodo femina paritura esset, si concubitura nupsisset. Poterat et iuberi virgo permanere, in qua Dei Filius formam servi congruenti miraculo acciperet: sed exemplo sanctis futura virginibus, ne putaretur sola virgo esse debuisse, quae prolem etiam sine concubitu concipere meruisset, virginitatem Deo dicavit, cum adhuc quid esset conceptura nesciret, ut in terreno mortalique corpore caelestis vitae imitatio voto fieret, non praecepto; amore eligendi, non necessitate serviendi. Ita Christus nascendo de virgine, quae antequam sciret quis de illa fuerat nasciturus, virgo statuerat permanere, virginitatem sanctam approbare maluit, quam imperare. Ac sic etiam in ipsa femina in qua formam servi accepit, virginitatem esse liberam voluit.

PL  
40, 398

891 Cap. V, 5. Non est ergo cur Dei virgines contristentur, quod etiam ipsae virginitate servata matres carnis esse non \*possunt. Illum enim solum virginitas decenter parere posset, qui in sua nativitate parem habere non posset. Verumtamen ille unius sanctae Virginis partus omnium sanctorum virginum est decus. Et ipsae cum Maria matres Christi sunt, si Patris eius faciunt voluntatem. Hinc enim et Maria laudabilius atque beatius Christi mater est, secundum supra memoratam eius sententiam: *Quicumque facit voluntatem Patris mei qui in caelis est, ipse mihi frater, et soror, et mater est.*<sup>3</sup> Has sibi omnes propinquitates, in populo quem redemit, spiritualiter exhibet: fratres et sorores habet sanctos viros et sanctas feminas, quoniam sunt illi in

PL  
40, 398  
\*399

<sup>1</sup> Lc. XI, 27, 28.

<sup>2</sup> Lc. I, 34.

<sup>3</sup> Matth. XII, 50.

caelesti haereditate cohaeredes. Mater eius est tota Ecclesia, quia membra eius, id est, fideles eius per Dei gratiam ipsa utique parit. Item mater eius est omnis anima pia, faciens voluntatem Patris eius fecundissima charitate, in iis quos parturit, donec in eis ipse formetur.<sup>1</sup> Maria ergo faciens voluntatem Dei, corporaliter Christi tantummodo mater est, spiritualiter autem et soror et mater.

PL 40, 399 Cap. VI, 6. Ac per hoc illa una femina non solum spiritu, verum etiam corpore, et mater est et virgo. Et mater quidem spiritu, non capitis nostri, quod est ipse Salvator, ex quo magis illa spiritualiter nata est; quia omnes qui in eum crediderint, in quibus et ipsa est, recte filii sponsi appellantur:<sup>2</sup> sed plane mater membrorum eius, quod nos sumus; quia cooperata est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, quae illius capitum membra sunt: corpore vero ipsius capitis mater. Oportebat enim caput nostrum propter insigne miraculum secundum carnem nasci de virgine, quo significaret membra sua de virgine Ecclesia secundum spiritum nascitura. Sola ergo Maria et spiritu et corpore mater et virgo; et mater Christi, et virgo Christi: Ecclesia vero in sanctis regnum Dei possessuris, spiritu quidem tota mater Christi est, tota virgo Christi; corpore autem non tota, sed in quibusdam virgo Christi, in quibusdam mater, sed non Christi. Et coniugatae quippe fideles feminae et virginis Deo dicatae, sanctis moribus et charitate de corde puro et conscientia bona et fide non fieta,<sup>3</sup> quia voluntatem Patris faciunt, Christi spiritualiter matres sunt. Quae autem coniugali vita corporaliter pariunt, non Christum, sed Adam pariunt, et ideo currunt ut Sacramentis imbuti Christi membra fiant partus earum, quoniam quid pepererint norunt.

PL 40, 399 Cap. VII, 7. Hoc dixi, ne forte audeat fecunditas coniugalium cum virginali integritate contendere, atque ipsam Mariam proponere, ac virginibus Dei dicere: Illa in corpore duas res habuit honorandas, virginitatem et fecunditatem, quia et integra permansit et peperit: hanc felicitatem quoniam totam utraeque habere non potuimus, partitae sumus, ut vos sitis virginis, nos simus matres; vobis quod desit in prole, consoletur servata virginitas, nobis prolixi lucro \*amissa compensemetur integritas.

\*400 Haec vox fidelium coniugatarum ad sacras virginis utcumque ferenda esset, si christianos corpore parerent; ut hoc solo esset Mariae fecunditas carnis excepta virginitate praestantior, quod illa ipsum caput horum membrorum, hae autem membra illius capitum

<sup>1</sup> Gal. IV, 19.

<sup>2</sup> Matth. IX, 15.

<sup>3</sup> I Tim. I, 5.

procrearent: nunc vero etiamsi tales hac voce contendant, quae oī  
hoc tantum viris iunguntur atque miscentur, ut filios habeant, nihil  
que aliud de filiis cogitant, nisi ut eos Christo lucentur, atque id mox  
ut potuerint faciunt; non tamen christiani ex earum carne nascuntur,  
sed postea fiunt, Ecclesia pariente per hoc quod membrorum Christi  
spiritualiter mater est, cuius etiam spiritualiter virgo est. Cui sancto  
partui cooperantur et matres, quae non christianos corpore pepe-  
rerunt, ut fiant quod se corpore parere non potuisse neverunt: per  
hoc tamen cooperantur, ubi et ipsae virgines matresque Christi sunt,  
in fide scilicet quae per dilectionem operatur.<sup>1</sup>

## DE GENESI AD LITTERAM (401/414)

- 894** Lib. IX, cap. XVI, 30. Nullo modo tamen dubitamus et hominum et arborum nonnisi Deum esse creatorem, fideliterque credimus factam feminam ex viro, nullo interveniente concubitu, etiamsi forte costa hominis ministrata sit per Angelos in opere Creatoris: sicut fideliter credimus etiam virum factum ex femina nullo interveniente concubitu, cum semen Abrahae dispositum est per Angelos in manu mediatoris.<sup>2</sup> Utrumque infidelibus incredibile est; fidelibus autem eur ad rei gestae proprietatem quod de Christo factum est, et tan-  
tum ad figuratam significationem quod de Eva scriptum est, credibile videatur? An vero sine cuiusquam concubitu vir ex femina fieri potuit, femina ex viro non potuit? Et virginalis uterus unde vir fieret habebat, virile autem latus unde femina fieret non habebat, cum hic Dominus de famula nasceretur, ibi de servo famula formaretur? Poterat et Dominus carnem suam de costa vel de aliquo membro Virginis creare; sed qui posset ostendere in corpore suo hoc se iterum fecisse quod factum est, utilius in matris corpore ostendit nihil pu-  
dendum esse quod castum est.
- 895** Lib. X, cap. XVIII, 32. [...] Quid incuinquit illo utero Vir-  
ginis, cuius caro etiamsi de peccati propagine venit, non tamen de  
peccati propagine concepit; ut ne ipsum quidem corpus Christi ea  
lex severit in utero Mariae, quae in membris posita corporis mortis,  
repugnat legi mentis? Quam sancti patres coniugati refrenantes, non  
quidem nisi quousque licebat in concubitu relaxarunt; nec tamen  
tantummodo quousque licebat, eius impetum pertulerunt. Proinde  
corpus Christi quamvis ex carne feminae assumptum est, quae de  
illa carnis peccati propagine concepta fuerat, tamen quia non sic in

PL  
34, 405PL  
34, 422<sup>1</sup> Gal. V, 6.<sup>2</sup> Gal. III, 19.

ea conceptum est, quomodo fuerat illa concepta, nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati.

PL 34, 424 Cap. XX, 35. [...] Secundum rationem quippe illam seminalem ibi fuit Levi, qua ratione per concubitum venturus erat in matrem, secundum quam rationem non ibi erat Christi caro, quamvis secundum ipsam ibi fuerit Mariae caro. Quapropter nec Levi, nec Christus in lumbis Abrahae secundum animam: secundum carnem vero et Levi, et Christus; sed Levi secundum concupiscentiam carnalem, Christus autem secundum solam substantiam corporalem. Cum enim sit in semine et visibilis corpulentia, et invisibilis ratio, utrumque eucurrit ex Abraham, vel etiam ex ipso Adam usque ad corpus Mariae; quia et ipsum eo modo conceptum et exortum est: Christus autem visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumpsit; ratio vero conceptionis eius non a semine virili, sed longe aliter ac desuper venit. Proinde secundum hoc quod de matre accepit, etiam in lumbis Abrahae fuit.

[TRACTATUS DE QUINTA FERIA S. PASCHAE] (402/404)

PLS II, 493 7. [...] QUI NATUS EST DE SPIRITU SANCTO ET MARIA VIRGINE. 897 Natus est de matre sine patre deorsum in terris, qui iam sursum de Patre ante tempora sine matre, tempora facturus, est natus. In carne vera nunc iuxta finem temporum de carne vera est genitus: sed caro eius similitudinem habebat carnis peccati, non erat caro peccati.  
\* 494 Et unde similitudinem habebat? Quia mortalis erat. Et unde \* peccati caro non erat? Quia per fidem virginis venerat.

ENARRATIO IN PS. XLIV (403)

PL 36, 495 3. [...] *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.*<sup>1</sup> Coniunctio nuptialis, Verbum et caro: huius coniunctionis thalamus, virginis uterus. Etenim caro ipsa Verbo est coniuncta: unde etiam dicitur, *Iam non duo, sed una caro.*<sup>2</sup> Assumpta est Ecclesia ex genere humano, ut caput esset Ecclesiae ipsa caro Verbo coniuncta, et caeteri credentes membra essent illius capitum. Nam vis videre quis venerit ad nuptias? *In principio erat*

<sup>1</sup> Ps. XVIII, 6.

<sup>2</sup> Matth. XIX, 6 et Ephes. V, 31.

*Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.<sup>1</sup> Gaudeat sponsa amata a Deo. Quando amata? Dum adhuc foeda. Omnes enim peccaverunt, ait Apostolus, et egent gloria Dei.<sup>2</sup>*

### ENARRATIO IN PS. LVII (403)

- 899     5. [...] Forte ergo a quadam vulva alienati sunt peccatores, in PS  
36, 678 qua dolores patiebatur charitas, per Apostolum dicens, *Quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.*<sup>3</sup> Exspecta ergo; formare. Noli tibi tribuere iudicium quod forte non nisi. Carnalis es adhuc, conceptus es: eo ipso quo accepisti nomen Christi, sacramento quadam natus es in visceribus matris. Non enim ex visceribus tantum homo nascitur, sed et in visceribus. Prius nascitur in visceribus, ut possit nasci de visceribus. Propterea dictum est de Maria: *Quod enim natum est in ea, de Spiritu sancto est.*<sup>4</sup> Nondum de illa natum erat, sed iam in illa natum erat. Ergo nascuntur intra viscera Ecclesiae quidam parvuli; et bonum est ut formati exeant, ne abortu labantur. Generet te mater, non abortiat. Si patiens fueris, usquequo formeris, usquequo in te certa sit doctrina veritatis, continere te debent materna viscera. Si autem impatientia tua concusseris latera matris, cum dolore quidem te excutit foras, sed magis tuo malo quam suo.<sup>5</sup>

### TRACTATUS DE SYMBOLO<sup>6</sup>

- 900     3. [...] QUI NATUS EST DE SPIRITU SANCTO ET VIRGINE MARIA. PLS  
II, 538 Ecce qua venit, quis, ad quos: per virginem Mariam, in qua operatus est Spiritus sanctus, non homo maritus; qui fecundavit castam, et servavit intactam.
- 901     8. [...] Virgo est ergo ecclesia. Virgo est, virgo sit: caveat seductorem, ne inveniat corruptorem. Virgo est ecclesia. Dicturus es mihi forte: Si virgo est, quomodo parit filios? Aut si non parit filios, quomodo dedimus nomina nostra, ut de eius visceribus nasceremur? Respondeo: et virgo est, et parit: Mariam imitatur, quae dominum peperit. Numquid non virgo sancta Maria et peperit, et virgo per-

<sup>1</sup> Io. I, 1.

<sup>2</sup> Rom. III, 23; CCL XXXVIII, 495.

<sup>3</sup> Gal. IV, 19.

<sup>4</sup> Matth. I, 20.

<sup>5</sup> CCL XXXIX, 713.

<sup>6</sup> Sermo *Morin Guelferbytanus* 1; cf. Sermo 213 in PL 38, 1060 ss.

mansit? Sic et ecclesia et parit, et virgo est; et si consideres, Christum parit: quia membra eius sunt, qui baptizantur. *Vos estis*, inquit apostolus, *corpus Christi et membra*.<sup>1</sup> Si ergo membra Christi parit, Mariae simillima est.

SERMO IV (410)<sup>2</sup>

<sup>PL 46, 981</sup> Sanctificavit nobis istum diem dies, qui fecit omnem diem, de <sup>902</sup> quo Psalmus cantat *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra; cantate Domino, et benedicte nomen eius, bene nuntiate de die in diem salutare eius*.<sup>3</sup> Quis est iste dies de die, nisi Filius de Patre, lumen de lumine. Sed dies ille qui genuit diem, qui de Virgine nasceretur hoc die. Dies ergo ille non habet ortum, non habet occasum. Diem dico Patrem Deum. [Non enim esset Iesus dies de die, nisi esset et Pater Dies]. Quid est dies nisi lumen? Non oculorum carnalium, non lumen, non lumen commune hominibus, et pecoribus, sed lumen quod Angelis lucet, lumen cui videndo corda purgantur. Transit enim ista nox, in qua modo vivimus, in qua nobis accenduntur lucernae Scripturarum, et veniet illud, quod in alio Psalmo canitur: *Mane astabo tibi, et contemplabor te*.<sup>4</sup> Dies ergo ille Verbum Dei, dies, qui lucet Angelis, dies, qui lucet in illa Patria, unde peregrinamur, vestivit se carne, et natus est de Maria Virgine. Mirabiliter natus est. Quid mirabilius Virginis partu? Concepit et virgo est. Creatus est enim de illa quam creavit, et attulit ei foecunditatem, non corrupit integratatem, Maria unde? Ex Adam. Adam unde? De terra. Si Adam de terra, et Maria de Adam, ergo et Maria terra. Si Maria terra, agnoscamus quod cantamus: *Veritas de terra orta est*.<sup>5</sup>

<sup>\*982</sup>

[...] \* Portavit eum Mater in utero, portemus in corde; gravidata est Virgo incarnatione Christi, gravidetur pectora nostra fide Christi; peperit Salvatorem, pariamus laudem. Non simus steriles; animae nostrae foecundae sint Deo. Generatio Christi a Patre sine Matre; generatio Christi a Matre sine Patre: ambae generationes mirabiles. Prima generatio aeterna, secunda temporalis. [Quando natus est de Patre? Quid est quando? Quaeris ibi quando, ibi, ubi non invenies tempus? Noli ibi quaerere quando. Hic quaere quando: Quando de Matre bene quaeris. Quando de Patre non bene quaeris; natus est,

<sup>1</sup> I Cor. XII, 27.

<sup>2</sup> Sermo *Frangipane*. Idem Sermo invenitur in PL 38, 1005 et ss., sermo 189 (Maurini) sed a *Frangipane* melius editus (cf. PLS II, 400-408).

<sup>3</sup> Ps. XCV, 1, 2.

<sup>4</sup> Ps. V, 5.

<sup>5</sup> Ps. LXXXIV, 12.

et non habet tempus]; natus est aeternus de aeterno, coaeternus. Quid miraris? Deus est. Fit consideratio Divinitatis, et perit causa admirationis.

### SERMO CCLXXXIX (410)

- 903** 2. Hominem concepit Elisabeth, hominem Maria: Elisabeth mater Ioannis, Maria mater Christi: sed Elisabeth solum hominem, Maria Deum et hominem. Mira res est, quomodo potuerit concipere creatura Creatorem. Quid est ergo intelligendum, fratres mei, nisi quia ipse sibi fecit carnem de sola matre, qui fecit primum hominem sine patre et matre? Primus ille noster casus fuit, quando femina per quam mortui sumus, in corde concepit venena serpentis. Persuasit enim serpens peccatum, et admissus est male suadens. Si primus noster casus fuit, cum femina concepit corde venena serpentis; non mirandum quod salus nostra facta est, cum femina concepit in utero carnem Omnipotentis. Uterque ceciderat sexus, uterque fuerat reparandus. Per mulierem in interitum missi eramus, per mulierem nobis reddita est salus.

### DE PECCATORUM MERITIS ET REMISSIONE (411)

- 904** Lib. I, cap. XXIX, 57. [Christus] solus sine peccato natus est, quem sine virili complexu, non concupiscentia carnis, sed obedientia mentis virgo concepit. Sola nostro vulneri medicinam parere potuit, quae non ex peccati vulnere germen piae prolixis emisit.
- 905** Lib. II, cap. XXIV, 38. [...] Ideo Virginem matrem, non lege carnis peccati, id est, non concupiscentiae carnalis motu concipientem, sed pia fide sanctum germen in se fieri promerentem, quam eligenter creavit, de qua crearetur elegit.

### SERMO CLXXXIV (411/412)

- 906** Cap. I, 1. [...] Cuius [filii] opus est apud Patrem manentis mundus universus, \* huius opus est ad nos venientis Virginis partus. Dedit quippe indicium maiestatis eius Virgo mater, quam virgo ante conceptum, tam virgo post partum; a viro praegnans inventa, non facta: gravida masculo, sine masculo: felicior atque mirabilior fecunditate addita, integritate non perdita. Hoc tam grande miraculum malunt illi fietum putare, quam factum. Ita in Christo homine et Deo, cre-

PL  
38, 1308

PL  
44, 142

PL  
44, 475

PL  
38, 995  
\* 996

dere quoniam non possunt humana, contemnunt; quoniam non possunt contemnere divina, non credunt. Nobis autem quanto illis abiecius, tanto sit gratius in humilitate Dei hominis corpus: et quanto illis est impossibilior, tanto sit divinior in hominis nativitate virginis partus.

<sup>PL</sup>  
<sup>38, 997</sup> 3. Hic de matre natus istum diem saeculis commendavit, qui de Patre natus saecula cuncta creavit. Nec illa nativitas ullam habere potuit matrem, nec ista quaesivit hominem patrem. Denique natus est Christus et de patre, et de matre; et sine patre, et sine matre: de patre Deus, de matre homo; sine matre Deus, sine patre homo. *Generationem ergo eius quis enarrabit:*<sup>1</sup> sive illam sine tempore, sive istam sine semine; illam sine initio, istam sine exemplo; illam quae nunquam non fuit, istam quae nec antea nec postea fuit; illam quae non habet finem, istam quae initium illie habet, ubi finem?

### SERMO CLXXXVI (411/412)

<sup>PL</sup>  
<sup>38, 999</sup> Cap. I, 1. Gaudeamus, fratres: laetentur et exsultent gentes. Istum diem nobis non sol iste visibilis, sed Creator ipsius invisibilis consecravit; quando eum pro nobis visibilem factum, a quo invisibili et ipsa creata est, visceribus fecundis et genitalibus integris Virgo Mater effudit. Concipiens virgo, pariens virgo, virgo grava, virgo feta, virgo perpetua. Quid miraris haec, o homo? Deum sic nasci oportuit, quando esse dignatus est homo. Talem fecit illam, qui est factus ex illa. Antequam enim fieret, erat; et quia omnipotens erat, fieri potuit manens quod erat. Fecit sibi matrem, cum esset apud Patrem: et cum fieret ex matre, mansit in Patre. Quomodo Deus esse desisteret, cum homo esse coepit, qui genitrici suae praestitit ne desisteret virgo esse, cum peperit?

### SERMO CXCI (411/412)

<sup>PL</sup>  
<sup>38, 1010</sup> 2. Sic adimpletum est quod praedixerat Psalmus, *Veritas de terra orta est.*<sup>2</sup> Maria virgo ante conceptum, virgo post partum. Absit enim ut in ea terra, hoc est in ea carne unde orta est veritas, periret integritas. Nempe post resurrectionem suam, cum spiritus putaretur esse, non corpus: *Palpate, inquit, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.*<sup>3</sup> Et tamen illius iuvenilis cor-

<sup>1</sup> Isa. LIII, 8.

<sup>2</sup> Ps. LXXXIV, 12.

<sup>3</sup> Lc. XXIV, 39.

poris soliditas, non patentibus foribus se ad discipulos intromisit.<sup>1</sup> Cur ergo qui potuit per clausa ostia magnus intrare, non potuit etiam per incorrupta membra parvus exire? Sed neque hoc, neque illud volunt credere increduli. Ideo potius fides utrumque credit; quia infidelitas utrumque non credit. Ipsa est quippe infidelitas, cui nulla in Christo videtur esse divinitas. Porro si fides Deum natum credit in carne, Deo non dubitat utrumque possibile; ut et corpus maioris aetatis non reserato aditu domus, intus positis praesentaret, et sponsus infans de thalamo suo, hoc est utero virginali, illaesa matris virginitate procederet.<sup>2</sup>

**910** Cap. II 3. Illic namque unigenitus Dei Filius humanam sibi dignatus est coniungere naturam, ut sibi capiti immaculato immaculatam consociaret Ecclesiam: quam Paulus apostolus virginem vocat, non solas in ea considerans etiam corpore virgines, sed incorruptas omnium desiderans mentes. *Desponsavi enim vos*, inquit, *uni viro, virginem castam exhibere Christo.*<sup>3</sup> Ecclesia ergo imitans Domini sui matrem, quoniam corpore non potuit, mente tamen et mater est et virgo. Nullo itaque modo virginitatem matri suae nascendo Christus ademit, qui Ecclesiam suam de fornicatione daemonum redimendo virginem fecit. Ex cuius \*incorrupta virginitate procreatae virgines sanctae, quae terrenas nuptias contemnentes, esse etiam carne virgines elegistis, gaudentes celebrate solemniter hodierno die Virginis partum. Ille quippe est natus ex femina, qui non est a masculo satus in femina. Qui vobis attulit quod amaretis, matri non abstulit quod amatis. Qui sanat in vobis quod traxistis ex Eva, absit ut vitiaret quod dilexistis in Maria.

**911** Cap. III, 4. Illa igitur cuius vestigia sectamini, et ut conciperet, cum viro non mansit; et cum pareret, virgo permansit. Imitamini eam quantum potestis; non fecunditate, quia hoc non potestis, salva virginitate. Sola utrumque potuit, quorum vos unum habere voluistis; quia hoc perditis, si utrumque habere velitis. Sola utrumque potuit, quae omnipotentem peperit, per quem potuit. Solum enim unicum Dei Filium, isto unico modo fieri oportebat filium hominis. Nec tamen ideo non est vobis aliquid Christus, quia unius est virginis fetus. Ipsum quippe vos, quem filium edere non potuistis carne, sponsum invenistis in corde: et tales sponsum, quem et redemptorem sic teneat felicitas vestra, ut peremptorem non timeat virginitas vestra. Qui enim matri virginitatem nec corporali abstulit partu, multo

PL  
38, 1010

\*1011

PL  
38, 1011

<sup>1</sup> Io. XX, 19.

<sup>2</sup> Ps. XVIII, 6.

<sup>3</sup> II Cor. XI, 2.

magis in vobis eam spirituali servat amplexu. Nec propterea vos steriles deputetis, quia virgines permanetis. Nam et ipsa pia integritas carnis, ad fecunditatem pertinet mentis. Agite quod ait Apostolus: quoniam non cogitatis ea quae sunt mundi, quomodo placeatis maritis; cogitate quae Dei sunt, quomodo illi in omnibus placeatis;<sup>1</sup> ut non uterum fetibus, sed animum fecundum possitis habere virtutibus. Postremo omnes alloquor, omnibus dico; universam virginem castam, quam desponsavit Apostolus Christo, ista voce compello. Quod miramini in carne Mariae, agite in penetrabilibus animae. Qui corde credit ad iustitiam, concipit Christum: qui ore confitetur ad salutem,<sup>2</sup> parit Christum. Sic in mentibus vestris et fecunditas exuberet, et virginitas perseveret.

## SERMO CXCV (411/412)

<sup>PL</sup>  
<sub>38, 1018</sub> 2. Hic est Dominus Deus noster, hic est mediator Dei et hominum homo Salvator noster, qui natus de Patre creavit et matrem; creatus de matre glorieavit et Patrem: sine femineo partu unicus Patri, sine virili complexu unicus matri. Hic est speciosus forma prae filiis hominum,<sup>3</sup> sanctae filius Mariae, sanctae sponsus Ecclesiae, quam suae genitrici similem reddidit: nam et nobis eam matrem fecit, et virginem sibi custodit. Ad hanc quippe dicit Apostolus: *Aptavi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.*<sup>4</sup> De qua rursus dicit, matrem nostram non ancillam, sed liberam, cuius multi filii desertae magis quam eius quae habet virum.<sup>5</sup> Est ergo et Ecclesiae, sicut Mariae, perpetua integritas, et incorrupta fecunditas. Quod enim illa meruit in carne, haec servavit in mente: nisi quod illa peperit unum, haec parit multos, in unum congregandos per unum.

## SERMO CXCII (411/412)

<sup>PL</sup>  
<sub>38, 1012</sub> Cap. I, 1. [...] Miramur virginis partum, et novum ipsum nascendi modum incredulis persuadere conamur, quod in utero non seminato germen prolis exortum est, et a complexu carnis viscera immunia filium hominis protulerunt, cuius patrem hominem non tulerunt: quod virginitatis integritas et in conceptu clausa, et in partu incor-

<sup>1</sup> I Cor. VII, 32-34.<sup>2</sup> Rom. X, 10.<sup>3</sup> Ps. XLIV, 3.<sup>4</sup> II Cor. XI, 2.<sup>5</sup> Gal. IV, 26 et 27.

rupta permanxit. Mira est ista potentia, sed plus est miranda misericordia, quod ille qui sic nasci potuit, nasci voluit. Erat enim iam unicus Patri, qui unicus natus est matri: et ipse est factus in matrē, qui sibi fecerat matrem: sempiternus cum Patre, hodiernus ex matre: post matrem de matre factus, ante omnia de Patre non factus: sine quo Pater nunquam fuit, sine quo mater nunquam fuisset.

- 914** Cap. II, 2. Exsultate, virgines Christi, consors vestra est mater Christi. Christum parere non potuistis, sed propter Christum parere noluistis. Qui non ex vobis natus est, vobis natus est. Verumtamen si verbi eius memineritis, sicut meminisse debetis; estis etiam vos matres eius, quia voluntatem facitis Patris eius. Ipse enim dixit: *Quicumque facit voluntatem Patris mei, ipse mihi frater et soror et mater est.*<sup>1</sup> Exsultate, viduae Christi: qui fecundam fecit virginitatem, illi vovistis continentiae sanctitatem. Exsulta etiam, castitas nuptialis, omnes fideliter viventes cum coniugibus vestris: quod amisistis in corpore, in corde servate. Ubi iam non potest esse a concubitu caro integra, sit in fide virgo conscientia, secundum quam virgo est omnis Ecclesia. In Maria Christum pia virginitas peperit: in Anna Christum viduitas parvum grandaeva cognovit: in Elisabeth Christo coniugalis castitas et anilis fecunditas militavit. Omnes gradus fidelium membrorum capiti contulerunt, quod ipsius gratia conferre potuerunt. Proinde quia veritas et pax et iustitia Christus est, hunc fide concepite, operibus edite; ut quod egit uterus Mariae in carne Christi, agat eorū vestrum in lege Christi. Quomodo autem non ad partum Virginis pertinetis, quando Christi membra estis? Caput vestrum peperit Maria, vos Ecclesia. Nam ipsa quoque et mater et virgo est: mater visceribus charitatis, virgo integritate fidei et pietatis. Populos parit, sed unius membra sunt, cuius ipsa est corpus et coniux etiam in hoc similitudinem gerens illius virginis, quia et in multis mater est unitatis.

#### EPISTOLA CXXXVII (411/412)

- 915** Cap. II, 8. [...] Ipsa enim magnitudo virtutis eius, quae nullas in angusto sentit angustias, uterum virginalem non adventitio, sed indigena puerperio fecundavit: ipsa sibi animam rationalem, et per eamdem etiam corpus humanum, totumque omnino hominem in melius mutandum, nullo modo in deterius mutata coaptavit; nomen humanitatis ab eo dignanter assumens, divinitatis ei largiter tribuens. Ipsa virtus per inviolatae matris virginea viscera, membra

<sup>1</sup> Matth. XII, 50.

infantis eduxit, quae postea per clausa ostia membra iuvenis introduxit.<sup>1</sup> Hic si ratio quaeritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.

## EPISTOLA CXLIII (411/412)

<sup>PL</sup>  
<sup>33, 590</sup> 12. De virginitate autem sanctae Mariae, si hoc quod scripsi non  
persuadet fieri potuisse, neganda sunt omnia quae mirabiliter in cor-  
poribus acciderunt. Quod si propterea non creditur, quia semel fac-  
tum est, quaere ab amico quem hoc adhuc movet, utrum nihil inve-  
niatur in litteris saecularibus quod et semel factum sit, et tamen  
credimus non fabulosa vanitate, sed, sicut existimant, historica fide;  
quaere, obsecro te. Si enim tale aliquid in illis litteris inveniri nega-  
verit, admonendus est; si autem fassus fuerit, soluta quaestio est.

DE GRATIA NOVI TESTAMENTI LIBER  
SEU EPISTOLA CXL (411/412)

<sup>PL</sup>  
<sup>33, 551</sup> Cap. XII, 31. [...] Sed quid est, *Tu extraxisti me de ventre*,<sup>2</sup> si ad  
ipsum Iesum de Virgine procreatum refertur? Quasi alias Deus non  
extrahat, in cuius providentia est omnis ordo nascendi: an inde si-  
gnificare voluit partum Virginis servata virginitatis integritate mi-  
rabilis, cum ait, *Tu extraxisti me de ventre matris meae*; ut quod illic  
mirabiliter factum est, cum Deus fecisse dicitur, nemini incredibile  
videatur?

## ENARRATIO IN PS. LXXV (411/412)

<sup>PL</sup>  
<sup>33, 958</sup> 1. [...] Pilatus: *Regem vestrum crucifigam?* Et illi: *Nos non habemus  
regem, nisi Caesarem.*<sup>3</sup> O Iudaei qui vocamini, et non estis; si non  
habetis regem, nisi Caesarem, defecit iam princeps de Iuda: venit  
ergo ille *cui repromissum est*. Illi ergo verius Iudaei, qui Christiani  
facti sunt ex Iudeis: caeteri Iudaei qui in Christum non crediderunt,  
etiam nomen ipsum perdere digni fuerunt. Iudaea ergo vera, Christi  
Ecclesia est, credens in illum regem qui venit ex tribu Iuda per vir-

<sup>1</sup> Io. XX, 26.<sup>2</sup> Ps. XXI, 10.<sup>3</sup> Io. XIX, 15.● PL 33, 371, 385, 522, 534, 545, 599, 605, 657, 707, 717, 790, 844, 1050,  
1054.

ginem Mariam; credens in illum de quo modo Apostolus dicebat, ad Timotheum scribens: *Memor esto Iesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum.*<sup>1</sup> De Iuda enim David et ex David Dominus Iesus Christus. Nos credentes in Christum pertinemus ad Iudam; et nos cognovimus Christum qui oculis non vidi mus, fide retinemus. Non ergo insultent Iudaei, qui iam non sunt Iudaei: ipsi dixerunt, *Nos non habemus regem, nisi Caesarem*. Nam melius illis erat, ut rex illorum esset Christus, ex semine David de tribu Iuda. Tamen quia ipse Christus ex semine David secundum carnem, Deus autem super omnia benedictus in saecula, ipse rex noster est et Deus noster: rex noster, secundum quod natus est ex tribu Iuda secundum carnem, Christus Dominus Salvator; Deus autem noster, qui est ante Iudam, et ante coelum et terram, per quem facta sunt omnia, et spiritualia et corporalia. Si enim *omnia per ipsum facta sunt*; et ipsa Maria de qua natus est, per ipsum facta est. Quomodo ergo ille quasi coeteri homines nasceretur, qui sibi fecit matrem de qua nasceretur? Ergo ipse Dominus: Apostolo dicente, cum loqueretur de Iudeis, *Quorum patres; et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.*<sup>2</sup>

#### ENARRATIO IN PS. CXLIX (411/413)

- 919     6. [...] Felix victima, vera victima, hostia immaculata! Non ergo hoc obtulit quod nos illi dedimus: imo hoc obtulit quod a nobis accepit, et mundum obtulit. Carnem enim a nobis accepit, hanc obtulit. Sed unde illam accepit? De utero virginis Mariae, ut mundam offerret pro immundis. Ipse Rex, ipse Sacerdos; in eo laetemur.<sup>3</sup> PL  
37, 1953

#### ENARRATIO IN PS. CIX (412)

- 920     16. Sed hoc differtur, hoc postea dabitur: quid nunc? *Ex utero ante luciferum genui te.* Quid hic, si Deus Filium habet, numquid et uterum? Sicut carnis corpora, non habet: quia nec sinum; dictum est tamen, *Qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*<sup>4</sup> Qui est autem sinus, ipse est uterus; et sinus et uterus pro secreto positus est. Quid est, *Ex utero?* Ex secreto, ex occulto; de meipso, de substantia mea; hoc
- PL  
37, 145r

<sup>1</sup> II Tim. II, 8.

<sup>2</sup> Rom. IX, 5; CCL XXXIX, 1037.

<sup>3</sup> CCL XL, 2182.

<sup>4</sup> Io. I, 18.

est, *Ex utero:* quia, *Generationem eius quis enarrabit?*<sup>1</sup> Accipiamus ergo Patrem dicentem ad Filium, *Ex utero ante luciferum genui te.* Quid est ergo *ante luciferum?* Lucifer pro sideribus positus est, tanquam a parte totum significante Scriptura, et ex eminenti stella omnia sidera. Sed illa sidera quomodo facta sunt? *Ut sint in signis, et \*1459 in temporibus, \* et in diebus, et in annis.*<sup>2</sup> Si ergo et in signis et in temporibus posita sunt sidera, et lucifer nominatus est pro sideribus; quod est ante luciferum, hoc est ante sidera; et quod est ante sidera, hoc est ante tempora; si ergo ante tempora, ab aeternitate: noli quaerere quando; aeternitas non habet quando. Quando et aliquando verba sunt temporum. De Patre non est natus in tempore, per quem facta sunt tempora. Dictum est ergo, ut dici oportuit, figurate, prophetice, ut et uterus pro secreta substantia, et lucifer pro temporibus poneretur. An vultis et ipsum David respiciamus, qui Dominum suum dixit filium suum? Ut enim hoc diceret, audivit a Domino suo; ab illo audivit a quo falli non potuit: et dixit iam Dominum suum, quia, *Dixit,* inquit, *Dominus Domino meo: Sede a dextris meis.* Et ipse loquitur, ipsius quasi sermo contextus est. Si ergo ipse loquitur, forte ipse potuit dicere, *Ex utero ante luciferum genui te:* ex utero virginali, *ex utero ante luciferum genui te.* Si enim illa virgo dicens propaginem de carne David, ex illo utero natus Christus, tanquam ex utero genitus a David. *Ex utero,* quo masculus non accessit: *ex utero* prorsus, proprie *ex utero,* quia solus ex solo utero. Ergo, *Ex utero,* inquit ille, qui eum Dominum suum dixerat, *Ex utero ante luciferum genui te.* Et hoc ipsum *ante luciferum* signate dictum, et proprio dictum, et sic impletum. Noctu enim natus est Dominus de utero virginis Mariae: indicant testimonia pastorum, qui vigilias exercebant super gregem suum.<sup>3</sup> *Ex utero ante luciferum genui te.* O tu, Domine meus, sedens ad dexteram Domini mei, unde filius meus, nisi quia *Ex utero ante luciferum genui te?*<sup>4</sup>

## ENARRATIO IN Ps. LXII (412)

PL 36, 748 1. [...] Psalmi isti quos cantamus, antequam Dominus noster Iesus Christus natus esset ex virgine Maria, Spiritu Dei dictante dicti et conscripti sunt. Fuit enim David rex in Iudeorum gente; quae gens una colebat Deum unum, qui fecit coelum et terram, mare et omnia

<sup>1</sup> Isa. LIII, 8.<sup>2</sup> Gen. I, 14.<sup>3</sup> Le. II, 7-8.<sup>4</sup> CCL XL, 1616-1617.

quae in ipsis sunt, sive quae videntur, sive quae non videntur. Cæterae autem gentes, aut idola colebant quae manibus suis fecerant, aut creaturam Dei, non ipsum Creatorem, id est, aut solem, aut lunam, aut stellas, aut mare, aut montes, aut arbores. Haec enim omnia Deus fecit; et laudari se vult in illis, non illa coli pro se. Ergo in ipsa gente Iudeorum David rex fuit, de cuius semine natus est Dominus noster Iesus Christus<sup>1</sup> ex Maria virgine; quia de illo ducebatur genus virgo Maria quae peperit Christum: <sup>2</sup> et dicti sunt isti Psalmi, et prophetabatur in eis Christus venturus post multos annos: et dicebatur ab illis Prophetis, qui fuerunt antequam Dominus noster Iesus Christus de Maria virgine nasceretur, quidquid futurum erat temporibus nostris; quod modo legimus, et videmus: et multum gaudemus quia spes nostra praedicta est a sanctis, qui illud non videbant impletum, sed in spiritu futurum videbant: et nos modo legimus et audimus a lectoribus.<sup>3</sup>

#### ENARRATIO IN PS. CXXVII (412)

**922** 12. [...] Cum nuntiarentur ei mater eius et fratres foris stantes; PL  
37, 1685 quia foris stabant, typum gerebant. Quis typus matris? Synagoga. Quis typus fratrum carnalium? Iudei foris stantes. Et foris stat synagoga. Nam Maria in lateribus domus eius, et cognati eius ex virginis Mariae consanguinitate venientes, qui in eum crediderunt, in lateribus domus eius; non in quantum carnali consanguinitate iuncti erant, sed in quantum verbum Dei audiebant et faciebant. Hoc enim respondit Dominus et ait, *Quae mihi mater, aut qui fratres?*<sup>4</sup> Unde tentaverunt quidam dicere quia Christus matrem non habuit, quia dixit, *Quae mihi mater?* Quare? Ergo Petrus et Ioannes et Iacobus, et alii Apostoli patres non habuerunt in terra? Et tamen quid eis dicit? *Nolite vobis dicere patrem super terram; unus est enim Pater vester qui in coelis est.*<sup>5</sup>

#### SERMO CCXCI (412/416)

**923** 3. Venit angelus Gabriel ad Zachariam, non ad Elisabeth uxorem eius, matrem Ioannis: venit, inquam, angelus Gabriel ad Zachariam, non ad Elisabeth. Quare? Quia Ioannes per Zachariam futurus erat PL  
38, 1317

<sup>1</sup> Rom. I, 3.

<sup>2</sup> Lc. II, 7.

<sup>3</sup> CCL XXXIX, 793.

<sup>4</sup> Matth. XII, 48.

<sup>5</sup> Matth. XXIII, 9; CCL XL, 1876.

in Elisabeth. Ergo angelus annuntians venturum Ioannem nascendo, non venit ad exceptorium ventris, sed ad fontem semenis. Nuntiavit amborum futurum filium, sed patri nuntiavit. Venturus enim erat Ioannes de connubio masculi et feminae. Ecce iterum ipse Gabriel venit ad Mariam, non ad Ioseph: unde erat caro illa coeptura, unde erat initium habitura, ad ipsam angelus venit.

<sup>PL 38, 1318</sup> 4. Angelus vero idem ipse ad Mariam virginem: *Ave, inquit, gratia plena, Dominus tecum: iam tecum est qui erit in te. Benedicta tu inter mulieres.* Proprietate hebraicae linguae omnes feminas mulieres dici solere Scriptura sancta testatur: ne forte mirentur aut scandalizentur, qui non solent Scripturas audire. Dominus quodam Scripturarum loco aperte dicit, *Segregate mulieres, quae non cognoverunt virum.*<sup>1</sup> Ipsam denique recolite originem nostram: quando facta est de latere viri, quid dicit Scriptura? *Detraxit ei costam, et aedificavit eam in mulierem.*<sup>2</sup> Iam mulier vocatur, de viro quidem sumpta, sed nondum viro coniuncta. Iam ergo cum auditis ab angelo, *Benedicta tu inter mulieres;* sie accipite, ac si more nostro diceretur, *Benedicta tu inter feminas.*

5. Promittitur Zachariae filius, promittitur et sanctae Mariae filius, et dicit etiam ipsa pene ipsa verba quae dixerat Zacharias. Quid enim dixerat Zacharias? *Unde mihi hoc? Ego enim sum senex, et uxor mea sterilis, et progressa in diebus suis.* Quid et Maria sancta? *Quomodo fiet istud?* Similis vox, dissimile cor. Vocem similem aure audiamus, cor autem dissimile angelo pronuntiante noscamus. Peccavit David, et a propheta correptus dixit, *Peccavi:* continuo ei dictum est, *Dimissum est tibi peccatum.*<sup>3</sup> Peccavit Saul, et a Propheta corresptus dixit, *Peccavi:* nec ei dimissum est peccatum, sed mansit ira Dei super eum.<sup>4</sup> Quid est hoc, nisi quod similis vox, dissimile cor? Homo enim est vocis auditor, Deus cordis inspector. In illis ergo verbis Zachariae non fuisse fidem, sed dubitationem et desperationem angelus vidit, angelus indicavit, vocem tollendo, infidelitatem damnando. Sancta vero Maria: *Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco?* Agnoscite propositum virginis. Quando diceret, concubitura cum viro, *Quomodo fiet istud?* Si enim fieret, quomodo de omnibus infantibus solet, non diceret, *Quomodo fiet?* Sed illa propositi

<sup>1</sup> Num. XXXI, 17, sec. LXX.

<sup>2</sup> Gen. II, 22.

<sup>3</sup> II Reg. XII, 13.

<sup>4</sup> I Reg. XV, 30.

• PL 37, 1049, 1078, 1079, 1104, 1122, 1124, 1137, 1150, 1159, 1230, 1238, 1258, 1264, 1397, 1449, 1450, 1685, 1722, 1777, 1785, 1845, 1942, 1948, 1953.

sui memor, et sancti voti conscientia, quia noverat quid voverat; dicendo, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quoniam non noverat hoc fieri, ut filii nascerentur nisi coniugatis et concubentibus cum viris suis, quod ipsa proposuerat ignorare, dicendo, *Quomodo fiet istud?* modum quaesivit, non de Dei omnipotentia dubitavit. *Quomodo fiet istud?* Quis modus est quo fiet istud? Annuntias \* mihi filium, habes meum paratum animum, dic mihi modum. Potuit enim virgo sancta metuere, aut certe ignorare consilium Dei, quomodo eam vellet habere filium, quasi improbasset virginis votum. Quid enim si diceret, Nube, coniungere viro? Non diceret Deus accepit enim votum virginis, quomodo Deus. Et hoc ab illa accepit, quod ipse donavit. Dic mihi ergo, nuntie Dei, *Quomodo fiet istud?* Vide angelum scientem, illam quaerentem, non diffidentem. Quia ergo vidit eam quaerentem, non diffidentem, non se negavit instruentem. Audi quomodo: erit virginitas tua, tu tantum crede veritatem, serva virginitatem, accipe integratatem. Quoniam integra est fides tua, intacta erit et integritas tua. Denique audi quomodo fiet istud: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Tale umbraculum nescit libidinis aestum. *Propterea, quia Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi;* quia fide concipis, quia credendo, in utero, non concumbendo habebis: *propterea quod nascetur de te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>1</sup>

\*1319

925 6. Quid es, quae postea paritura es? Unde meruisti? Unde hoc accepisti? Unde fiet in te qui fecit te? Unde, inquam, tibi hoc tantum bonum? Virgo es, sancta es, votum vovisti; sed multum quod meruisti, imo vero multum quod accepisti. Nam unde hoc meruisti? Fit in te qui fecit te, fit in te per quem facta es: imo vero per quem factum est coelum et terra, per quem facta sunt omnia, fit in te Verbum Dei caro, accipiendo carnem, non amittendo divinitatem. Et Verbum iungitur carni, et Verbum copulatur carni; et huius tanti coniugii thalamus, uterus tuus; et huius, inquam, tanti coniugii, id est Verbi et carnis thalamus uterus tuus: unde *ipse sponsus procedit de thalamo suo.*<sup>2</sup> Invenit te virginem conceptus, dimittit virginem natus. Dat fecunditatem, non tollit integratatem. Unde tibi hoc? Proterve virginem videor interrogare, et quasi importune aures verecundas ista mea voce pulsare. Sed video virginem verecundantem, et tamen respondentem, meque admonentem: Quaeris a me unde mihi hoc?

PL 38, 1319

• PL 34, 135, 352, 392, 422, 424, 578, 726, 809, 817, 821, 1044, 1046, 1061, 1077, 1078, 1093, 1121, 1194.

<sup>1</sup> Le. I, 35.

<sup>2</sup> Ps. XVIII, 6.

Verecundor tibi respondere bonum meum, angeli audi ipsius salutationem, et in me agnosce tuam salutem. Crede cui credidi. Unde mihi hoc quaeris? Angelus respondeat. Dic mihi, angele, unde Mariae hoc? Iam dixi, cum salutavi: *Ave, gratia plena.*<sup>1</sup>

IN VIGILIIS PASCHAE<sup>2</sup> (412/416)

PLS II, 718 2. [...] Lumen quippe de tenebris, Christus est de Iudeis, quibus dictum est: *nocti assimilari matrem vestram.*<sup>3</sup> Sed in illa gente, tamquam in illa nocte, non fuit nox virgo Maria, sed noctis quodammodo stella: unde et eius partum stella signavit, quae longinquam noctem, hoc est magos orientis, ut adorarent lumen, adduxit; ut et in ipsis fieret quod dictum est, *lumen de tenebris clarescere.* Ut concordarent etiam resurrectio et nativitas Christi, sicut in isto novo monumento nullus est antea, nullus postea positus mortuus; sic in illo utero virginali nec antea mortalis est quisquam, nec postea satus.

926

## SERMO CCXC (412/416)

PL 38, 1314 Cap. IV, 4. Verum interest plurimum, non solum in matribus, quod illa virgo, illa mulier fuerit sterilis; illa de Spiritu sancto pariens Filium Dei Dominum nostrum, illa de viro suo sene pariens praecursorem Domini. Et illud attendite. Non credidit Zacharias. Quomodo non credidit? Quaesivit ab angelo per quid cognosceret quod promittebat, quoniam ipse erat senex, et uxor eius processerat in diebus suis. Et dixit illi angelus: *Ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem quo haec fiant, propter quod non credidisti verbis meis, quae implebuntur in tempore suo.*<sup>4</sup> Idem ipse angelus venit ad Mariam, nuntiat Christum nasciturum ex ea in carne, et Maria tale aliquid dicit. Ille enim dixit: *Per quid cognoscam hoc? Ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis.*<sup>5</sup> Et dicitur ei: *Ecce eris tacens: et non poteris loqui usque in diem quo haec implebuntur, propter quod non credidisti verbis meis.* Et accepit supplicium taciturnitatis, merito infidelitatis. Quid dixerat propheta de Ioanne? *Vox clamantis*

927

<sup>1</sup> Lc. I, 28.<sup>2</sup> Sermo Wilmart 4.<sup>3</sup> Os. IV, 5.<sup>4</sup> Lc. I, 20.<sup>5</sup> Lc. I, 18.

● PLS II, 518, 531, 563, 569, 575, 601, 633, 673, 691, 692, 706, 708.

*in eremo.*<sup>1</sup> Tacet Zacharias generaturus vocem. Quia non credidit, tacuit; merito obmutuit quousque vox nasceretur. Si enim recte dictum est, imo quia valde recte dictum est in sancto psalmo, *Credidi, propter quod locutus sum.*<sup>2</sup> quia non credebat, merito non loquebatur. Sed rogo, Domine, cum audientibus me pariter pulso, aperi nobis, expone nobis quid sibi velit haec quaestio. Causas quaerit Zacharias ab angelo, per quid cognosceret quod illi annuntiatum est, quoniam senex erat, et uxor eius progressa in diebus suis: dicitur ei, *Quoniam non credidisti, eris tacens.* Nuntiatur Christus virginis Mariae, et ipsa causam quaerit, et dicit angelo, *Quomodo fiet istud? Quoniam virum non cognosco.*<sup>3</sup> Et ille, *Per quid cognoscam hoc? Ego enim sum senex, et uxor mea progressa in diebus suis.* Et illa, *Quomodo fiet istud? Quoniam virum non cognosco.* Illi dicitur: «Tacebis, quia non credis»: illi autem causa exponitur, silentium non imponitur. *Quomodo fiet istud? Quoniam virum non cognosco.* Et angelus: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.*<sup>4</sup> Ecce quomodo fiet quod quaeris, ecce quomodo virum non cognoscis et paries ecce quomodo: quia *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Non timeas aestum libidinis, sub tantae umbraculo sanctitatis. Quare hoc? Si verba attendamus, aut ambo crediderunt, aut ambo dubitaverunt, Zacharias et Maria. Sed nos verba valemus audire: Deus potest et corda interrogare.

Cap. V, 5. Intelligimus, charissimi, quoniam Zacharias quando ait, *Per quid cognoscam hoc? Ego enim sum senex, et uxor mea progressa in diebus suis,* desperando dixit, non inquirendo: Maria vero quando e contra ait, *Quomodo fiet istud? Quoniam virum non \* cognosco,* inquiendo dixit, non desperando. Dum interrogavit, non de promissione dubitavit. O vere gratia plena! Sic est enim ab angelo salutata, *Ave, gratia plena.* Quis hanc explicet gratiam? Quis huic gratiae gratias agendo sufficiat? Fit homo, et per liberum arbitrium perit homo, et invenitur homo factus qui fecit, ne periret quem fecit. In principio Verbum Deus apud Deum, per quod omnia facta sunt, fit caro: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.*<sup>5</sup> Caro fit Verbum, sed caro accedit ad Verbum, non perit in carne Verbum. O gratia! Ut hoc haberemus, quid digni eramus?

928 Cap. VI, 6. Sed videte quid dicat ipsa sancta Maria, plena fide, PL  
38, 1315

<sup>1</sup> Isa. XL, 3.

<sup>2</sup> Ps. CXV, 10.

<sup>3</sup> Lc. I, 34.

<sup>4</sup> Lc. I, 35.

<sup>5</sup> Io. I, 14.

plena gratia, mater futura, virgo permansura. Quid dicit inter cetera, de quibus singulis loqui, valde multum est? Quid ait? *Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.*<sup>1</sup> Qui sunt esurientes? Humiles, indigentes. Qui sunt divites? Superbi et inflati.

## SERMO CCXCIII (413)

PL 38, 1327 1. Saneti Ioannis, cuius nativitatem, cum Evangelium legeretur, 929

mirantes audivimus, solemnitatem hodie celebramus. Quanta est gloria iudicis, si tanta est paeconis? Qualis est venturus via, si talis est qui praeparat viam? Nativitatem Ioannis quodam modo consecratam observat Ecclesia: nec invenitur ullus in Patribus, cuius nativitatem solemniter celebremus: celebramus Ioannis, celebramus et Christi: hoc vacare non potest, et si forte a nobis pro tantae rei dignitate minus explicatur, fructuosius tamen et altius cogitatur. Nascitur Ioannes de anicula sterili, nascitur Christus de iuvencula virgine. Ioannem parit sterilitas, Christum integritas. In nativitate Ioannis aetas congrua non erat parentalis, in nativitate Christi complexus non exstitit maritalis. Ille angelo praedicante nuntiatur, iste angelo nuntiante concipitur. Non creditur Ioannes nasciturus, et fit pater mutus: creditur Christus, et fide concipitur. Fit prius adventus fidei in cor virginis, et sequitur fecunditas in utero matris. Et tamen prope eadem verba sunt Zachariae dicentis, cum angelus Ioannem nuntiaret, *Per quid cognoscam hoc? Ego enim sum senex, et uxor mea iam processit in diebus suis:*<sup>2</sup> et Mariae sanctae angelo nuntiante partum eius futurum, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*<sup>3</sup> pene eadem verba. Illi dicitur: *Ecce eris tacens, nec potens loqui, quousque fiant haec, propter quod non credidisti verbis meis, quae adimplebuntur tempore suo.*<sup>4</sup> Illi autem: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; propterea quod nasceretur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>5</sup> Ille corripitur, illa instruitur. Illi dicitur, Quia non credidisti: illi dicitur, Accipe quod quaesisti. Propemodum eadem verba sunt, *Per quid cognoscam hoc?* et, *Quomodo fiet istud?* Sed eum qui \*verba audiebat et cor videbat, non latebat. In utriusque verbis cogitatio latebat; sed homines, non angelum latebat: imo non latebat eum qui loquebatur per angelum.

<sup>1</sup> Lc. I, 52.

<sup>2</sup> Lc. I, 18.

<sup>3</sup> Lc. I, 34.

<sup>4</sup> Lc. I, 20.

<sup>5</sup> Lc. I, 35.

## DE NATURA ET GRATIA (413/415)

930 Cap. XXXVI, 42. [...] Excepta itaque sancta virgine Maria, de <sup>PL 44, 267</sup> qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem: unde enim scimus quid ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum? Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanatos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus et interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? Utrum hoc quod iste dicit, an quod Ioannes apostolus? Rogos vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne una voce clamassent: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est?*<sup>1</sup>

## IN IOANNIS EVANGELIUM TRACTATUS CXXIV (413/416)

931 Tract. IV, 4. [...] *Et crevit, inquit, lapis ille, et factus est mons magnus, et implevit universam faciem terrae.*<sup>2</sup> Videat ergo charitas vestra quod dico: Christus ante Iudeos iam praecesus erat de monte. Montem regnum vult intelligi Iudeorum. Sed regnum Iudeorum non impleverat universam faciem terrae. Inde praecesus est ille lapis, quia inde natus est in praesentia Dominus. Et quare sine manibus? Quia sine opere virili Virgo peperit Christum. Iam ergo erat lapis ille praecesus sine manibus, ante oculos Iudeorum: sed humilis erat. Non immerito; quia nondum creverat lapis ille, et impleverat orbem terrarum: quod ostendit in regno suo, quod est Ecclesia, qua implevit totam faciem terrae.<sup>3</sup>

932 10. [...] *Ecce Agnus Dei.*<sup>4</sup> Si agnus innocens, et Ioannes agnus. An non et ipse innocens? Sed quis innocens? Quantum innocens? Omnes ex illa traduce veniunt et ex illa propagine, de qua cantat gemens David: *Ego in iniquitate conceptus sum, et in peccatis mater mea in utero me aluit.*<sup>5</sup> Solus ergo ille Agnus, qui non sic venit. Non enim in iniquitate conceptus est; quia non de mortalitate con-

<sup>PL 35, 1407</sup>

<sup>1</sup> I Io. I, 8.

<sup>2</sup> Dan. II, 35.

<sup>3</sup> CCL XXXVI, 32.

<sup>4</sup> Io. I, 36.

<sup>5</sup> Ps. L, 7.

<sup>PL 35, 1410</sup>

ceptus est: nec eum in peccatis mater eius in utero aluit, quem virgo concepit, virgo peperit; quia fide concepit, et fide suscepit. Ergo ecce *Agnus Dei*.<sup>1</sup>

<sup>PL</sup>  
<sup>35, 1416</sup> Tract. V, 4. [...] *Omnia per ipsum facta sunt*:<sup>2</sup> si omnia per ipsum, et Maria per ipsum facta est, de qua postea natus est Christus. Intendat charitas vestra, quomodo creavit Mariam, et creatus est per Mariam; sic dedit baptismum Ioanni, et baptizatus est a Ioanne.<sup>3</sup>

<sup>PL</sup>  
<sup>35, 1445</sup> Tract. VII, 15. *Et in crastinum voluit exire in Galilaeam, et invenit* Philippus. *Dicit ei: Sequere me.* Erat autem de civitate Andreeae et Petri. *Et invenit Philippus Nathanaelem:* iam vocatus a Domino Philippus. *Et dixit ei: Quem scripsit Moyses in Lege, et Prophetae, invenimus Iesum filium Ioseph.*<sup>4</sup> Eius filius dicebatur, cui despontata erat mater eius. Nam quod ea intacta conceptus et natus sit, bene noverunt omnes Christiani ex Evangelio.<sup>5</sup>

<sup>PL</sup>  
<sup>35, 1452</sup> Tract. VIII, 4. [...] Dominus autem securus moriens, dedit sanguinem suum pro ea quam resurgens haberet, quam sibi iam coniunxerat in utero Virginis. Verbum enim sponsus, et sponsa caro humana; et utrumque unus Filius Dei, et idem filius hominis: ubi factus est caput Ecclesiae, ille uterus virginis Mariae thalamus eius, inde processit tanquam sponsus de thalamo suo, sicut Scriptura praedixit, *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currēdam viam;*<sup>6</sup> de thalamo processit velut sponsus, et invitatus venit ad nuptias.

<sup>PL</sup>  
<sup>35, 1452</sup> 5. Certi sacramenti gratia, videtur matrem de qua sponsus processit, non agnoscere, et dicere illi, *Quid mihi et tibi est, mulier?* *Nondum venit horam ea.* Quid est hoc? ideone venit ad nuptias, ut doceret matres contemni? Utique ad cuius nuptias venerat, ideo ducebat uxorem, ut filios procrearet; et ab eis quos ut procrearet optabat, utique honorari cupiebat: ille ergo venerat ad nuptias, ut exhonoraret matrem, cum propter filios habendos, quibus reddere honorem parentibus imperat Deus, ipsae nuptiae celebrentur, et ducantur uxores? Procul dubio, fratres, latet ibi aliquid. Nam tanta res est, ut quidam, quos cavendos praemonuit Apostolus, sicut supra commemoravimus,

<sup>1</sup> CCL XXXVI, 36.

<sup>2</sup> Io. I, 3.

<sup>3</sup> CCL XXXVI, 43.

<sup>4</sup> Io. I, 43-45.

<sup>5</sup> CCL XXXVI, 75.

<sup>6</sup> Ps. XVIII, 6.

● PL 35, 1419, 1465, 1474, 1488, 1502, 1503, 1504, 1526, 1548, 1552, 1568, 1572, 1591, 1616, 1636, 1644, 1648, 1663, 1687, 1692, 1709, 1722, 1763, 1770, 1889, 1899, 1903, 1912, 1917, 1929, 1940, 1978.

dicens: *Timeo ne sicut serpens E�am seduxit astutia sua, sic et vestrae mentes corrumpantur a simplicitate et castitate quae est in Christo,*<sup>1</sup> derogantes Evangelio, et dicentes quod Iesus non sit natus de Maria Virgine, hinc argumentum sumere conarentur erroris sui, ut dicerent: Quomodo erat mater eius, cui dixit, *Quid mihi et tibi est, mulier?*<sup>2</sup>

\* 6. Quid est ergo, inquit, quod ait Dominus, *Quid mihi et tibi est, mulier?* Forte in eo quod sequitur ostendit nobis Dominus quare hoc dixerit: *Nondum, inquit, venit hora mea.* Sic enim ait, *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea.* Et hoc cur dictum sit, requirendum est. Prius ergo hinc resistamus haereticis. Quid dicit serpens vaternosus, venenorum insibilator et inspirator antiquus? Quid dicit? Non habuit matrem femina Iesus. Unde probas? Quia dixit, inquit, *Quid mihi et tibi est, mulier?* Quis hoc narravit, ut credamus quia hoc dixit? Quis hoc narravit? Nempe Ioannes evangelista. At ipse Ioannes evangelista dixit, *Et erat ibi mater Iesu.* Nam ita narravit: *Altera die nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae, et erat ibi mater Iesu. Venerat autem illuc invitatus ad nuptias cum discipulis suis.*<sup>3</sup> Tenemus duas sententias ab Evangelista prolatas. *Erat ibi mater Iesu,* Evangelista dixit: Quid dixerit matri suae Iesum, ipse Evangelista dixit. Et quomodo dixit respondisse matri suae Iesum, ut primo diceret, *Ait illi mater eius, videte, fratres, ut adversus linguam serpentis munitam virginitatem cordis habeatis.* Illie in ipso Evangelio eo ipso evangelista narrante dicitur, *Erat ibi mater Iesu; et, Dixit illi mater eius.* Quis hoc narravit? Ioannes evangelista. Et quid respondit matri Iesus? *Quid mihi et tibi est, mulier?* Quis hoc narrat? Idem ipse Ioannes evangelista. O Evangelista fidelissime et veracissime, tu mihi narras dixisse Iesum, *Quid mihi et tibi est, mulier?* Cur ei apposuisti matrem quam non agnoscit? Nam tu dixisti quia *ibi erat mater Iesu,* et quia *dixit ei mater eius:* cur non potius dixisti «*Erat ibi Maria;*» et, «*Dixit ei Maria?*» Utrumque tu narras, et *Dixit ei mater eius;* et, *Respondit ei Iesus. Quid mihi et tibi est, mulier?* Quare hoc, nisi quia \* utrumque verum est? Illi autem in eo volunt credere Evangelistae, quod narrat Iesum dixisse matri, *Quid mihi et tibi est, mulier?* Et in eo nolunt credere Evangelistae quod ait, *Erat ibi mater Iesu;* et, *Dixit ei mater eius.* Quis est autem qui resistit serpenti et tenet veritatem, cuius virginitas cordis non corrumpitur astutia diaboli? Qui utrumque verum credit; et quia erat ibi mater Iesu, et quia illud respondit matri Iesus. Sed si nondum intelligit quemadmodum dixerit Iesus,

\*1453

\*1454

<sup>1</sup> II Cor. XI, 3.<sup>2</sup> Io. II, 4; CCL XXXVI, 84.<sup>3</sup> Io. II, 1-2.

*Quid mihi et tibi est, mulier?* Interim credat quod dixerit, et quod matri dixerit. Sit primo pietas in credente, et erit fructus in intellegente.

7. Interrogo vos, o fideles Christiani, Erat ibi mater Iesu? Respondete, Erat. Unde scitis? Respondete, Hoc loquitur Evangelium. Quid respondit matri Jesus? Respondete, *Quid mihi et tibi est, mulier?* Non dum venit hora mea. Et hoc unde scitis? Respondete, Hoc loquitur Evangelium. Nullus vobis corrumpat hanc fidem, si vultis sponso servare castam virginitatem. Si autem quaeritur a vobis, cur hoc matri responderit; dicat qui intelligit: qui autem nondum intelligit, firmissime tamen credat, hoc respondisse, et tamen matri respondisse Iesum. Hac pietate merebitur etiam intelligere cur ita responderit, si orando pulset, et non rixando accedat ad ostium veritatis. Tantum caveat, ne dum se putat scire, aut erubescit nescire cur ita responderit, cogatur credere aut Evangelistam fuisse mentitum qui ait, *Erat ibi mater Iesu:* aut ipsum Christum falsa morte passum propter delicta nostra, et falsas cicatrices ostendisse propter iustificationem nostram; falsumque dixisse, *Si manseritis in verbo meo, vere discipuli mei estis; et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.*<sup>1</sup> Si enim falsa mater, falsa caro, falsa mors, falsa vulnera passionis, falsae cicatrices resurrectionis; non veritas credentes in eum, sed potius falsitas liberabit. Imo vero falsitas cedat veritati, et confundantur omnes qui propterea se volunt videri veraces, quia Christum conantur demonstrare fallacem; et nolunt sibi dici: Non vobis credimus quia mentimini; cum ipsam veritatem dicant esse mentitam. Quibus tamen si dicamus, Unde nostis dixisse Christum, *Quid mihi et tibi est, mulier?* Evangelio se credidisse respondent. Cur non credunt Evangelio dicenti: *Erat ibi mater Iesu;* et, *Dixit ei mater eius?* Aut si hoc mentitur Evangelium, quomodo ei creditur quod dixerit Iesus: *Quid mihi et tibi est, mulier?* Cur non potius miserī, et quod ita non extra-neae, sed matri Dominus responderit, fideliter credunt; et cur ita responderit, pie quaerunt? Multum enim interest inter eum qui dicit: Volo scire quare Christus hoc matri responderit; et eum qui dicit: Scio quod hoc Christus non matri responderit. Aliud est intelligere velle quod clausum est, aliud nolle credere quod apertum est. Qui dicit: Scire volo cur ita Christus matri responderit, aperiri sibi vult Evangelium cui credit; qui autem dicit: Scio quod hoc Christus non matri responderit, ipsum Evangelium arguit de mendacio, ubi credit quod Christus ita responderit.<sup>2</sup>

<sup>1</sup> Io. VIII, 31, 32.

<sup>2</sup> CCL XXXVI, 84-85.

- 937** 8. Iam ergo si placet, fratres, illis repulsis, et in sua caecitate errantibus semper, nisi humiliter sanentur, nos quaeramus, quare Dominus noster sic matri responderit. Ille singulariter natus de Patre sine matre, de matre sine patre; sine matre Deus, sine patre homo; sine matre ante tempora, sine patre in fine temporum. Quod respondit, matri respondit: quia, *Erat ibi mater Iesu*; et, *Dixit ei mater eius*. Hoc totum Evangelium loquitur. Illic novissimus quia *erat ibi mater Iesu*, ubi novimus quod dixerit ei, *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea*. Totum credamus, et quod nondum intelligimus requiramus.
- 938** 9. Cur ergo ait matri filius, *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea*. Dominus noster Iesus Christus, et Deus erat et homo: secundum quod Deus erat, matrem non habebat; secundum quod homo erat, habebat. Mater ergo erat carnis, mater humanitatis, mater infirmitatis quam suscepit propter nos. Miraculum autem quod facturus erat, secundum divinitatem facturus erat, non secundum infirmitatem; secundum quod Deus erat, non secundum quod infirmus natus erat. Sed infirmum Dei fortius est hominibus.<sup>1</sup> Miraculum ergo exigebat mater; at ille tanquam non agnoscit viscera humana, operaturus facta divina; tanquam dicens: «Quod de me facit miraculum, non tu genuisti, divinitatem meam non tu genuisti: sed quia genuisti infirmitatem meam, tunc te cognoscam, cum ipsa infirmitas pendebit in cruce». Hoc est enim, *Nondum venit hora mea*. Tunc enim cognovit, qui utique semper noverat. Et antequam de illa natus esset, in praedestinatione noverat matrem; et antequam ipse Deus crearet, de qua ipse homo crearetur, noverat matrem: sed ad quamdam horam in mysterio non agnoscit; et ad quamdam horam quae nondum venerat, in mysterio rursus agnoscit. Tunc enim agnovit, quando illud quod peperit moriebatur. Non enim moriebatur per quod facta erat Maria, sed moriebatur quod factum erat ex Maria: non moriebatur aeternitas \*divinitatis, sed moriebatur infirmitas carnis. Illud ergo respondit, discernens in fide creditum, quis, qua venerit. Venit enim per matrem feminam, Deus et Dominus coeli et terrae. Secundum quod Dominus mundi, quod Dominus coeli et terrae, Dominus utique et Mariae; secundum quod creator coeli et terrae, creator et Mariae: secundum autem quod dictum est, *Factum ex muliere, factum sub Lege*,<sup>2</sup> filius Mariae. Ipse Dominus Mariae, ipse filius Mariae: ipse creator Mariae, ipse creatus ex Maria. Noli mirari quia et filius et Dominus sicut enim Mariae, ita et David dictus est filius; et ideo David filius,

PL  
35, 1455PL  
35, 1455

\* 1456

<sup>1</sup> I Cor. I, 25.<sup>2</sup> Gal. IV, 4.

quia Mariae filius. Audi Apostolum aperte dicentem, *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.*<sup>1</sup> Audi eum et Dominum David; dicat hoc ipse David: *Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam.*<sup>2</sup> Et ipse Iesus hoc proposuit Iudeis, et eos inde convicti.<sup>3</sup> Quomodo ergo David et filius et dominus; filius David secundum carnem, dominus David secundum divinitatem: sic Mariae filius secundum carnem, et Mariae dominus secundum maiestatem. Quia ergo non erat illa mater divinitatis, et per divinitatem futurum erat miraculum quod petebat; respondit ei, *Quid mihi et tibi est, mulier?* Sed ne putas quod te negem matrem, *Nondum venit hora mea:* ibi enim te agnoscam, cum pendere in cruce cooperit infirmitas cuius mater es. Probemus si verum est. Quando passus est Dominus, sicut idem evangelista dicit, qui noverat matrem Domini, et qui nobis insinuavit etiam in his nuptiis matrem Domini, ipse narrat: *Erat, inquit, illic circa crucem mater Iesu, et ait Iesus matri suae: Mulier, ecce filius tuus: et ad discipulum: Ecce mater tua.*<sup>4</sup> Commendat matrem discipulo: commendat matrem prior matre moriturus, et ante matris mortem resurrecturus; commendat homo homini hominem. Hoc pepererat Maria. Illa hora iam venerat, de qua tunc dixerat, *Nondum venit hora mea.*<sup>5</sup>

PL 35, 1467 Tract. X, 2. *Descendit, ut dicit Evangelista, in Capharnaum ipse et mater eius, et fratres eius, et discipuli eius, et ibi manserunt non multis diebus.*<sup>6</sup> Ecce habet matrem, habet fratres, habet et discipulos: inde fratres, unde matrem. Fratres enim Scriptura nostra, non eos solos appellare consuevit, qui nascuntur ex eodem viro et femina, aut ex eodem utero, aut ex eodem patre, quamvis diversis matribus; aut certe ex eodem gradu, velut compatriuelles aut consobrinos: non solum hos fratres novit dicere Scriptura nostra. Quomodo loquitur, sic intelligenda est. Habet linguam suam: quicumque hanc linguam nescit, turbatur, et dicit, «Unde fratres Domino? Num enim Maria iterum peperit?» Absit. Inde coepit dignitas virginum. Illa femina mater esse potuit, mulier esse non potuit. Dicta est autem mulier secundum femineum sexum, non secundum corruptionem integratatis: et hoc ex lingua ipsius Scripturae. Nam et Eva statim facta de latere viri sui, nondum contacta a viro suo, nostis quia mulier ap-

<sup>1</sup> Rom. I, 3.

<sup>2</sup> Ps. CIX, 1.

<sup>3</sup> Matth. XXII, 45.

<sup>4</sup> Io. XIX, 25-27.

<sup>5</sup> CCL XXXVI, 86, 87, 88.

<sup>6</sup> Io. II, 12.

pellata est: *Et formavit eam in mulierem.*<sup>1</sup> Unde ergo fratres? Cognati Mariae fratres Domini, de quolibet gradu cognati. Unde probamus? Ex ipsa Scriptura. Frater Abrahae dictus est Lot;<sup>2</sup> filius erat fratri ipsius. Lege, et invenies quia Abraham patruus erat Lot,<sup>3</sup> et dicti sunt fratres. \* Unde, nisi quia cognati? Item Iacob Laban Syrum habebat avunculum: frater enim erat Laban matris Iacob, id est Rebeccae uxoris Isaac.<sup>4</sup> Lege Scripturam, et invenies quia fratres dicuntur avunculus et sororis filius.<sup>5</sup> Qua regula cognita, invenies omnes consanguineos Mariae fratres esse Christi.

\* 1468

3. Sed illi discipuli magis erant fratres; quia et illi cognati fratres non essent, si discipuli non essent: et sine causa fratres, si magistrum non agnoscerent fratrem. Nam quodam loco cum ei nuntiati essent mater et fratres eius foris stantes, ille autem cum discipulis suis loquebatur, ait: *Quae mihi mater, vel qui fratres?* *Et extendens manum super discipulos suos, dixit: Hi sunt fratres mei;* et, *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ille mihi mater, et frater, et soror est.*<sup>6</sup> Ergo et Maria, quia fecit voluntatem Patris. Hoe in ea magnificavit Dominus, quia fecit voluntatem Patris, non quia caro genuit carnem. Intendat Charitas vestra. Propterea cum Dominus in turba admirabilis videretur, faciens signa et prodigia, et ostendens quid lateret in carne, admiratae quaedam animae dixerunt: *Felix venter qui te portavit.* Et ille: *Imo felices qui audiunt verbum Dei, et custodiunt.*<sup>7</sup> Hoc est dicere, Et mater mea quam appellastis felicem, inde felix quia verbum Dei custodit: non quia in illa Verbum caro factum est, et habitavit in nobis;<sup>8</sup> sed quia custodit ipsum Verbum Dei per quod facta est, et quod in illa caro factum est. Homines non gaudeant prole temporali, exsultent si spiritu iunguntur Deo. Haec diximus propter id quod ait Evangelista, quia cum matre sua et fratribus suis et discipulis habitavit in Capharnaum paucis diebus.<sup>9</sup>

940 Tract. XII, 8. Et sequitur: *Et nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis qui est in coelo.*<sup>10</sup> Ecce hic erat, et in caelo erat, hic erat carne, in caelo erat divinitate; imo, ubique di-

PL  
35, 1488<sup>1</sup> Gen. II, 22.<sup>2</sup> Gen. XIII, 8 et XIV, 14.<sup>3</sup> Gen. XI, 27, 31.<sup>4</sup> Gen. XXVIII, 2.<sup>5</sup> Gen. XXIX, 12, 15.<sup>6</sup> Matth. XII, 46-50.<sup>7</sup> Lc. XI, 27, 28.<sup>8</sup> Io. I, 14.<sup>9</sup> CCL XXXVI, 101-102.<sup>10</sup> Io. III, 13.

vinitate. Natus de matre, non recedens a Patre. Duae nativitates Christi intelliguntur; una divina, altera humana: una per quam efficieremur, altera per quam reficeremur: ambae mirabiles; illa sine matre, ista sine patre. Sed quia de Adam corpus acceperat, quia Maria de Adam, ipsumque corpus suscitaturus erat: terrenum quidam dixerat, *Solvite templum hoc, et in tribus diebus suscitabo illud.*<sup>1</sup>

<sup>PL</sup><sub>35, 1503</sub> Tract. XIV, 2. [...] Etenim quamvis nemo exsurrexerit maior 941

Ioanne in natis mulierum,<sup>2</sup> unus tamen et ipse ex his qui nati sunt ex mulieribus. Numquid comparandus est ei qui, quia voluit, natus est; et ideo novo partu, quia novus natus? Ambae enim generationes Domini inusitatae sunt, et divina et humana: divina non habet matrem, humana non habet patrem.<sup>3</sup>

<sup>PL</sup><sub>35, 1526</sub> Tract. XVI, 7. [...] De illo ergo homine de quo hodie audivimus, 942

unus mediator Dei et hominum homo Christus Iesus,<sup>4</sup> etiam Psalmus praelocus est, dicens, *Mater Sion, dicet homo.* Quidam homo, mediator Dei et hominum homo, Mater Sion dicit. Quare Mater Sion dicit? Quia inde accepit carnem, inde virgo Maria, de cuius utero servi forma suscepta est, in qua dignatus est apparere humillimus. Mater Sion dicit homo, et homo iste qui dicit Mater Sion, factus est in ea, *homo factus est in ea.*<sup>5</sup>

<sup>PL</sup><sub>35, 1568</sub> Tract. XXI, 7. [...] Ipse est tamen homo qui Deus, quia Deus 943

factus est homo: sed factus quod non erat, non amittens quod erat. Ergo accessit homo Deo, ut esset homo qui erat Deus; non ut iam homo esset, et non esset Deus. Audiamus ergo eum et fratrem, qui audiebamus conditorem: conditorem, quia Verbum in principio; fratrem, quia natum ex virginе Maria: conditorem ante Abraham, ante Adam, ante terram, ante coelum, ante omnia corporalia et spiritualia; fratrem autem ex semine Abrahae, ex tribu Iuda, ex Virginе Israelitica.<sup>6</sup>

<sup>PL</sup><sub>35, 1623</sub> Tract. XXVIII, 3. [...] *Fratres eius* sic accipite, sicut nostis: non 944

enim novum est quod auditis. Consanguinei virginis Mariae, fratres Domini dicebantur. Erat enim consuetudinis Scripturarum, appellare fratres quoslibet consanguineos et cognationis propinquos, et extra usum nostrum, non quo more nos loquimur. Nam quis dicat

<sup>1</sup> Io. II, 19; CCL XXXVI, 125.

<sup>2</sup> Matth. XI, 11.

<sup>3</sup> CCL XXXVI, 150.

<sup>4</sup> I Tim. II, 5.

<sup>5</sup> CCL XXXVI, 169.

<sup>6</sup> CCL XXXVI, 216.

fratres avunculum et filium sororis? Scriptura tamen etiam huiusmodi cognationes fratres appellat. Nam Abraham et Lot fratres sunt dicti, cum esset Abraham patruus Lot:<sup>1</sup> et Laban et Iacob fratres sunt dicti, cum esset Laban avunculus Iacob.<sup>2</sup> Cum ergo auditis fratres Domini, Mariae cogitate consanguinitatem, non iterum parientis ullam propaginem. Sicut enim in sepulcro ubi positum est corpus Domini, nec antea nec postea mortuus iacuit; sic uterus Mariae nec antea nec postea quidquam mortale concepit.<sup>3</sup>

- 945** Tract. XXXI, 3. [...] Clamabat ergo docens in templo Iesus: PL  
35, 1637.  
*Et me scitis, et unde sim scitis; et a meipso non veni, sed est verus qui me misit, quem vos nescitis.*<sup>4</sup> Hoc est dicere, Et me scitis, et me nescitis: hoc est dicere, Et unde sim scitis, et unde sim nescitis. Unde sim scitis, Iesus a Nazareth, cuius etiam parentes nostis. Solus enim in hac causa latebat virginis partus, cui tamen testis erat maritus: ipse enim hoc poterat fideliter indicare, qui posset maritaliter et zelare. Hoc ergo excepto virginis partu, totum noverant in Iesu quod ad hominem pertinet: facies ipsius nota erat, patria ipsius nota erat, genus ipsius notum erat, ubi natus est sciebatur. Recte ergo dixit, *Et me notis, et unde sim scitis*, secundum carnem et effigiem hominis quam gerebat: secundum autem divinitatem, *Et a me ipso non veni, \* sed est verus qui me misit, quem vos nescitis;* sed ut eum sciatis, \*1638 credite in eum quem misit, et scietis.<sup>5</sup>

- 946** Tract. XXXIII, 2. [...] *Illi responderunt*, ex praeiudicio cordis PL  
35, 1648  
 sui, quod et illis: *Numquid et tu Galilaeus es?* Id est, quasi a Galilaeo seductus. Dominus enim Galilaeus dicebatur, quoniam de Nazareth civitate erant parentes eius. Secundum Mariam dixi parentes, non secundum virile semen: non enim quaesivit in terra nisi matrem, qui iam habebat desuper Patrem. Nam utraque eius nativitas mirabilis fuit; divina sine matre, humana sine patre. Quid ergo illi quasi Legis doctores ad Nicodemum dixerunt? *Scrutare Scripturas, et vide quia propheta a Galilaea non surgit.*<sup>6</sup>

- 947** Tract. XCI, 3. [...] Omnia quidem caeterorum miracula superat, PL  
35, 1861  
\*1862  
 quod est natus ex \*virgine, matrisque integritatem solus potuit nec conceptus violare nec natus: sed hoc nec coram eis factum est, nec in eis. Ad cognoscendam quippe huius miraculi veritatem, non com-

<sup>1</sup> Gen. XI, 27, 31; XIII, 8; XIV, 14.

<sup>2</sup> Gen. XXVIII, 2; XXIX, 10, 15.

<sup>3</sup> CCL XXXVI, 278.

<sup>4</sup> Io. VII, 28.

<sup>5</sup> CCL XXXVI, 295.

<sup>6</sup> Io. VII, 52; CCL XXXVI, 307.

muni cum eis aspectu, sed discreto ab eis discipulatu Apostoli per  
venerunt.<sup>1</sup>

<sup>PL 85, 1050</sup> Tract. CXIX, 1. Crucifixo Domino, posteaquam divisio vestimentorum eius etiam sorte missa completa est, quae deinde narret Ioannes evangelista videamus. *Et milites quidem, inquit, haec fecerunt. Stabant autem iuxta crucem Iesu, mater eius, et soror matris eius Maria Cleophae, et Maria Magdalene.* Cum vidisset ergo Jesus matrem et discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suae, *Mulier, ecce filius tuus: deinde dicit discipulo, Ecce mater tua.* Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.<sup>2</sup> Haec nimurum est illa hora de qua Jesus aquam conversurus in vinum, dixerat matri, *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea.*<sup>3</sup> Hanc itaque horam praedixerat quae tunc nondum venerat, in qua deberet agnoscere moriturus, de qua fuerat mortaliter natus. Tunc ergo divina facturus, non divinitatis, sed infirmitatis matrem velut incognitam repellebat: nunc autem humana iam patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu commendabat humano. Tunc enim qui Mariam creaverat, innotescerat virtute: nunc vero quod Maria pepererat, pendebat in cruce.

2. Moralis igitur insinuatur locus. Facit quod faciendum admonet, et exemplo suo suos instruxit praeceptor bonus, ut a filiis piis impendatur cura parentibus: tamquam lignum illud ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magistri docentis. Ex hac sana doctrina didicerat Paulus apostolus \* quod docebat, quando dicebat: *Si quis autem suis, et maxime domesticis non providet, fidem negavit, et est infideli deterior.*<sup>4</sup> Quid autem tam cuique domesticum quam parentes filiis, aut parentibus filii? Huius itaque saluberrimi praecepti ipse magister sanctorum de seipso constituebat exemplum, quando non ut famulae Deus quam creaverat et regebat, sed ut matri homo de qua creatus fuerat et quam relinquebat, alterum pro se quodammodo filium providebat. Nam cur hoc fecerit, quod sequitur indicat: ait enim Evangelista, *Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua*, de seipso dicens. Sic quippe commemorare se solet, quod eum diligebat Jesus: qui utique omnes, sed ipsum prae caeteris et familiarius diligebat, ita ut in convivio super pectus suum discumbere faceret;<sup>5</sup> credo ut istius Evangelii, quod per eum fuerat praedicaturus, divinam excellentiam hoc modo altius commendaret.

3. Sed in quae sua Ioannes matrem Domini accepit? Neque enim

<sup>1</sup> CCL XXXVI, 554.

<sup>2</sup> Io. XIX, 24-27.

<sup>3</sup> Io. II, 4.

<sup>4</sup> I Tim. V, 8.

<sup>5</sup> Io. XIII, 23.

non ex eis erat qui dixerunt ei, *Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te.* Sed ibi quoque audierat: Quicumque ista dimiserit propter me, accipiet in hoc saeculo centies tantum.<sup>1</sup> Habebat ergo ille discipulus centupliciter plura quam dimiserat, in quae susciperet eius matrem qui illa donaverat. Sed in ea societate beatus Ioannes receperat centuplum, ubi nemo dicebat aliquid suum, sed erant illis omnia communia; sicut in Apostolorum Actibus scriptum est. Sic enim Apostoli erant, quasi nihil habentes, et omnia possidentes.<sup>2</sup> Quomodo ergo matrem magistri et Domini sui discipulus et famulus accepit in sua, ubi aliquid suum nemo dicebat? An quia paulo post in eodem libro legitur, *Quotquot enim possessores praediorum vel dormorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, et ponebant ad pedes Apostolorum; distribuebatur autem unicuique prout opus erat,*<sup>3</sup> intelligendum est sic distributum fuisse huic discipulo quod opus erat, ut illic etiam beatae Mariae tanquam matris eius portio poneretur; magisque sic debemus accipere quod dictum est, *Ex illa hora suscepit eam discipulus in sua*, ut ad eius curam quidquid ei esset necessarium pertineret? Suscepit ergo eam in sua, non praedia, quae nulla propria possidebat; sed officia, quae propria dispensatione exsequenda curabat.<sup>4</sup>

#### IN EPISTOLAM IOANNIS AD PARTHOS (413/416)

949

Tract. I, 2. [...] Quia omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil,<sup>5</sup> ut videretur oculis carneis qui solem vident; ipsum tabernaculum suum in sole posuit, id est carnem suam in manifestatione huius lucis ostendit: et illius sponsi thalamus fuit uterus Virginis, quia in illo utero virginali coniuncti sunt duo, sponsus et sponsa, sponsus Verbum et sponsa caro; quia scriptum est, *Et erunt duo in carne una;*<sup>6</sup> et Dominus dicit in Evangelio, *Igitur iam non duo, sed una caro.*<sup>7</sup> Et Isaías optime meminit unum esse ipsos duos: loquitur enim ex persona Christi, et dicit, *Sicut sponsō imposuit mihi mitram, et sicut sponsam ornavit me ornamento.*<sup>8</sup> Unus videtur loqui, et sponsum se fecit et sponsam se fecit; quia *non duo, sed una caro:* quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Illi carni adiungitur Ecclesia, et fit Christus totus, caput et corpus.

PL  
35, 1979<sup>1</sup> Matth. XIX, 27, 29.<sup>2</sup> II Cor. VI, 10.<sup>3</sup> Act. IV, 34, 35.<sup>4</sup> CCL XXXVI, 658, 659.<sup>5</sup> Io. I, 3.<sup>6</sup> Gen. II, 24.<sup>7</sup> Matth. XIX, 6.<sup>8</sup> Isa. LXI, 10.

## SERMO CCLXIV (413/420)

<sup>PL</sup><sub>38, 1215</sub> 4. [...] Sic et Dominus manens Deus, manens Verbum, manens sapientia, manens virtus divina, manens in gubernatione coelorum, manens in administratione terrarum, implens Angelos, totus ubique, totus in mundo, totus in Patriarchis, totus in Prophetis, totus in omnibus sanctis, totus in utero Virginis, ad induendam carnem, ad coniungendam sibi tanquam sponsam, ut procederet de thalamo suo sponsus, ut desporsaret Ecclesiam virginem castam. <sup>950</sup>

## DE CIVITATE DEI (413/426)

<sup>PL</sup><sub>41, 501</sub> Lib. XVI, cap. XXIV, 2. [...] Non est virginis Mariae diffidentia, quod ait, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quod enim futurum esse certa erat, modum quo fieret inquirebat. Et hoc cum quaesisset, audivit, *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.*<sup>1</sup> <sup>951</sup>

## ENARRATIO IN PS. XXXIV (414)

<sup>PL</sup><sub>36, 335</sub> 3. [...] Sic ergo peccatum Domini, quod factum est de peccato, quia inde carnem assumpsit, de massa ipsa quae mortem meruerat ex peccato. Etenim ut celerius dicam, Maria<sup>2</sup> ex Adam mortua propter peccatum, Adam mortuus propter peccatum, et caro Domini ex Maria mortua est propter delenda peccata.<sup>3</sup> <sup>952</sup>

## EPISTOLA CLXII (414/415)

<sup>PL</sup><sub>33, 707</sub> 6. [...] Ex illa ergo causa latentis rationis, ego dixi in epistola quam te legisse commemoras,<sup>4</sup> cum eis responderem qui negant esse credendum, quod Christum virgo pepererit, virgo permanserit, «Si ratio quaeritur, non erit mirabile»: hoc enim dictum est, non quod ratione res careat, sed quod eos lateat quibus hoc Deus voluit esse mirabile. <sup>953</sup>

<sup>1</sup> Lc. I, 35.

<sup>2</sup> Ita Lov. et maxima pars MSS. At Er., *Maria ex Adam mortua propter peccatum Adae, Adam mortuus est propter peccatum*, etc. Duo MSS. Vatic. et Colb., *Maria ex Adam, Adam mortuus propter peccatum*, etc. Flor., denique, *Maria ex Adam primo, Adam secundus ortus ex Maria propter delenda peccata.*

<sup>3</sup> CCL XXXVIII, 314.

<sup>4</sup> Ep. 137.

EPISTOLA CLXXXVII (417)<sup>1</sup>

**954** Cap. IX, 31. Inobedientia namque concupiscentiae quae habitat in carne mortali, qua fit ut eadem etiam membra praeter voluntatis moveantur arbitrium, ad eum modum redigitur iustitia coniugali, ut licite copulatis parentibus generentur, quibus sit necessarium regenerari. Non tamen per huiusmodi convenientiam maris et feminae venire voluit carnem suam Christus; sed de virginе nihil tale in eius conceptu concupiscente, similitudinem carnis peccati sumpsit ille pro nobis, qua caro peccati mundaretur in nobis.<sup>2</sup> *Sicut enim per unius delictum, ait Apostolus, in omnes homines ad condemnationem; ita per unius iustificationem in omnes homines ad iustificationem vitae.*<sup>3</sup> Nemo enim nascitur, nisi operante concupiscentia carnali, quae tracta est ex primo homine qui est Adam; et nemo renascitur, nisi operante gratia spirituali, quae data est per secundum hominem, qui est Christus. Quapropter si ad illum nascendo pertinemus, ad hunc renascendo, nec renasci quisquam potest antequam natus sit; profecto ille singulariter natus est, cui renasci non opus fuit; quia non ex peccato, in quo nunquam fuit, transitum fecit, neque in iniuitate conceptus est, aut eum in delictis mater eius in utero aluit: quia Spiritus sanctus supervenit in eam, et virtus Altissimi obumbravit eam; unde quod natum est ex ea Sanctum, vocatur Filius Dei. Nuptiarum enim bonum non extinguit, sed modificat inobedientium membrorum malum, ut limitata quodammodo concupiscentia carnali, fiat saltem pudicitia coniugalis. Virgo autem Maria cui dictum est, *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi,*<sup>4</sup> in sanctam concipiendō prolem, sub tali umbraculo nullo ardore concupiscentiae huius aestuavit. Hoc ergo excepto lapide angulari, non video quomodo aedificantur homines in domum Dei ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi cum fuerint renati; quod non possunt esse antequam nati.

<sup>1</sup> «De praesentia Dei liber».

<sup>2</sup> Rom. VIII, 3-4.

<sup>3</sup> Rom. V, 18.

<sup>4</sup> Lc. I, 35.

● PL 36, 114, 155, 161, 172, 174, 533, 542, 596, 641, 663, 678, 748, 807, 882, 899, 907, 914, 945, 957, 958, 1010.

## SERMO CXI (417)

<sup>PL 38, 640</sup> Cap. III. [...] Domine, in carne venire dignatus es, Verbum caro factus, Verbum super nos, caro inter nos, Verbum caro inter Deum et hominem: virginem unde nascereris secundum carnem elegisti, virginem concipiendus invenisti, natus virginem reliquisti. <sup>955</sup>

## SERMO LI (417)

<sup>PL 38, 334</sup> Cap. II. 3. Hoc ergo ut faceret Dominus noster Iesus Christus, utique nascendo de femina, filius hominis factus est. At enim si non nasceretur de Maria virgine, quid esset minus? Dicit aliquis: Homo esse voluit: esset homo, non tamen de femina nasceretur: non enim et primum hominem quem fecit, ex femina fecit. Ad hoc vide quid respondeatur. Tu dicis, ad nascendum utquid elegerit feminam. Respondet tibi: Imo ad nascendum cur fugeret feminam? Puta me non posse ostendere quid elegerit, ut de femina nasceretur: tu ostende quid fugere in femina debuit. Sed aliquando iam dicta sunt, quia utique si fugeret feminae uterum, velut significaret se ex illa contaminari potuisse. Quanto autem erat per substantiam suam immaculabilior, tanto non debuit formidare uterum carnis, quasi posset inde maculari: sed natus de femina, ostendere nobis debuit magni aliquid sacramenti. Nam revera, fratres, et nos fatemur, quod si vellet Dominus sic fieri homo, ut non ex femina nasceretur, erat utique facile Maiestati. Quomodo enim potuit ex femina sine viro; sic posset nec per feminam nasci. Sed hoc nobis ostendit, ut scilicet in nullo sexu de se desperaret humana creatura. Sexus enim humanus marium est et feminarum. Si ergo \*vir existens, quod utique esse deberet, non nasceretur ex femina; desperarent de se feminae, memores primi peccati sui, quia per feminam deceptus est primus homo; et omnino nullam se spem habere in Christo arbitrarentur. Venit ergo vir sexum praeelegere virilem, et natus ex femina sexum consolari femineum, tamquam alloquens et dicens: Ut noveritis quod non Dei creatura mala est, sed voluptas prava pervertit eam, in principio cum feci homineum, masculum et feminam feci. Non creaturam damno, quam feci. Ecce natus sum vir, ecce natus ex femina. Non ergo creaturam damno, quam feci; sed peccata, quae non feci. Uterque sexus videat honorem suum, et uterque confiteatur iniquitatem suam, et uterque speret salutem. Decipiendo homini propinatum est venenum per feminam: reparando homini propinetur salus per feminam. Compenset femina decepti per se hominis peccatum, generando Christum. Inde et resurgentem

<sup>\*335</sup>

Deum priores feminae Apostolis nuntiarunt. Nuntiavit viro suo mortem femina in paradiſo: nuntiaverunt et feminae salutem viris in Ecclesia. Resurrectionem Christi Apostoli erant gentibus nuntiaturi: Apostolis feminae nuntiarunt. Nemo ergo calumnietur Christo nato ex femina, de quo sexu Liberator maculari non posset, et quem sexum Creator commendare deberet.

957 Cap. V, 8. [Matthaeus] deinde subiecit, ut narraret quomodo natus est Christus de Maria virgine, subiungens, et dicens: *Christi autem generatio sic erat.*<sup>1</sup> Etenim ordine parentum enumeravit quare dicatur Christus filius David, filius Abraham.

PL  
38, 338

Cap. VI. Quomodo autem natus sit, et inter homines apparuerit, narrari iam debet; et consequens est ipsa narratio, per quam credimus Dominum nostrum Iesum Christum non solum natum de Deo semper iperno, coaeternum ei qui genuit ante omnia tempora, ante omnem creaturam, per quem facta sunt omnia; sed etiam iam natum de Spiritu sancto ex virgine Maria, quod pariter confitemur. Reminiscimini enim et nostis (Catholicis quippe loquor fratribus meis) hanc esse fidem nostram, hoc nos profiteri et confiteri. Pro ista fide imperfecta sunt millia martyrum, toto orbe terrarum.

958 9. Hoc enim quod sequitur volunt illi ridere, qui volunt fidem derogare Libris evangelicis: ut nos veluti ostendant temere credidisse quod dicitur: *Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam convenienter, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Ioseph autem vir eius cum esset iustus, et nollet eam traducere, voluit eam occulte dimittere.*<sup>2</sup> Quia enim de se gravidam non esse sciebat, iam velut consequenter adulteram existimabat. *Cum esset iustus*, sicut Scriptura dicit, *et nollet eam traducere*, id est divulgare, nam hoc etiam multi codices habent; *voluit eam occulte dimittere*. Turbatur quidem maritus, sed non saevit iustus. Tanta enim iustitia tribuitur huic viro, ut nec vellet habere adulteram, nec auderet punire vulgatam. *Voluit eam*, inquit, *occulte dimittere*: quia non solum eam punire noluit, sed nec prodere. Attendite sinceram iustitiam. Non enim propterea parcere volebat, quod habere cupiebat. Multi enim amore carnali adulteris uxoribus parcunt, volentes eas et adulteras habere, ut eis per carnalem concupiscentiam perfruantur. Hic autem vir iustus habere

PL  
38, 338

<sup>1</sup> Matth. I, 18,

<sup>2</sup> Matth. I, 18, 19.

• PL 38, 39, 68, 78, 105, 106, 149, 265, 267, 331, 339, 344, 357, 358, 416, 431, 483, 573, 588, 640, 680, 727, 769, 773, 817, 941, 989, 998, 999, 1000, 1001, 1003, 1004, 1008, 1012, 1013, 1015, 1017, 1018, 1019, 1028, 1030, 1052, 1061, 1062, 1086, 1096, 1108, 1208, 1217, 1246, 1264, 1265, 1267, 1284, 1302, 1308, 1309, 1312, 1313, 1316, 1328, 1341.

eam non vult: ergo non carnaliter diligit. Et tamen punire non vult: ergo misericorditer parcit. Qualis hic iustus est? Nec tenet adulteram, nec propterea parcere videtur, quia libidinose diligenter: et tamen nec punit, nec prodit. Merito plane electus est virginitatis uxoris. Qui ergo humana infirmitate turbabatur, divina auctoritate firmatus est.

<sup>PL 38, 342</sup> Cap. X. 16. Altera illorum calumniatio est. Per Ioseph, inquiunt, 959 generationes Christi, et non per Mariam numerantur. Attendat paulisper Sanctitas vestra. Non, inquiunt, per Ioseph debuit. Quare non debuit per Ioseph? Numquid non erat maritus Mariae Ioseph? Non, inquiunt. Quis hoc dicit? Scriptura enim dicit angelica auctoritate quod maritus erat. *Noli timere*, inquit, *accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in illa natum est, de Spiritu sancto est*. Ei quoque iubetur ut puero nomen imponat, quamvis non de semine suo nato. *Pariet*, inquit, *filium, et vocabis nomen eius Iesum*.<sup>1</sup> Sed hoc intendit Scriptura, quod non sit natus de semine Ioseph, cum sollicito unde esset illa gravis utero, dicitur. *De Spiritu sancto est*. Et tamen paterna ei non aufertur auctoritas; cum iubetur puero nomen imponere. Denique et ipsa virgo Maria bene sibi concezia quod non ex eius complexu et concubitu conceperit Christum, tamen eum patrem Christi dicit.

17. Attendite quemadmodum. Cum esset duodecim annorum Dominus Iesus Christus secundum hominem, qui secundum Deum est ante tempora et sine tempore, remansit ab eis in templo, et disputabat cum senioribus, et admirabantur super doctrina eius. Illi autem redeentes de Ierosolymis quaequierunt illum in comitatu suo, inter eos scilicet qui secum ambulabant; et non eum invenientes, turbati redierunt Ierosolymam, eumque disputantem in templo cum senioribus invenerunt, cum esset, ut dixi, annorum duodecim. Sed quid mirum? Verbum Dei nunquam tacet: sed non semper auditur. Invenitur ergo in templo, et dicit ei mater eius: *Quid nobis fecisti sic? Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te*. Et ille: *Non sciebatis quia oportet me in his esse quae Patris mei sunt?*<sup>2</sup> Hoc propterea dixit, quia Filius Dei erat in templo Dei. Templum enim illud non erat Ioseph, sed Dei. Ecce, inquit aliquis, non se concessit esse filium Ioseph. Attendite aliquanto patientius, fratres, propter angustias temporis, ut sermoni sufficient. Cum dixisset Maria, *Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te*; ille respondit, *Non sciebatis quia in his oportet me esse quae Patris mei sunt?* Non enim sic se volebat esse filium illorum, ut non intelligeretur Filius Dei. Filius enim Dei, semper Filius Dei, creans illos

<sup>1</sup> Matth. I, 20, 21.

<sup>2</sup> Lc. II, 48-49.

ipsos. Filius autem hominis ex tempore, natus de virgine sine semine \* maritali parentem tamen habebat utrumque. Unde hoc probamus? Iam dixit Maria, *Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.*

\*343

- 960 Cap. XI, 18. Primo non est praetermittenda, fratres, maxime propter disciplinam feminarum, sororum nostrarum, tam sancta modestia virginis Mariae. Christum pepererat, angelus ad eam venerat,

PL  
38, 343

et dixerat ei: *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur.*<sup>1</sup> Meruerat parere Filium Altissimi, et erat humillima: nec se marito, nec in ordine nominis praeferebat, ut diceret, Ego et pater tuus; sed, *Pater tuus*, inquit, *et ego*. Non attendit sui uteri dignitatem: sed attendit ordinem coniugalem. Non enim humiliis Christus matrem suam superbire docuisset. *Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te. Pater tuus*, inquit, *et ego*: quia caput mulieris vir.<sup>2</sup> Quanto minus debent superbire caeterae feminae? Nam et ipsa Maria mulier dicta est, non corrupta virginitate, sed appellatione propria gentis suae. Dixit enim de Domino Iesu Christo et Apostolus, *Factum ex muliere:*<sup>3</sup> non tamen interrupit ordinem et textum fidei nostrae, qua confitemur natum de Spiritu sancto, et virgine Maria. Illa enim virgo concepit, virgo peperit, virgo permanxit. Sed mulieres omnes feminas illi appellaverunt, proprietate linguae hebraeae. Audi evidentissimum exemplum. Prima femina, quam fecit Deus sumptam de latere viri, antequam cum viro concumberet, quod posteaquam de paradiſo exierunt scribitur factum, tamen mulier iam vocabatur, dicente Scriptura, *Formavit eam in mulierem.*<sup>4</sup>

- 961 Cap. XIII, 21. [...] Non itaque propterea non fuit pater Ioseph, quia cum matre Domini non concubuit; quasi uxorem libido faciat, et non charitas coniugalis. Intendat Sanctitas vestra.

PL  
38, 344

- 962 Cap. XV, 26. In illo ergo populo quia oportebat fieri abundantem propagationem usque ad Christum, per numerositatem plebis in qua praefigurarentur omnia quae praefiguranda erant Ecclesiae documenta, habebant officium ducendarum uxorum per quas populus cresceret, in quo populo prae signaretur Ecclesia.

PL  
38, 344

Cap. XVI. At ubi natus est ipse Rex omnium gentium, coepit dignitas virginalis a Matre Domini, quae et filium habere meruit, et corrumphi non meruit. Sic ut ergo erat illud coniugium, et sine ulla corruptione coniugium: sic quod caste uxor peperit, cur non caste maritus acciperet? Sic ut enim caste coniux illa, sic ille caste mari-

<sup>1</sup> Lc. I, 31, 32.

<sup>2</sup> Ephes. V, 23.

<sup>3</sup> Gal. IV, 4.

<sup>4</sup> Gen. II, 22.

tus: et sicut illa caste mater, sic ille caste pater. Qui ergo dicit, Non debuit dici pater, quia non sic genuerat filium; libidinem quaerit in procreandis filiis, non charitatis affectum. Melius ille, quod alias carne implere desiderat, animo implebat. Nam et qui adoptant filios, castius eos corde gignunt, quos carne non possunt. Videte, fratres, videte iura adoptionis, quomodo fit homo filius cuius semine natus non est; ut plus in eo iuris habeat voluntas adoptantis, quam natura gigantis. Ita ergo non solum debuit esse pater Ioseph, sed maxime debuit. Nam et de feminis quae uxores non sunt, generant homines filios, et dicuntur filii naturales; et praeponuntur eis filii coniugales. Quantum pertinet ad opus carnis, aequaliter nati sunt: unde isti praeponuntur, nisi quia castior est uxor charitas, de qua liberi procreantur? Non illic attenditur commixtio carnis, quae in utraque femina par est. Ubi vincit uxor, nisi affectu fidei, affectu coniugii, affectu sincerioris castiorisque charitatis? Si ergo posset de uxore quisquam sine concubitu suscipere filios, non tanto debuit laetius, quanto est illa castior, quam diligit amplius?

PL  
38, 350

963

Cap. XX, 30. Iam vero illud quia movere non debet, quare per Ioseph, et non per Mariam generationes numerentur, satis dictum est: quia sicut illa sine carnali concupiscentia mater, sic ille sine carnali commixtione pater. Per illum ergo descendant, et per illum ascendant generationes. Nec eum propterea separamus, quia defuit carnalis concupiscentia. Maior puritas confirmet paternitatem: ne ipsa sancta Maria nos reprehendat. Illa enim nomen suum praeponere noluit marito suo; sed dixit, *Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.*<sup>1</sup> Non ergo faciant perversi murmuratores, quod coniux casta non fecit. Numeremus ergo per Ioseph: quia sicut caste maritus, sic caste pater est. Sed praeponamus virum feminae ordine naturae et legis Dei. Nam si remoto illo illam constituamus; dicit ille, et recte \*dicit, Quare me separastis? Quare non per me generationes vel ascendunt, vel descendunt? An dicitur ei: Quia non tu genuisti opere carnis tuae? Sed respondebit: Numquid et illa opere carnis suae peperit? Quod Spiritus sanctus operatus est, utrisque operatus est. *Cum esset*, inquit, *homo iustus*. Iustus ergo vir, iusta femina. Spiritus sanctus in amborum iustitia requiescens, ambo bus filium dedit. Sed in eo sexu quem parere decebat, operatus est hoc, quod etiam marito nasceretur. Itaque ambo bus dicit angelus ut puero nomen imponant; ubi parentum declaratur auctoritas. Nam et Zacharias cum adhuc mutus esset, filio nato mater nomen imponebat. Et cum illi qui aderant innuerent patri quid eum vellet vocari, acceptis pugillaribus

<sup>1</sup> Lc. II, 48.

hoc scripsit, quod illa iam dixerat.<sup>1</sup> Dicitur et Mariae, *Ecce concipies filium, et vocabis nomen eius Iesum:*<sup>2</sup> dicitur etiam ad Ioseph, *Ioseph fili David, ne metueris accipere Mariam coniugem tuam.* Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum: hic salvabit populum suum a peccatis eorum.<sup>3</sup> Dicitur etiam, *Et peperit ei filium:*<sup>4</sup> ubi omnino pater non carne, sed charitate firmatur. Sic ergo pater sicuti est. Cautissime enim Evangelistae et prudentissime per illum numerant, sive Matthaeus descendens ab Abraham usque ad Christum, sive Lucas ascendens a Christo per Abraham usque ad Deum. Ille descendens numerat, ille ascendens, ambo per Ioseph. Quare? Quia pater. Quare pater? Quia tanto firmius pater, quanto castius pater. Alter quidem putabatur esse pater Domini nostri Iesu Christi, scilicet sicut caeteri patres carne generantes, non solo spirituali affectu liberos suscipientes. Nam dixit et Lucas, *Qui putabatur esse pater Iesu.*<sup>5</sup> Quare putabatur? Quia humana putatio et existimatio illuc ferebatur, quod solet ab hominibus fieri. Non ergo de semine Ioseph Dominus, quamvis hoc putaretur: et tamen pietati et charitati Ioseph natus est de Maria virgine filius, idemque Filius Dei.

[EX EVANGELIO LUCAE - DIE QUADRAGESIMA ASCENSIONIS DOMINI]  
(417/418)<sup>6</sup>

964      7. [...] *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud deum, et deus erat Verbum.*<sup>7</sup> Quam longe a morte! Ergo quae misericordia! Maria utique de genere humano: virgo, sed homo: sancta, sed homo. Dominus autem, unigenitum Verbum, assumpsit pro te, quod offerret pro te. PLS  
II, 708

SERMO DENIS XII (417/418)

965      II. [...] *In sole enim posuit tabernaculum suum, hoc est, in luce, in publico, ubi pateret, et non lateret, et ipse tanquam sponsus processit de thalamo suo.*<sup>8</sup> Accepit enim coniugem, humanam car- PL  
46, 853

<sup>1</sup> Le. I, 60-63.

<sup>2</sup> Le. I, 31.

<sup>3</sup> Matth. I, 20, 21.

<sup>4</sup> Le. II, 7.

<sup>5</sup> Le. III, 23.

<sup>6</sup> Sermo Morin 17.

<sup>7</sup> Io. I, 1.

<sup>8</sup> Ps. XVIII, 6.

nem. Thalamus eius erat uterus virginalis. Illic sibi coniunxit Ecclesiam, ut impleretur, quod ante praedictum est: *Et erunt duo in carne una.*<sup>1</sup>

## SERMO DENIS XXV (417/418)

PL 46, 934 III. *Haec eo loquente ad turbas* (Evangelium sequor) *mater eius, et fratres eius stabant foris volentes loqui cum illo. Nuntiavit ei quidam dicens: Ecce mater tua et fratres tui foris sunt, loqui tecum volunt. Et ille: Quae mihi mater est, aut qui fratres?* Et extendens manum super Discipulos suos ait: *Hi sunt mater mea, et fratres mei.* Et quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse mihi frater, soror et mater est.<sup>2</sup> Hinc solum vellem loqui, sed, quia superiora nolui praeferire, non parvam partem temporis, quantum sentio, consumpsi. Hoc enim, quod modo proposui, multos habet sinus, nodosque quaestio[n]nis, quomodo pie Dominus Christus contempserit matrem, non qualemcumque matrem, sed quanto magis Virginem matrem, tanto magis talem matrem, cui sic attulit foecunditatem, ut non adimeret integritatem, matrem Virginem concipientem, Virginem parientem, Virginem perpetuo permanentem. Talem matrem ille contempsit ne operi, quod agebat, maternus se insereret, cumque impediret affectus. Quid enim agebat? Populis loquebatur, veteres homines destruebat, novos aedificabat, animas liberabat, vinctos solvebat, caecas mentes illuminabat, bonum opus faciebat, in bono opere actu et sermone fermebat. Inter haec nuntiatus illi est carnalis affectus. Audistis quid responderit, ut quid ego repetam? Audiant matres, ne impediant carnali affectu bona opera filiorum. Si enim voluerint impedire, et agentibus sic irruerint, ut saltem interpolent, quod differri non oportet, contemnentur a filiis. Audeo dicere: Contemnentur, pietate contemnentur. Et quando erit filio suo bono operi mente intento, et ideo matrem venientem contemnenti, quando erit irata mulier, sive maritata, sive vidua, quando contempta est Virgo Maria? Sed dictura es mihi: ergo filium meum Christo comparas? Nec illum Christo comparo, nec te Mariae. Non ergo Dominus Christus maternum damnavit affectum, sed contemnendae matris pro opere Dei magnum in se ipso demonstravit exemplum. Et in loquendo doctor erat, et in contemnendo doctor erat, et ideo dignatus est contemnere matrem, ut pro Dei opere te contemnere doceret et patrem.

PL 46, 935 IV. [... Christus] noluit hominem habere patrem, ne per concupiscentiam carnalem veniret ad homines, voluit tamen matrem, ut

<sup>1</sup> Gen. II, 24 et Matth. XIX, 5.

<sup>2</sup> Matth. XII, 46-50.

matrem haberet inter homines, quam pro Dei opere contemnendo doceret homines. Voluit sexum virilem suscipere in se, et muliebrem sexum honorare dignatus est in matre. Etenim antiquitus et foemina peccaverat, et viro peccatum propinaverat.<sup>1</sup> Utrumque coniugium diaboli fraude deceptum est. Si veniret Christus vir non cum foeminae sexus commendatione, desperarent de se foeminae, maxime, quia per illam lapsus est homo. Utrumque honoravit, utrumque commendavit, utrumque suscepit. De foemina natus est. Nolite desperare, viri. Vir esse dignatus est Christus. Nolite desperare, foeminae. De foemina nasci dignatus est Christus. Ad salutem Christi sexus uterque concurrat. Veniat masculus, veniat foemina. In fide nec masculus est, nec foemina.<sup>2</sup> Docet ergo te Christus contemnere parentes tuos, amare parentes tuos. Tunc enim ordinate et pie amas parentes, quando Deo non praeponis parentes. *Qui amat (Domini verba sunt) qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.*<sup>3</sup> His verbis quasi videtur admonuisse, ne amares. Imo, si attendas, admonuit, ut amares. Potuit enim dicere: Qui amat patrem aut matrem, non est me dignus. Non hoc dixit, ne loqueretur contra legem, quam dedit. Ipse enim legem illam per Moysen famulum suum dedit, ubi scriptum est: *Honora patrem tuum, et matrem tuam.*<sup>4</sup> Non contrariam legem promulgavit, sed illam commendavit, et ordinem te docuit, non pietatem subvertit. *Qui amat patrem aut matrem, sed plus quam me.* Amet ergo, sed non plus quam me. Deus Deus est, homo homo est. Ama parentes, obsequere parentibus, honora parentes; sed, si te Deus ad aliquid amplius vocat, ubi possit impedimento esse parentalis affectus, serva ordinem, noli evertere charitatem.

\* VII. Ecce illud magis attendite, charissimi fratres mei, illud magis attendite, obsecro vos, quod ait Dominus Christus extendens manum super Discipulos suos: *Haec est mater mea, et fratres mei. Et qui fecerit voluntatem Patris mei, qui me misit, ipse mihi et frater, et soror, et mater est.*<sup>5</sup> Numquid non fecit voluntatem Patris Virgo Maria, quae fide credidit, fide concepit, electa est, de qua nobis salus inter homines nascetur, creata est a Christo, antequam in illa Christus crearetur? Fecit, fecit plane voluntatem Patris sancta Maria, et ideo plus est Mariae, discipulam fuisse Christi, quam matrem fuisse Christi. Plus est felicius discipulam fuisse Christi, quam matrem fuisse Christi. Ideo Maria beata erat, quia, et antequam pareret, magistrum in

\* 937

<sup>1</sup> Gen. III, 6.<sup>2</sup> Gal. III, 28.<sup>3</sup> Matth. X, 37.<sup>4</sup> Exod. XX, 12 et Deut. V, 16.<sup>5</sup> Matth. XII, 50.

\*938 utero portavit. Vide, si non est, quod dico. Transeunte Domino cum turbis sequentibus, et \*miracula faciente divina, ait quaedam mulier: *Felix venter, qui te portavit. Beatus venter, qui te portavit.* Et Dominus, ut non felicitas in carne quaereretur, quid respondit? *Imo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt.*<sup>1</sup> Inde ergo et Maria beata, quia audivit verbum Dei, et custodivit. Plus mente custodivit veritatem, quam utero carnem. Veritas Christus, caro Christus. Veritas Christus in mente Mariae, caro Christus in ventre Mariae. Plus est, quod est in mente, quam quod portatur in ventre. Sancta Maria, beata Maria, sed melior est Ecclesia, quam Virgo Maria. Quare? Quia Maria portio est Ecclesiae, sanctum membrum, excellens membrum, supereminens membrum, sed tamen totius corporis membrum. Si totius corporis, plus est profecto corpus, quam membrum. Caput Dominus, et totus Christus caput et corpus. Quid dicam? Divinum caput habemus, Deum caput habemus.

PL 46, 938 VIII. Ergo, charissimi, vos attendite. Et vos membra Christi estis, et vos corpus Christi estis. Attendite, quomodo sitis, quod ait: *Ecce mater mea, et fratres mei.* Quomodo eritis mater Christi? Et *Quicumque audit, et quicumque facit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.*<sup>2</sup> Puta, *Fratres* intelligo, *Sorores* intelligo; una est enim haereditas, et ideo Christi misericordia, qui, cum esset unicus, noluit esse solus, voluit nos esse Patri haeredes, sibi cohaeredes. Talis est enim illa haereditas, quae cohaeredum multitudine angusta esse non possit. Intelligo ergo fratres nos esse Christi, sorores Christi esse sanctas et fideles foeminas; matres Christi quomodo possumus intelligere? Quid igitur? Audemus nos dicere matres Christi? Imo audemus nos dicere matres Christi. Dixi enim vos fratres eius omnes, et matrem suam non auderem? Sed multo minus audeo, quod Christus dixit, negare. Eia, charissimi, intendite, quomodo sit Ecclesia, quod manifestum est, coniux Christi, quod difficilius intelligitur, sed tamen verum est, mater Christi. In ipsius typo Maria Virgo praecessit. Unde, rogo vos, Maria mater est Christi, nisi quia peperit membra Christi? Vos, quibus loquor, membra estis Christi. Quis vos peperit? Audio vocem cordis vestri: Mater Ecclesia. Mater ista sancta, honorata, Mariae similis et parit, et virgo est. Quia parit, per vos probo. Ex illa nati estis, et Christum parit: nam membra Christi estis. Probavi parientem, probabo virginem. Non me deserit divinum testimonium, non me deserit. Procede ad populum, beate Paule. Esto testis assertionis meae. Exclama, et dic, quod volo

<sup>1</sup> Lc. XI, 27-28.

<sup>2</sup> Matth. XII, 49-50.

dicere. *Sponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.*<sup>1</sup> Ubi est ista virginitas? Ubi timetur corruptio? Ipse dicat, qui virginem dixit. *Sponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Timéo autem*, inquit, *ne sicut serpens E�am seduxit versutia sua, sic et vestrae mentes*, inquit, *corrumpantur a castitate, quae est in Christo.* Tenete in mentibus virginitatem mentis. Virginitas fidei catholicae integritas. \* Ubi corrupta est Eva sermone serpentis, ibi debet esse virgo Ecclesia dono Omnipotentis. Ergo in mente pariant membra Christi, sicut Maria in ventre Virgo peperit Christum, et sic eritis matres Christi. Non est longe a vobis, non est praeter vos, non abhorret a \* vobis. Fuistis filii, estote et matres. Filii matris, quando baptizati estis, tunc membra Christi nata estis. Adducite ad lavaerum baptismatis, quos potestis, ut sicut filii fuistis, quando nati estis, sic etiam du- cendo ad nascendum matres Christi esse possitis. • 939 • 940

#### DE GRATIA CHRISTI ET DE PECCATO ORIGINALI (418)

- 969 Cap. XL, 45. [...] Tenet ergo diabolus, liberat Christus: tenet de-ceptor Eva, liberat Filius Mariae: tenet qui per coniugem venit ad virum, liberat qui de coniuge natus est, quae non pertulit virum: tenet qui causam libidinis intulit feminae, liberat qui sine libidine est conceptus in femina. Omnes ille prorsus per unum tenere potuit, nec ab eius dominatione liberat nisi unus, quem tenere non potuit. De-nique ipsa Ecclesiae Sacraenta, quae tam priscae traditionis auctoritate concelebrat, ut ea isti, quamvis in parvulis existiment simula-torie potius quam veraciter fieri, non tamen audeant aperta impro-batione respuere: ipsa, inquam, sanctae Ecclesiae Sacraenta satis indicant, parvulos a partu etiam recentissimos per gratiam Christi de diaboli servitio liberari. PL 44, 407

#### DE NUPTIIS ET CONCUPISCENTIA (419/421)

- 970 Cap. XI, 12. Quibus vero placuerit ex consensu, ab usu carnalis concupiscentiae in perpetuum continere, absit ut inter illos vinculum coniugale rumpatur: imo firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quae charius concordiusque servanda sunt, non voluntariis nexibus corporum, sed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab angelo dictum est ad Ioseph, *Noli timere accipere Marriam coniugem tuam.*<sup>2</sup> Coniux vocatur ex prima fide desponsationis, PL 44, 420

<sup>1</sup> II Cor. XI, 2.

<sup>2</sup> Matth. I, 20.

quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cognitus: nec perierat,  
 \* 421 nec mendax manserat \*coniugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura  
 erat carnis ulla commixtio. Erat quippe illa virgo ideo et sanctius et  
 mirabilius iucunda suo viro, quia etiam fecunda sine viro, prole dis-  
 par, fide compar. Propter quod fidele coniugium parentes Christi  
 vocari ambo meruerunt, et non solum illa mater, verum etiam ille  
 pater eius, sicut coniux matris eius, utrumque mente, non carne.  
 Sive tamen ille pater sola mente, sive illa mater et carne, parentes  
 ambo humilitatis eius, non sublimitatis; infirmitatis, non divinitatis.  
 Neque enim mentitur Evangelium, ubi legitur: *Et erant pater eius et  
 mater mirantes super his quae dicebantur de illo.*<sup>1</sup> Et alio loco: *Et ibant  
 parentes eius per omnes annos in Ierusalem.* Item paulo post: *Et dixit  
 mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego  
 dolentes quaerebamus te.*<sup>2</sup> At ille ut ostenderet habere se praeter illos  
 patrem, qui eum genuit praeter matrem, respondit eis: *Quid est quod  
 me quaerebatis? Nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt, oportet  
 me esse?* Et rursum, ne hoc dicto parentes illos negasse putaretur,  
 Evangelista secutus adiunxit: *Et ipsi non intellexerunt verbum quod  
 locutus est ad illos. Et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat sub-  
 ditus illis.*<sup>3</sup> Quibus subditus, nisi parentibus? Quis autem subditus, nisi  
 Iesus Christus, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus  
 est esse aequalis Deo? Cur ergo illis subditus, qui longe infra formam  
 Dei erant, nisi quia semetipsum exinanivit formam servi accipiens,<sup>4</sup>  
 cuius formae parentes erant? Sed cum illo non seminante illa pe-  
 perisset, profecto nec ipsius formae servi parentes ambo essent, nisi  
 inter se etiam sine carnis commixtione coniuges essent. Unde et se-  
 ries generationum, cum parentes Christi connexione successionis  
 commemorantur, usque ad Ioseph potius sicut factum est, fuerat  
 perducenda;<sup>5</sup> ne in illo coniugio, virili sexui utique potiori fieret  
 iniuria, cum veritati nihil periret quia ex semine David, ex quo ven-  
 turus praedictus est Christus, et Ioseph erat et Maria.

13. Omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Problem cognoscimus ipsum Dominum Iesum: fidem, quia nullum adulterium: sacramentum, quia nullum divortium.

<sup>1</sup> Le. II, 33.

<sup>2</sup> Le. II, 41, 48.

<sup>3</sup> Le. II, 49, 50-51.

<sup>4</sup> Philipp. II, 6, 7.

<sup>5</sup> Matth. I, 16 et Le. III, 23.

## QUAESTIONUM IN HEPTATEUCHUM LIBRI SEPTEM (419/420)

**971** Lib. III, XL. [...] *Offeret agnum anniculum sine macula in holocaustum, et pullum columbinum pro peccato, id est, pro peccato suo, cum completi fuerint dies purgationis eius super filio aut super filia: quisquis ergo ita distinguendum putaverit, ex Evangelio conyincetur ubi cum tale aliquid nato ex virgine Domino facerent, magis propter consuetudinem Legis, quam propter necessitatem alicuius in eo expiandi purgandique peccati, sic legitur, Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, ut facerent secundum consuetudinem Legis pro eo:*<sup>1</sup> non dictum est, pro matre eius, sed, *pro eo* quamvis ea fierent quae hoc loco praecepta sunt de duobus turturibus aut duobus pullis columbinis.

PL  
34, 696

## CONTRA IULIANUM PELAGIANUM (423)

**972** Lib. I, cap. II, 4. [...] Hoc de Manichaeorum nomine et criminis faciebat etiam Iovinianus, negans Mariae sanctae virginitatem, quae fuerat dum conciperet, permansisse dum pareret: tanquam Christum cum Manichaeis phantasma crederemus, si matris incorrupta virginitate diceremus exortum. Sed in adiutorio ipsius Salvatoris, sicut spreverunt catholici velut acutissimum quod Iovinianus exseruerat argumentum, et nec sanctam Mariam pariendo fuisse corruptam, nec Dominum phantasma fuisse crediderunt, sed et illam virginem mansisse post partum, et ex illa tamen verum Christi corpus exortum: sic spernent vestra calumniosa vaniloquia, ut neque cum Manichaeis astruant mali naturale principium, et secundum antiquam et veram catholicam fidem nullo modo dubitent Christum in evacuando chirographo paterni debiti liberatorem credere parvulorum.

PL  
44, 643

**973** Lib. V, Cap. XII, 47. « Quasi maritus », inquis, « Ioseph in opinione omnium erat ». Secundum hanc opinionem, non secundum veritatem locutam fuisse Scripturam \* vis intelligi, ut virginem Mariam eius coniugem diceret. Hoc putemus evangelistam facere potuisse, cum vel sua, vel cuiuslibet alterius hominis verba narraret, ut secundum opinionem hominum loqueretur: numquid et angelus loquens unus ad unum, contra conscientiam et suam et ipsius cui loquebatur, secundum opinionem potius quam secundum veritatem fuerat locuturus, qui ei dixit, *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam?* Deinde, quid opus erat ut usque ad Ioseph generationes perducerentur,<sup>2</sup> si non ea veritate factum est, qua in coniugio sexus vi-

PL  
44, 810

\*811

<sup>1</sup> Lc. II, 27.<sup>2</sup> Matth. I, 20, 16.

rilis excellit? Quod ego in libro cui respondes, cum posuissem,<sup>1</sup> tu prorsus attingere timuisti. Dicit autem Lucas evangelista de Domino, quod *putabatur filius Ioseph*; <sup>2</sup> quia ita putabatur, ut per eius concubitum genitus crederetur. Hanc falsam voluit removere opinionem, non Mariam illius viri negare coniugem, contra angelum testem.

<sup>PL</sup>  
44, 861 Lib. VI, cap. XIX, 62. [... Christus] in carne quidem et de carne, non tamen carnaliter, sed spiritualiter natus est. Natus est enim de Spiritu sancto et virginе Maria. De Spiritu scilicet sancto, ne esset in illo caro peccati; ex virginе autem Maria, ut esset in illo similitudo carnis peccati. <sup>974</sup>

#### ENCHIRIDION SIVE DE FIDE, SPE ET CHARITATE (423/424)

<sup>PL</sup>  
40, 249 Cap. XXXIV, 10. [...] Quis enim hoc solum congruentibus explicet verbis, quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*,<sup>3</sup> ut crederemus in Dei Patris omnipotentis unicum Filium natum de Spiritu sancto et Maria virgine? Ita quippe Verbum caro factum est, a divinitate carne suscepta, non in carnem divinitate mutata. Carnem porro hic hominem debemus accipere, a parte totum significante locutione: sicut dictum est, *Quoniam ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro*,<sup>4</sup> id est omnis homo. Nam nihil naturae humanae in illa susceptione fas est dicere defuisse: sed naturae ab omni peccati nexu omni modo liberae: non qualis de utroque sexu nascitur per concupiscentiam carnis cum obligatione delicti, cuius reatus regeneratione diluitur; sed qualem de virginе nasci oportebat, quem fides matris, non libido conceperat: quo si vel nascente corrumperetur eius integritas, non iam ille de virginе nasceretur; eumque falso, quod absit, natum de virginе Maria tota confiteretur Ecclesia; quae imitans eius matrem quotidie parit membra eius, et virgo est. Lege, si placet, de virginitate sanctae Mariae meas litteras ad illustrem virum, quem cum honore ac dilectione nomino Volusianum.<sup>5</sup>

<sup>PL</sup>  
40, 250 Cap. XXXVI, 11. [... Christi] matrem angelus salutavit, quando ei futurum annuntiavit hunc partum: *Ave, inquit, gratia plena*. Et paulo post: *Invenisti, ait, gratiam apud Deum*.<sup>6</sup> Et haec quidem gratia

<sup>1</sup> De nuptiis et concupiscentia, lib. I, n. 12.

<sup>2</sup> Le. III, 23.

<sup>3</sup> Io. I, 14.

<sup>4</sup> Rom. III, 20.

<sup>5</sup> Cf. n. 915; CCL XLVI, 68.

<sup>6</sup> Le. I, 28 et 30.

● PL 39, 1497, 1509, 1534, 1615, 1619, 1621, 1657, 1658, 1662, 1665, 1676, 1679.

plena, et invenisse apud Deum gratiam dicitur, ut Domini sui, imo omnium Domini mater esset.<sup>1</sup>

**977** Cap. XXXVII, 11. Idem namque Jesus Christus Filius Dei unigenitus, id est unicus, Dominus noster, natus est de Spiritu sancto et virginе Maria. Et utique Spiritus sanctus Dei donum est, quod qui-dem et ipsum est aequale donanti; et ideo Deus est etiam Spiritus sanctus, Patre Filioque non minor. Ex hoc ergo quod de Spiritu sancto est secundum hominem nativitas Christi, quid aliud quam ipsa gratia demonstratur? Cum enim virgo quaesivisse ab angelo, quomodo id fieret quod ei nuntiabat, quandoquidem illa virum non cognosceret, respondit Angelus: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nasceretur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>2</sup> Et Ioseph cum vellet eam dimittere, suspicatus adulteram, quam sciebat non de se gravidam, tale responsum ab angelo accepit: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est:*<sup>3</sup> id est, quod tu esse de alio viro suspicaris, de Spiritu sancto est.

PL  
40, 251

**978** Cap. XXXVIII, 12. Nunquid tamen ideo dicturi sumus patrem hominis Christi esse Spiritum sanctum, ut Deus Pater Verbum generit, Spiritus sanctus hominem, ex qua utraque substantia Christus unus esset, et Dei Patris filius secundum Verbum, et Spiritus sancti filius secundum hominem; quod eum Spiritus sanctus tanquam pater eius de matre virgine genuisset? Quis hoc dicere audebit? Nec opus est ostendere disputando quanta alia sequantur absurdia, cum hoc ipsum iam ita sit absurdum, ut nullae fideles aures id valeant sustinere. Proinde, sicut confitemur, Dominus noster Jesus Christus, qui de Deo Deus, homo autem natus est de Spiritu sancto et virginе Maria, utraque substantia, divina scilicet atque humana, Filius est unicus Dei Patris omnipotentis, de quo procedit Spiritus sanctus. Quomodo ergo dicimus Christum natum de Spiritu sancto, si non eum genuit Spiritus sanctus? An quia fecit eum? Quoniam Dominus noster Jesus Christus in quantum Deus est, *omnia per ipsum facta sunt:*<sup>4</sup> in quantum autem homo est, et ipse factus est, sicut Apostolus dicit: *Factus est ex semine David secundum carnem.*<sup>5</sup> Sed cum illam creaturam quam Virgo concepit et peperit, quamvis ad solam

PL  
40, 251<sup>1</sup> CCL XLVI, 70.<sup>2</sup> Lc. I, 35.<sup>3</sup> Matth. I, 20.<sup>4</sup> Io. I, 3.<sup>5</sup> Rom. I, 3.

● PL 40, 44, 50, 79, 95, 176, 301, 302, 303, 396, 401, 405, 442, 560, 634.

● PL 41, 64, 308, 314, 542, 550, 553, 555, 558, 559, 560, 608.

personam Filii pertinentem, tota Trinitas fecerit; neque enim separabilia sunt opera Trinitatis; cur in ea facienda solus Spiritus sanctus nominatus est? An et quando unus trium in aliquo opere nominatur, universa operari Trinitas intelligitur? Ita vero est, et exemplis doceri potest. Sed non est in hoc diutius immorandum. Illud enim movet

\* 252

quomodo dictum sit, \*natus de Spiritu sancto, cum filius nullo modo sit Spiritus sancti. Neque enim quia mundum istum fecit Deus, dici eum fas est Dei filium, aut eum natum de Deo; sed factum, vel creatum, vel conditum, vel institutum ab illo, vel si quid huiusmodi recte possumus dicere. Hic ergo, cum confiteamur natum de Spiritu sancto et virgine Maria, quomodo non sit filius Spiritus sancti, et sit filius virginis Mariae, cum et de illo et de illa sit natus, explicare difficile est. Procul dubio quippe non sic de illo ut de patre, sic autem de illa ut de matre natus est.

Cap. XXXIX. Non igitur concedendum est quidquid de aliqua re nascitur, continuo eiusdem rei filium nuncupandum. Ut enim omittam aliter de homine nasci filium, aliter capillum, pediculum, lumbicum, quorum nihil est filius: ut ergo haec omittam, quoniam tantae rei deformiter comparantur; certe qui nascuntur ex aqua et Spiritu sancto, non aquae filios eos rite dixerit quispiam: sed plane dicuntur filii Dei Patris et matris Ecclesiae. Sic ergo de Spiritu sancto natus est filius Dei Patris, non Spiritus sancti. Nam et illud quod de capillo et de caeteris diximus, ad hoc tantum valet, ut admoneamur non omne quod de aliquo nascitur, etiam filium eius de quo nascitur posse dici. Sicut non omnes qui dicuntur alicuius filii, consequens est ut de illo etiam nati esse dicantur; sicut sunt qui adoptantur. Dicuntur etiam filii gehennae, non ex illa nati, sed in illam paeparati, sicut filii regni qui praeparantur in regnum.

Cap. XL. Cum itaque de aliquo nascatur aliiquid etiam non eo modo ut sit filius, nec rursus omnis qui dicitur filius, de illo sit natus cuius dicitur filius: profecto modus iste quo natus est Christus de Spiritu sancto non sicut filius, et de Maria virgine sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis praecedentibus meritis, in ipso exordio naturae suae quo esse coepit, Verbo Deo copularetur in tantam personae unitatem, ut idem ipse esset filius Dei qui filius hominis, et filius hominis qui filius Dei: ac sic in naturae humanae susceptione fieret quodam modo ipsa gratia illi homini naturalis, quae nullum peccatum posset admittere.<sup>1</sup>

<sup>1</sup> CCL XLVI, 70, 71.

## DE CORREPTIONE ET GRATIA (426)

**979** Cap. XI, 30. [...] Deus ergo naturam nostram, id est animam rationalem carnemque hominis Christi suscepit, susceptione singulariter mirabili vel mirabiliter singulari, ut nulli iustitiae suae praecedentibus meritis Filius Dei sic esset ab initio quo esse homo coepisset, ut ipse et Verbum quod sine initio est, una persona esset. Neque enim quisquam tanta rei huius et fidei caecus est ignorantia, ut audeat dicere, quamvis de Spiritu sancto et virgine Maria filium hominis natum, per liberum tamen arbitrium bene vivendo, et sine peccato bona opera faciendo meruisse ut esset Dei Filius, resistente Evangelio atque dicente, *Verbum caro factum est.*<sup>1</sup> Nam ubi hoc factum est, nisi in utero virginali, unde fuit initium hominis Christi? Itemque Virgine requirente, quomodo fieret quod ei per angelum nuntiabatur, angelus respondit, *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: propterea, quod nasceretur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>2</sup> *Propterea*, inquit: non propter opera, quae nondum nati utique nulla sunt; sed *propterea* quia *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, quod nasceretur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ista nativitas profecto gratuita coniunxit in unitate personae hominem Deo, carnem Verbo.

PL  
44, 934

## CONTRA MAXIMINUM ARIANORUM EPISCOPUM (428)

**980** Lib. II, cap. XVII, 2. [...] Quid ergo? Mundus per Filium factus est, et creator est Filius: caro eius quae data est pro mundi vita, per Spiritum sanctum facta est, et non est creator Spiritus sanctus? Cum enim virgo Maria dixisset angelo promittenti ei filium, *Quomodo fieri istud, quoniam virum non cognosco?* respondit angelus, *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; propterea quod nasceretur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>3</sup> Hic tu, quod in consequentibus quodam loco tuae prosecutionis adverti, asserere conabar Spiritum sanctum praecessisse, ut mundaret et sanctificaret virginem Mariam; ac deinde veniret Virtus Altissimi, hoc

PL  
42, 784<sup>1</sup> Io. I, 14.<sup>2</sup> Lc. I, 35.<sup>3</sup> Lc. I, 34, 35.

● PL 42, 28, 34, 40, 45, 46, 174, 178, 212, 213, 214, 225, 282, 324, 342, 346, 376, 377, 440, 457, 467, 468, 469, 483, 487, 488, 489, 547, 585, 630, 673, 679, 694, 736, 749, 824, 830, 849, 850, 851, 853, 855, 857, 863, 870, 901, 907, 908, 909, 910, 1032, 1033, 1094.

est Sapientia Dei, quod est Christus,<sup>1</sup> et ipsa, sicut scriptum est, aedificaret sibi domum,<sup>2</sup> hoc est, ipsa sibi crearet carnem, non Spiritus sanctus. Quid est ergo quod ait sanctum Evangelium, *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto?*<sup>3</sup> Nempe obstructum est os loquentium iniqua.<sup>4</sup> Si ergo cogitas os veraciter aperire, non solum Filium, verum etiam Spiritum sanctum creatorem carnis Filii confitere.

LIBER DE PRAEDESTINATIONE SANCTORUM (429)

<sup>PL 44, 983</sup> Cap. XV, 31. [...] Praedestinata est ista naturae humanae tanta 981 et tam celsa et summa subiectio, ut quo attolleretur altius, non haberet: sicut pro nobis ipsa divinitas quo usque se deponeret humilius, non habuit, quam suscepta natura hominis cum infirmitate carnis usque ad mortem crucis. Sicut ergo praedestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset: ita multi praedestinati sumus, ut membra eius essemus. Humana hic merita conticescant, quae perierunt per Adam: et regnet quae regnat Dei gratia per Iesum Christum Dominum nostrum, unicum Dei Filium, unum Dominum. Quisquis in capite nostro praecedentia merita singularis illius generationis invenerit, ipse in nobis membris eius praecedentia merita multiplicatae regenerationis inquirat. Neque enim retributa est Christo illa generatio, sed tributa, ut alienus ab omni obligatione peccati, de Spiritu et Virgine nasceretur. Sic et nobis ut ex aqua et Spiritu renasceremur, non retributum est pro aliquo merito, sed gratis tributum: et si nos ad lavaerum regenerationis fides duxit, non ideo putare debemus, priores nos dedisse aliquid, ut retribueretur nobis regeneratio salutaris; ille quippe nos fecit credere in Christum, qui nobis fecit in quem credimus Christum; ille facit in hominibus principium fidei et perfectionem in Iesum qui fecit hominem principem fidei et perfectorem Iesum: sic enim est appellatus, ut scitis, in Epistola quae est ad Hebreos.<sup>5</sup>

<sup>1</sup> I Cor. I, 24.

<sup>2</sup> Prov. IX, 1.

<sup>3</sup> Matth. 1, 18.

<sup>4</sup> Ps. LXII, 12.

<sup>5</sup> Hebr. XII, 2.

● PL 43, 77, 396, 399.

● PL 44, 174, 179, 410, 422, 429, 445, 552, 678, 810, 813, 814, 815, 864, 982.

CONTRA SECUNDAM IULIANI RESPONSIONEM IMPERFECTUM OPUS  
(429/430)

**982** Lib. VI, XXII. [...] Si autem quaeritur, quomodo Christus non fuerit decimatus, cum etiam ipse, quod manifestum est, secundum originem carnis fuerit in lumbis Abrahae, quando a Melchisedech pater ille decimatus \* est; nihil occurrit, nisi quod Maria quidem mater eius, de qua carnem sumpsit, de carnali concupiscentia parentum nata est; non autem Christum sic ipsa concepit, quem non de virili semine, sed de Spiritu sancto procreavit. Non ergo pertinuit ad rationem virilis seminis, per quam fuerunt in lumbis Abrahae, quos in illo decimatos esse sacra Scriptura testatur. Concupiscentia porro carnis, per quam iactus carnalium seminum provocatur, aut nulla in Adam fuit ante peccatum, aut in illo vitiata est per peccatum. Aut enim sine illa poterant et genitalia congruenter moveri, et coniugis gremio semen infundi, si nulla tunc fuit, aut ad nutum voluntatis etiam ipsa servire, si fuit. Nunc autem si talis esset, nunquam caro contra spiritum concupisceret. Aut ergo ipsa vitium est, si nulla fuit ante peccatum; aut ipsa sine dubio est vitiata peccato; et ideo ex illa trahitur originale peccatum. Fuit ergo in Mariae corpore carnis materia, unde carnem sumpsit Christus: sed non in ea Christum carnis concupiscentia seminavit. Unde ille natus est ex carne cum carne, in similitudine tamen carnis peccati, non sicut alii homines in carne peccati: propterea originale peccatum in aliis regeneratione dissolvit, non ipse generatione contraxit. Ideo Adam primus ille, secundus iste; quia sine carnis concupiscentia factus ille, natus est iste: sed ille tantum homo, iste vero et Deus et homo: et ideo ille potuit non peccare, non sicut iste peccare non potuit.

PL  
45, 1552

\* 1553

DE AMORE PETRI<sup>1</sup>

**983** [...] *In principio erat Verbum, Verbum erat apud Deum, Deus erat Verbum.*<sup>2</sup> Unde ibi possit esse peccatum? Ad nativitatem humanam respicite. Nasci sine peccato voluit, quem virgo concepit, quem non carnis concupiscentia desideravit. Conceptio filii: fides matris. Natus est de Spiritu sancto et virgine Maria, non trahens ex Adam originale peccatum, non trahens, non addens. Innocenter natus, inno-

PLS  
II, 758

<sup>1</sup> Sermo Lambot 3.

<sup>2</sup> Io. I, 1.

center vivens, innocenter moriens. *Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccatum mundi.*<sup>1</sup>

### DE [NATALE] S. IOHANNIS BAPTISTAE<sup>2</sup>

<sup>PLS II, 498</sup> [...] Christus mansit in Patre, per quem Iohannes sicut omnia crearetur; Iohannes processit ex matre, per quem Christus ab omnibus nosceretur. Ille in principio Verbum ante mundum; iste in ultimo vox ante Verbum. Verbum promittit post intellectum, vox post silentium: ita Maria Christum pariendo credit, Zacharias Iohannem generaturus obmutuit. Denique ille natus est de iuvencula florente, iste de senecta deficiente: verbum in corde cogitantis multiplicatur, vox in audientis aure consumitur.

984

### SERMO LXIX

<sup>PL 38, 442</sup> Cap. III, 4. [...] Ideo misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati.<sup>3</sup> Inde venit, sed sic non venit. Non enim eum virgo libidine, sed fide concepit. Venit in virginem, qui erat ante virginem. Quam creavit elegit, quam eligeret creavit. Attulit virginis fecunditatem, non abstulit integritatem.

985

### SERMO CXXIII

<sup>PL 38, 684</sup> Cap. II, 2. Ecce inter caetera Filius virginis venit ad nuptias: qui cum apud Patrem esset, instituit nuptias. Quomodo facta \* est prima mulier, per quam venit peccatum, de viro sine femina: sic vir, per quem deletum est peccatum, de femina sine viro. Per illum ruimus, per hunc surgimus.

986

### SERMO CCXXV

<sup>PL 38, 1096</sup> Cap. II, 2. Quomodo in virgine tale Verbum? *Omnia per ipsum facta sunt.*<sup>4</sup> Quid est, *Omnia?* Quidquid factum est a Deo, per ipsum factum est. Noli, frater, ab isto tanto opere separare Spiritum sanctum. A quo tanto opere? Non parvum opus, magnum opus sunt Angeli:

987

<sup>1</sup> Io. I, 29.

<sup>2</sup> Sermo Mai 101.

<sup>3</sup> Rom. VIII, 3.

<sup>4</sup> Io. I, 3.

● PL 45, 1084, 1085, 1369, 1373, 1374, 1386, 1387, 1388, 1417, 1418, 1429, 1590.

carnem Christi sedentem ad dexteram Patris adorant Angeli. Tale ergo opus operatus est maxime Spiritus sanctus. In isto opere cognominatus est, quando sanctae Virgini per angelum futurus nuntiatus est filius. Illa quia proposuerat virginitatem, et erat maritus eius, non ablator, sed custos pudoris: imo non custos, quia Deus custodiebat; sed testis pudoris virginalis fuit maritus, ne de adulterio gravida putaretur: quando ei nuntiavit angelus, ait, *Quomodo fiat istud, quoniam \* virum non cognosco?* Si cognoscere disponeret, non miraretur. Illa admiratio, propositi est testificatio, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quomodo fiet?* Et angelus ad eam: *Spiritus sanctus superveniet in te.* Ecce quomodo fiet quod quaeris: *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ideoque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur *Filius Dei.*<sup>1</sup> Et bene dixit, *Obumbrabit tibi:* ne tua virginitas aestum libidinis sentiat. Et cum praegnans esset, dictum est de illa, *Inventa est Maria habens de Spiritu sancto in utero.*<sup>2</sup> Operatus est ergo Spiritus sanctus carnem Christi. Operatus est et ipse unigenitus Filius Dei carnem suam. Unde probamus? Quia inde ait Scriptura: *Sapientia aedificavit sibi domum.*<sup>3</sup>

\* 1097

## SERMO CLXXXVIII

988 Cap. III, 4. Celebremus ergo cum gaudio diem quo peperit Maria Salvatorem, coniugata coniugii creatorem, virgo virginum principem; et data marito, et mater non de marito; virgo ante coniugium, virgo in coniugio; virgo praegnans, virgo lactans. Sanctae quippe Matri omnipotens Filius nullo modo virginitatem natus abstulit, quam nasciturus elegit. Bona est enim fecunditas in coniugio: sed melior integritas in sanctimonio. Homo igitur Christus qui utrumque prae-stare \* posset ut Deus (idem namque homo idem Deus), nunquam sie daret Matri bonum quod coniuges diligunt, ut auferret melius propter quod virgines matres esse contemnunt. Virgo itaque sancta Ecclesia celebrat hodie Virginis partum. Huic enim dicit Apostolus: *Aptavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.*<sup>4</sup> Unde *virginem castam* in tot populis utriusque sexus, in tot non solum pueris et virginibus, verum etiam coniugatis patribus, matribusque? Unde, inquam, *virginem castam*, nisi in fidei, spei, et charitatis integritate? Virginitatem proinde Christus Ecclesiae facturus in corde, prius

PL  
38, 1004

\* 1005

<sup>1</sup> Lc. I, 34, 35.<sup>2</sup> Matth. I, 18.<sup>3</sup> Prov. IX, 1.<sup>4</sup> II Cor. XI, 2.

Mariae servavit in corpore. Humano quippe coniugio sponso femina traditur, ut virgo iam non sit: Ecclesia vero virgo esse non posset, nisi sponsum cui traderetur, filium virginis invenisset.

## DE SYMBOLO AD CATECHUMENOS

<sup>PL 40, 630</sup> Cap. III, 6. Sed iste Filius unicus Dei Patris omnipotentis videamus quid fecit propter nos, quid passus est propter nos. Natus de Spiritu Sancto et virgine Maria. Ille Deus tantus aequalis Patri, natus de Spiritu sancto et virgine Maria humilis, unde sanaret superbos. Exaltavit se homo, et cecidit: humiliavit se Deus erexit. Humilitas Christi quid est! Manum Deus homini iacenti porrexit. Nos cedimus, ille descendit; nos iacebamus, ille se inclinavit. Prendamus et surgamus, ut non in poenam cadamus. Ergo inclinatio ipsius haec est. Natus est de Spiritu sancto et virgine Maria. Et ipsa nativitas humana, humilis et excelsa: Unde humilis? Quia homo natus est ex hominibus. Unde excelsa? Quia de virgine. Viro concepit, virgo peperit, et post partum virgo permansit.

989

DE ACCEDENTIBUS AD GRATIAM<sup>1</sup>

<sup>PLS III, 274</sup> 15. [...] Ego in te, et tu in me; quia ego et tu unum sumus. Talis apud te fui ante quam fieret mundus, talis eram et ante quam a te processissem: et cum ex te procedens, omnia quae voluisti perficere, tecum tamen mansi, qui a te processi, et te non dimisi. Hoc clarificando demonstra, et demonstrando clarifica, ut noverint quid quaerant, quid me credant de Spiritu sancto ex Maria virgine.

990

16. Haec nativitas mira est, quia talem genuit, talis genuit. Ideo virgo mater, quia *Verbum caro factum est.*<sup>2</sup> Si enim haec quae genuit, talis est; illud quod genuit, quale est? Vis nosse qualis est, qui sic natus est? Audi quis et quantus est: Verbum Patris, artifex mundi, lumen caeli, pax terrae, integritas virginis, foecunditas matris, angelorum laus, hominum salus, desertorum via, errantibus venia, vulneratorum medicina, bonorum iocunditas, martyrum victoria, infantium palma. [...] Haec et quaecumque alia dixerimus de eo, parva sunt. Non enim sufficit humana lingua narrare vel laudare, quem mens pavida et infirma non valet comprehendere. Haec tamen Maria quae talem peperit, virgo mater, gratia foecundata, Spiritu sancto praegnata: novum germen novus partus agnoscit: videt oculis, mira-

<sup>1</sup> Sermo Mai [I]. Non Quodvultdeo sed magis ipsi S. Augustino adiudicant hunc sermonem A. Kappelmacher et M. Simonetti (cf. PLS III, 261).

<sup>2</sup> Io. I, 14.

tur mente, integra perseverat in carne, amplectitur manibus quem portat, mundum regentem: lac infundit caelesti pani, quoniam misericordia et veritas occurrerunt sibi. Figit dulcissima oscula pia mater Verbo, *quia iustitia et pax osculatae sunt.*<sup>1</sup> Et quem carnis \* intuetur filium, mente conspicit Deum. Suscepisse se gaudet perpetuam posteritatem, non amissa integritate: vitam fert in gremio, et veritatem portat in corde: *quoniam veritas de terra orta est, et iustitia de caelo prospexit.*<sup>2</sup> Maria de homine patre nata, terra; Christus ex Maria sine homine patre, veritas de caelo.

\* 275

17. Quomodo hoc factum sit mirabiliter, dum quaerimus, et chorus nobis prophetarum occurrit, et suorum suavium dictorum, pie quaerentium vota instrumentos dulci attestatione declinant. Dicit unus David: *Veritas de terra orta est, quia iustitia de caelo aspexit.* Quaeritis, inquit, quomodo virgo peperit, quomodo haec terra talem fructum protulit? *Dominus, inquit, dabit suavitatem, et terra nostra dedit fructum suum.*<sup>3</sup> O magna suavitas a Deo! Domine, a Deo veniens, in utero matris ministerium incarnationis peragens, terram Mariam fertilem reddens, virginitatem non adimens, claustra pudicitiae inviolata custodiens, sic rorasti desuper, sic te nubes pluerunt iustum, sic aperta est terra, et protulit Salvatorem. Hoc enim videbat etiam iste Isaías propheta canens et dicens: *Rorate caeli desuper, et nubes pluant iustum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem.*<sup>4</sup> Nolite timere qui creditis natum de Maria virgine, quia dictum est, *aperiatur terra.* Nolite huic caelesti nativitati vestram fragilem comparare nativitatem. *Tollite portas, principes, vestras.*<sup>5</sup> Etiam vos reges et principes, qui sic nascimini quomodo omnes homines, nolite hanc talem cogitare portam, per quam est filii Dei transitus, qualis est vester introitus atque exitus. Non enim poterit manere maternus iure intactus uterus, in quo cotidie dominatur carnalis amplexus. Non est sic natus, qui ex Maria virgine de Spiritu sancto est procreatus. *Tollite ergo portas, principes, vestras,* tollite, tollite: nulla est comparatio: nolite istam talem cogitare portam, qualis est vestra; sed *elevamini portae aeternae,* quoniam per eam introivit *rex gloriae.* Haec porta aeterna est, \*princeps atque salvator post resurrectionem discipulis suis ostiis clausis dignatus est apparere, nisi ut quos mittere ad praedicandum dignabatur, ipse instrueret, ut videndo disserent quem natum ex Maria virgine praedicarent: eiusque demonstraret, ut quod fecit per ostia

\* 276

<sup>1</sup> Ps. LXXXIV, 11.<sup>2</sup> Ps. LXXXIV, 12.<sup>3</sup> Ps. LXXXIV, 13.<sup>4</sup> Isa. XLV, 8.<sup>5</sup> Ps. XXIII, 7.

clausa solidatum corpus traiciens iuventutis, hoc illi crederent esse Christum de suis infantilibus membris.

<sup>PLS</sup>  
<sup>III,</sup> 276 18. [...] A muliere enim initium factum est peccati, et propter hanc omnes morimur. Quia ergo mors regnavit per mulierem, redeat ad nos vita per virginem. 991

## Ps.-AUGUSTINUS

### IN NATALI DOMINI I<sup>1</sup>

<sup>PLS</sup>  
<sup>II,</sup> 911 VI. [...] Natus est Dominus in carne vera, et victa est in hac Nativitate natura, quia Virgo concepit, et peperit illibata, et facta est mater vera, quae permanxit virgo perpetua. 992

<sup>PLS</sup>  
<sup>II,</sup> 912 IX. Factum est ut Evangelista testatus est; virtus infirmitatem emicuit. Deus carnem ita ex Virginis matris vulva suscepit, ut non praeeunte seminatione carnali caro existeret, sed ex operatione coelesti et coniunctione Verbi; et cum, nimio affectionis desiderio, vult hominem reparare, hominem reformavit in homine, et virginem carnem assumpsit ex Virgine. 993

<sup>PLS</sup>  
<sup>II,</sup> 913 X. Natus est Deus ex utero Virginis, ex intemerato connubio, ex puro matrimonio; sine semine viri, sed ex semine Verbi; et \* in forma servi, qui ante saecula, natus est ex Deo in forma Dei. Et ut servus fieret dominus, Dominus ipse factus est servus. Sed totius huius mysterii opus suscepit virgineus uterus; formavit Spiritus sanctus. Exiuit homo Deo plenus, qui tamen et homo esset et Deus, ut ait Apostolus: *Utrumque unum*,<sup>2</sup> caro scilicet et Verbum, discreta natura, sed per voluntatem Dei concreta substantia; ut quae erant ante duo diversa, in unionem fierent nativitatis huius fibula sociata. Uterus tamen Virginis officina huius sacramenti fuit. Quae ita partum, sicuti concepit, emisit, et quae virum in conceptu non admisit, virum aequum sine ullo detrimento pudoris emisit. Nec passa est masculum virum; virum scilicet in virtute divina et humana fragilitate concretum; sed Deum in virtutibus et operatione perfectum, apostolo Petro dicente: *Iesum Nazarenum virum a Deo ostensem in vobis*.<sup>3</sup> Hinc Esaias propheta: *Ecce, inquit, Virgo concipiet et pariet filium*.<sup>4</sup> Virgo est igitur quae concepit, Virgo quae peperit. Conceptum sine praeiudicio par-

<sup>1</sup> Sermo *Caillau-Saint-Yves*. 1, 7; « Antiquus est hic sermo in Africa ortus quem cognoscebat auctor sermonis *Maurini* app. 245. H. BARRÉ, RB, 67, 1957, p. 10 ». PLS II, 865.

<sup>2</sup> Ephes. II, 14.

<sup>3</sup> Act. II, 22.

<sup>4</sup> Isa. VII, 14.

## DE ECCLESIASTICIS DOGMATIBUS

**1473** Cap. LXIX. Integra fide credendum est beatam Mariam Dei Christi matrem, et virginem concepisse, et virginem genuisse, et post partum virginem permansisse. Nec est blasphemiae Helvidii acquiescendum qui dixit: Fuit virgo ante partum, non virgo post partum. PL 58, 996

RURICIUS (Senior) Lemovicensis<sup>1</sup> († post 507)

## EPISTOLA X

**1474** [...] Nam et Dominus in Evangelio, cum ei a circumstantibus diceretur: *Ecce mater tua, et fratres tui quaerunt te, volentes videre te ita respondit: Quae est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Et ostendens apostolos, sequentes se: Nonne hi, qui faciunt voluntatem Patris mei?*<sup>2</sup> Mater enim Christi dici possumus, quando Christum corde gestamus. Nam et S. Maria, quae et virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit, Dominum nostrum non complexu virili, sed fide maritante concepit. PL 58, 90

## S. AVITUS Viennensis Allobrogum (ca 450 † ca 518)

## EPISTOLAE

**1475** Ep. II. [...] Filium Dei, cum Patre ante saecula permanentem, quem idcirco ad salutem nostram descendisse de caelo ut corpus assumeret fides recta confitetur, negant in alvum femineam potuisse contrudi; cum Dei Filius, utique Deus, qui dixerat per prophetam: *Caelum et terram ego imleo,*<sup>3</sup> non potuerit venire quo erat, nisi per susceptionem carnis acquiesceret esse quod non erat. Quam conclusionem metuens Eutyches ille quem loquimur, cum in synodo superius designata studiose ab auditoribus urgeretur, ut Mariam virginem Θεοτόκον, id est quae Deum peperisset, pronuntiaret atque subscriberet, ad ingenii nequitiam fraude conversus, Χριστοτόκον, quae Christum tantummodo videretur edidisse, confessus est: ut scilicet

<sup>1</sup> Vel Lemovicinus (Clavis 985).

<sup>2</sup> Matth. XII, 47, 48, 49.

<sup>3</sup> Ier. XXIII, 24.

• PL 58, 760, 763, 825, 843, 854, 855, 856, 881, 902, 905, 907, 911, 919, 981, 982, 1068, 1077, 1101, 1106, 1110, 1112.

τάζομεν. Τί οὖν με καὶ βούλεσθε εἰπεῖν πρότερον; Εἴπω πῶς Ἡσαΐας αὐτῆς ἀνυμνεῖ τὸν τόκον ἀσπορον καὶ πολύφορον, τὸν ἀγεώργητον καὶ καλλικαρπον, τὸν παρὰ φύσιν καὶ κατὰ φύσιν ἄμακαντα φύσιν, διὰ τὸ καθ' ἡμᾶς παρὰ φύσιν, διὰ τὸν ἀνωθεν ἐκδημήσαντα κατὰ φύσιν, διὰ χρόνον τὸν τῆς κυήσεως, ἔτι δὲ καὶ τὸν νόμον τὸν τῆς γεννήσεως παρὰ φύσιν, διὰ τὸ τοῦτα ἀπαντα τὸν ὑπέρ ἡμᾶς καταδέξασθαι δι' ἡμᾶς; Ἀλλ' εἴπω ποῦ καὶ Παῦλος κέκραγεν, εἴπω ποῦτα κηρύγτει καὶ ὁ Λουκᾶς; Ἡ πρὸ ἐκείνων με εἰπεῖν βούλεσθε οἷα καὶ νῦν ἐμελώδησε Δαβίδ, τὴν θεομίμητον ἀνακρούων λύραν; Οἶδα, ὡς τοῦτο καὶ προτιμᾶτε καὶ βούλεσθε· ἀ γάρ ποθεῖ τις πλέον, τούτων καὶ ἀκροᾶσθαι ἐπιθυμεῖ μᾶλλον. Πιθεῖτε ὑμεῖς πλέον εἰκότως τὰ τοῦ Δαβίδ, ὡς ἐν αὐτοῖς τὸν πάντα διεκτελοῦντες βίον, ὡς τὴν δι' αὐτῶν ἀπαυστον ὑμνῳδίαν φυλάττοντες, ὡς τὴν χοροστασίαν τὴν ἐπ' αὐτοῖς, νυκτὸς καὶ ἡμέρας, οὐδὲ διαλείποντες, ὡς ἔξαντλοῦντες αὐτῶν ἀεὶ διὰ τῶν στομάτων τὸν γλυκασμόν, ὡς τὴν ἐξ αὐτῶν ζωοποιὸν τρύφην ἀπλήστως ἐνθησαυρίζοντες ταῖς ψυχαῖς.

\*338 Δεῦτε οὖν, δεῦτε πάλιν, ἀναβοᾶτε καὶ σὺν ἐμοὶ τὰ ἐκ τῆς οὔτως ὑμεῖν προσφιλοῦς κιθάρας· \* « Ἀνάστηθι, Κύριε, εἰς τὴν ἀνάπαυσίν σου, σὺ καὶ ἡ κιθωτὸς τοῦ ἀγιάσματός σου »· κιθωτὸς γάρ ὅντως βασιλική, κιθωτὸς λίαν πολύτιμος ἡ ἀειπαρθένος θεοτόκος· κιθωτὸς ὅλου τοῦ ἀγιάσματος τὸν θησαυ-

primum? Dicam quomodo Isaias laudibus efferat partum seminis expertem sed fertilem, incultum et nihilominus pulchrum fructum producentem, qui praeter naturam simul et secundum naturam fuit: secundum naturam, quia quod nostrum est accepit; praeter naturam, quia digressus est a superis; secundum naturam, propter tempus graviditatis, insuper et propter legem nativitatis; praeter naturam, eo quod is, qui supra nos est, haec omnia suscepit, nostri gratia? Vel dicam quae et Paulus exclamaverit? Dicam quae et Lucas praedicet? An vultis antea dicam qualia et mox decantaverit David, Dei imitaticem pulsans lyram? Scio vos hoc et anteponere et velle; quae enim quispiam vehementius expetit, ea audire magis desiderat. Mavultis vos merito cantica Davidis, eo quod in ipsis totam esse ducatis vitam; quod hymnorum cantionem continuam observetis; quod diu noctuque eorum gratia chorum congregari solitum non deseratis; quod eorum dulcedinem ore semper hauriatis; quod ex eis vivificas delicias sine satietate in animis recondatis.

\*338 Agite ergo, agite denuo, exclamate etiam nunc quae prodeunt ex tam grata vobis cithara: \* *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae.*<sup>1</sup> Arca enim vere regia, arca pretiosissima est Virgo Deipara; area, quae exceptit totius sanctificationis

<sup>1</sup> Ps. CXXXI, 8.

totus in ecclesia, \* totus in carne. De ipso quodam in loco Scriptura dicebat *fraternus meus candidus et rubeus*,<sup>1</sup> *candidus* quia Verbum est Dei, *rubeus* quia partus est virginis. \*734

Ergo hodie parvulus et humilis ingressus est mundum, et hodie quidem secundum hominem homo natus est ex virgine, sed «ante omnia saecula genitus ex patre», qui matrem corpore, virtute referat patrem, unigenitus in terra unigenitus in caelo, Deus ex Deo, partus ex virgine.

### BACHIARIUS Monachus (saec. IV-V)

#### EPISTOLA AD S. MARCELLAM VIDUAM

**1392** [...] Huius ergo mysterii sacramentum in decimo mense, hoc est, trecentesimo dierum numero scimus esse completum; ubi nobis parturientis sanctae Mariae gemitus imitandi sunt, ut velut intra occultam vulvam uteri, sic intra secretam monasterii cellulam aliquid formetur in nobis, quod proficiat ad salutem, et in decimo mense novum opus ex fructibus nostris, quod mundus miretur, appareat. Si enim illa incorrupta et sancta Maria non sine gemitibus ac suspicitiis spem suae salutis effundit, qualiter nobis aestimas laborandum, quos serpentis decepere consilia, ut aliquid tale valeamus imitari? Sed forsitan dicas: Cur me vanae spei pollicitatione frustraris? Solis Christum parere virginibus licet. Nolo enim gratiam Dei intra unius personae angustias claudas. Aspice enim ubi apostolus peccatoribus et praevaricatoribus dicit: *Donec Christus formetur in vobis.*<sup>2</sup> Sed memento quia sancta Maria, cum hoc opus exercuit, valde secretum locum ac solitarium requisivit: nullus ei minister, nullus comes fuisse describitur; sed et <si> beatus Ioseph contubernium praestaret officii, tamen inter parturientis gemitus quid nisi abfuisse credatur? Exhinc autem metire, quam secretum et quietum locum debet eligere, qui Christum desiderat parere, cum etiam ille, qui adventus illius prae-dicator est, non nisi in heremo haec adnuntiasse dicatur. PLS  
I, 1040

#### PROFESSIONE FIDEI (383/384)<sup>3</sup>

**1393** [...] Filium quoque credimus in novissimis diebus natum esse de Virgine et Spiritu sancto, carnem naturae humanae et animam suscepisse. In qua carne et passum et sepultum, resurrexisse a mortuis PL  
20, 1028

<sup>1</sup> Cant. V, 10.

<sup>2</sup> Gal. IV, 19.

<sup>3</sup> Multi viri docti negant hanc professionem Bachiarii esse, alii affirmant.

● PLS I, 733, 734.

eredimus et fatemur: et in eadem ipsa carne in qua iacuit in sepulcro, post resurrectionem ascendisse in coelum, unde venturum exspectamus ad iudicium vivorum et mortuorum: \* Virginem quoque de qua natum scimus, et virginem ante partum, et virginem post partum, ne consortes Elvidiani erroris habeamur.

## RUFINUS Syrus (saec. IV-V)

LIBER DE FIDE<sup>1</sup>

<sup>PL 21, 1146</sup> XLIII. Factus igitur homo unigenitus Deus Verbum, ex Maria quidem semper virgine corpus accipiens, animam rationabilem sibi creando, eius substantiae cuius nostra est, ex ipsa semper Virgine nascitur homo sicuti Isaias prophetando dixit, *Ecce Virgo in utero accipiet et pariet filium.*<sup>2</sup> Semper autem Virginem dixit sanctam Mariam, quoniam sicut virgo concepit, sic etiam virgo permanens perperit. Nam quomodo signum quod datum est a Deo Achaz verum erit? Si igitur non permaneret virgo post partum, et quod virgo concepit, minime credendum est. Quid enim dicit Evangelista de Ioseph? *Et non cognovit eam donec peperit filium suum,*<sup>3</sup> id est, non noverat certius quod ipsa erat Virgo, quae Christum paritura praedicta est, nisi post partus editionem documenta \* virginitatis eius manere agnoverisset intacta. Necnon etiam ex consequentibus et adnunciis Christi signis, Angelis, stella, Simeone, Anna vel Magis, admonitione quoque Angeli, qui ad ipsum locutus est hoc modo, *Surge, accipe puerum et matrem eius.*<sup>4</sup> Non dixit uxorem tuam, ut scire posset quod Christi caussa Virgini Mariae datus fuerat ut minister. Unde Dominus signum virginitatis confirmare volens, post resurrectionem a mortuis, clausis ad Apostolos ingressus est ostiis, ostendens se ossa et carnem habentem.

## A[P]PONIUS (saec. V)

## IN CANTICUM CANTICORUM (405/415)

<sup>PLS I, 850</sup> Lib. III. [...] Tria igitur in se delectabilia et nimis oculis grata, lili natura continere probatur, idest candorem, odorem, [et quaeque adusta ignis medicina]. Quae tria admiranda simili ratione in

<sup>1</sup> Viri docti iudicant Rufinum, auctorem huius libri, esse *Rufinum natione Syrum* (cf. PLS I, 1098).

<sup>2</sup> Isa. VII, 14.

<sup>3</sup> Matth. I, 25.

<sup>4</sup> Matth. II, 13.

● PLS I, 1036, 1037, 1040.

<sup>SR</sup>  
10, 219 Attamen vel ipse exterior Deiparae ornatus satis est luculentus, atque ipsi propemodum interiori comparandus. Ipsa enim fermentum est formae nostrae; radix eius verae vitis, cuius nos extitimus palmites, pares facti in baptismatis germine, quod est reconcilationis Dei cum hominibus complementum. Idecireo caneabant angelii: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, inter homines bona voluntas.*<sup>1</sup> Debet igitur Virginis commemoratio nostros animos excitare, reputantes in quanto quamque inconciliabili odio fuerimus, et ad qualem quantamque pacem atque concordiam per eius intercessionem vocati. Quid ni vero omnes ita nos gerimus \* vivimusque, uti par est decetque gloriam Dei incarnati, qui tanta nos caritate dignatus est?

\*220

Vobis item, qui a me edocti, Deiparam sanctum illud sanctorum esse, quod post alterum velum iacet, cupiditate incensi estis, ut eius anterius tabernaculum, id est sacra eius aedes, additis columnis amplificetur; vobis, inquam, quid aliud superest, nisi ut efficaci voluntate manuque rem aggrediamini, captoque ab Israhelitis exemplo, copiosa dona offeratis?

### S. CAESARIUS Arelatensis (470/471 † 542)

#### SERMONES <sup>2</sup>

<sup>PL</sup>  
39, 1800 Sermo 28, 2. [...] Sicut enim uva illa Christum Deum figuravit; ita et terra repromotionis, in qua natus est, sanctae Mariae videtur imaginem praetulisse. In ipsa enim impletum est illud quod scriptum est, *Veritas de terra orta est.*<sup>3</sup> Quomodo autem beata Maria non fuit terra repromotionis, quae per prophetam multo ante promissa est? Nam per beatum Isaiam Dominus eam ante multa annorum spatia repromisit; sic enim ait: *Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium.*<sup>4</sup>

<sup>PL</sup>  
39, 2195 Sermo 244, 1. [...] Credite et in Iesum Christum Filium eius unicum Dominum nostrum. Credite eum conceptum esse de Spiritu sancto, et natum ex Maria virgine, quae virgo ante partum, et virgo post partum semper fuit, et absque contagione vel macula peccati perduravit.<sup>5</sup>

<sup>PL</sup>  
39, 2327 Sermo 303, 7. [...] Virgines ergo cogitantes Mariam, viduae

1539

<sup>1</sup> Lc. II, 14.

<sup>2</sup> Exstant in App. operum S. Augustini, PL 39. Vide alios locos Caesarii nn. 903, 929, 950, 955, 956, 985, 987.

<sup>3</sup> Ps. LXXXIV, 12.

<sup>4</sup> Isa. VII, 14; CCL CIII, 444.

<sup>5</sup> CCL CIII, 51.

Annam, maritatae vero Susannam, imitentur illarum castitatem in hoc saeculo, ut illis sociari mereantur in aeternum. Bonae enim virgines, quae non solum corpore, sed etiam corde et lingua virgines esse voluerint, sanctae Mariae cum reliquo exercitu virginum sociantur.<sup>1</sup>

- 1540** Sermo *Morin* 106, 6. [...] Videamus autem quae terra sit, de qua fluere lac et mel Scriptura testatur. Si enim Iudaeam dixeris, nemo adhuc umquam de petra mel et lac de terra fluere meminit; sed terram, de qua lac et mel fluere dixit, Christi carnem debemus accipere, de cuius doctrina dicere possumus: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, domine! Super mel et favum ori meo.*<sup>2</sup> Ipsa est caro Christi, quae secundum legem ex uberi terra, id est, ex carne virginis procreata est, sicut apostolus ait: *Factus ex muliere, factus sub lege.*<sup>3</sup>

PLS  
IV, 356

#### HOMILIAE

- 1541** Hom. III.<sup>4</sup> [...] Ecce nunc peregrinantibus naturae legibus, innumerae per omnem terram multitudines de solo sinu fontis tanquam partu virginis procreantur. Gaudeat Christi Ecclesia, quae ad similitudinem beatae Mariae sancto Spiritu operante ditatur, et mater divinae prolis efficitur. Cesset ergo infidelium caecus error asserere, quod femina quae sine viro filium potuit parere, virgo non potuit permanere. Ecce quantos et quantorum fratres sub una nocte nobis edidit fecunda de sinu integritatis Ecclesia mater et sponsa. Mirabaris paulo ante de incorruptione nascentem hominem: mirare nunc, quod non minus novum est, etiam renascentem. Conferamus si placet has duas matres, et utriusque generatio fidem nostram in alterutra corroborabit. Mariam secreto implevit illapsu sancti Spiritus obumbratio, et Ecclesiam in fonte benedicto sancti Spiritus maritavit infusio. Maria filium sine peccato genuit, et Ecclesia in his quos generavit peccata consumpsit. Per Mariam natum est quod in principio erat, per Ecclesiam renatum quod in principio perierat. Illa plurimis generavit, haec populos. Illa, ut novimus, virgo permanens semel peperit filium, haec semper parit per virginem sponsum. Quod ergo putabas a saeculis singulare miraculum, iam munus annum recognosce.

<sup>1</sup> CCL CIII, 35.

<sup>2</sup> Ps. CXVIII, 103.

<sup>3</sup> Gal. IV, 4; CCL CIII, 442-443.

<sup>4</sup> Legitur etiam in Coll. *Eusebii Gallicani*, hom. 15 (cf. PLS IV, 239 et III, 547; Lau 136; CCL CIV, 970).

● PLS IV, 534, 538.

■ PL 67, 1079, 1170, 1171, 1174, 1177, 1200, 1226, 1231, 1243, 1245, 1246.

● CYPRIANUS Ep. Telonensis (saec. VI): PLS IV, 599, 600.

## S. MARTINUS Ep. Dumiensis (ca 515 † 580)

## DE CORRECTIONE RUSTICORUM (post 572)

**1590** 13. Pro qua etiam causa, dum vidisset Deus miseros homines ita a diabolo et angelis eius malis includi ut, obliviscentes creatorem suum, pro deo daemones adorarent, misit filium suum, id est Sapientiam et Verbum suum, ut illos ad cultum veri de diaboli errore reduceret. Et quia non poterat divinitas filii Dei ab hominibus videri, accepit carnem humanam ex utero Mariae virginis, non ex coniugio viri, sed ex Spiritu sancto conceptam.

## M. A. CASSIODORUS (485/490 † ca 583)

## HISTORIA TRIPARTITA (ante 555)

**1591** Cap. II. [...] Etiam quidam aliorum prophetarum clare Christi generationem prophetaverunt, et illum sacram ineffabilemque conceptum, et matrem post partum virginem permanentem, et genus, et patriam; alii vero passionem, et resurrectionem a mortuis, et ascensionem in coelos, et eventum singolarum praesignaverunt rerum.

## IN PSALTERIUM EXPOSITIO

**1592** Ps. VIII, 5. [...] *Aut filius hominis quoniam visitas eum?* Hac iam voce surgendum est, quia Dominum significat Salvatorem, qui non ut caeteri mortales ex duobus hominibus natus est, sed ex Spiritu sancto et beatae Mariae semper virginis utero tamquam sponsus de gloriose thalamo processit.<sup>1</sup>

**1593** Ps. XVIII, 6. [...] *Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exsultavit ut gigas ad currēdā viam. Et ipse,* Christum Dominum dicit, qui *tamquam sponsus Ecclesiae suae, processit de thalamo suo*, id est de utero virginali. Magna similitudine sacramentum eius incarnationis exposuit. Ob hoc enim de intacto utero processit dispositione mirabili, ut mundum Deitati reconcilians, Ecclesiam sibi sponsi caritate sociaret. Quapropter merito de Virgine natus est, qui Virgini erat sancta copulatione iungendus. Congrue namque *sponsus* a spondendo dicitur Christus, qui toties promissus est per prophetas.<sup>2</sup>

<sup>1</sup> CCL XCVII, 92.

<sup>2</sup> CCL XCVII, 171.

● PLS IV, 1401.

PLS  
IV, 1399

PL  
69, 884

PL  
70, 76

PL  
70, 139

1594

<sup>PL 70, 156</sup> Ps. XXI, 10. *Quoniam tu es qui abstraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meae. De ventre utique virginali, qui iam tunc ab originalis peccati vitio sequestratus, tamquam sponsus processit de thalamo.* Inde se dicit *abstractum*, unde humanitas tenebatur obnoxia. Sive illud accipiendum est, quoniam de utero matris iure se a Domino dicebat *abstractum*; ut ostenderet nativitatem illam dominica virtute perfectam; ne incredibilis videretur virginis partus, dum esset Domini operatione completus. Et ut declararet perfectam humanitatem, quam assumere atque monstrare dignatus est, ab initio vitae sua spem suam dicit in Domino posuisse. Verum hic quoque incomprehensibilis sanctitas, et singularis ostenditur magnitudo. Nam cui alii datum est divinitatem agnoscere, quem adhuc potuerant \* ubera materna lactare? Incipiens ergo aetas dicebat, ad quod aliorum vix poterat pervenire maturitas.

<sup>\*157</sup> <sup>PL 70, 157</sup> 11. *In te iactatus sum ex utero; de ventre matris meae Deus meus es tu.* Ut homo ista locutus est. Nam cum se dicit *iactatum* in Domino, ostendit ab humana iniquitate se fuisse discretum. Quod autem sequitur: *Ex utero matris*, ad errorem pertinet synagogae, unde eum perfidia iudeorum constat expulsum. Ceterum sine Deo non fuit nec ipsa conceptio. Nam sicut homo in iniquitatibus concipitur, sic in ipsa incarnationis origine Domini Christi, divina substantia humanitati iuncta atque adunata declaratur; sicut et ab angelo Mariae semper virgini prophetatum est: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>1</sup>

1595

<sup>PL 70, 196</sup> Ps. XXVII, 10. [...] Bene autem dixit: *Refloruit caro mea,* quia et primo floruit: quippe quae ex Virgine sine peccato tamquam pulcherrimi floris singulare decus emicuit, sicut Isaías dicit: *Et flos de radice eius ascendet.*<sup>2</sup> *Refloruit* ergo significat resurrexit: quasi in aethereas auras admirabili decore prorupit.<sup>3</sup>

1596

<sup>PL 70, 236</sup> Ps. XXXIII, 8 Teth. [...] Vita enim nostra, quae revera Deus est, qui carnem sumptam ex Virgine Maria sibi univit, eamque propriam fecit, vivificatricem eam esse professus est; sicut ait in evangelio: *Amen, amen, dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis sanguinem eius, non habebitis in vobis vitam aeternam.*<sup>4</sup>

1597

<sup>PL 70, 509</sup> Ps. LXXI, 6. *Et descendit sicut pluvia in vellus et sicut stillicidia stillantia super terram.* Hic ipsum mysterium gloriosae nativitatis exponitur. Nam Dominus ille virtutum ante cuius conspec-

<sup>1</sup> CCL XCVII, 194, 195; Ic. I, 35.

<sup>2</sup> Isa. XI, 1.

<sup>3</sup> CCL XCVII, 246, 247.

<sup>4</sup> Io. VI, 54; CCL XCVII, 297.

tum terra tremefacta concutitur, omnis creatura turbatur, cum non potest ulla tenus sustineri, quando se manvult manifesta potestate cognosci, voluit leniter in utero virginali sine aliquo strepitu, tamquam *pluvia in vellus agnae descendere*; ut virtutem suam hinc magis ostenderet, si illam ineffabilem potentiam temperasset; sicut dicit apostolus: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo.*<sup>1</sup> Sed consideremus tantae rei qualis similitudo sit posita. *Vellera lanae sunt ovium, quae sic aquam recipiunt, ut nulla divisione rumpantur, et iterum sic reddunt, ut in suis integritatibus perseverent.* Audite, si qui adhuc estis increduli, et pudeat hoc de summa Divinitate non credere, quod videtis minimas creature indicare. Sequitur *et sicut stillicidia stillantia super terram*; scilicet quae in modum roris summa lenitate descendunt. Haec si pura mente consideres, haesitationem de partu Virginis non habebis. Illud enim ingens miraculum, ut sine aliqua dubitatione credi possit, exemplo duplii comprobavit. Hinc Ambrosius ille quaedam Ecclesiae candela mirabili fulgore lampavit, dicens:

Veni, Redemptor gentium,  
Ostende partum Virginis,  
Miretur omne saeculum,  
Talis decet partus Deum.<sup>2</sup>

1598 Ps. LXXXV, 16. [...] Addidit, *et salvum fac filium ancillae tuae; ancillae* utique, quia de Maria semper virgine erat veraciter et proprie nasciturus; quae (sicut superius diximus) angelo sibi partum annuntiante, Domini se profitetur ancillam.<sup>3</sup> PL 70, 617

1599 Ps. LXXXVIII, 27. [...] Sequitur: *et ego primogenitum ponam illum, excelsum prae regibus terrae.* Perserutandum etiam nobis est, quare dixerit, *primogenitum*, quasi vero Pater sic genuerit substantialiter Filium, ut subsequetur et aliis. Sed hoc locutionis genus Scripturae divinae constat esse proprium; sicut est et illud in Evangelio de Ioseph et Maria, ubi ait: *Et non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum.*<sup>4</sup> Numquid consequens erit, ut virgo semper Maria post Dominum Iesum Christum alterum pepe-

PL 70, 636

<sup>1</sup> Philip. II, 6-7.

<sup>2</sup> CCL XCVII, 651, 652.

<sup>3</sup> CCL XCVII, 787.

<sup>4</sup> Matth. I, 25.

risse credatur? Sed bene dicitur *Primogenitus*, quamvis solus probetur ex Patris substantia genitus.<sup>1</sup>

<sup>PL  
70, 915</sup> Ps. CXXII, 3. [...] Subiecit *donec misereatur nobis*, ut ostendetur, sive \*feminas, sive masculos sub patientia debere beneficia divina perquirere et ei iugiter supplicare. Istud autem, *donec*, in Scripturis divinis homonymum est; interdum quippe significat aliquid temporaliter agi, interdum, semper. Temporaliter, ut est illud in psalmo centesimo nono: *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*<sup>2</sup> Semper autem significat, ut praesens psalmus declarat, *donec misereatur nobis*, quasi vero oculi nostri in manibus eius esse non debeant, etiam postquam nobis fuerit misertus. Tale est et illud Evangelii: *Non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum,*<sup>3</sup> quam constat virum nullo tempore cognovisse. Quapropter, *donec* merito hic semper advertitur, quamvis temporaliter dictum esse videatur. Quod locutionis genus inter divinae propria Scripturae enumerandum est.<sup>4</sup>

### S. GREGORIUS Antiochenus (†593)

#### HOMILIA IN SANCTA THEOPHANIA<sup>5</sup>

<sup>PG  
10, 1181</sup> Homilia IV. [...] «'Εγώ χρείαν ἔχω ίπδ σου βαπτισθῆναι, καὶ σὺ ἔρχη πρός μέ;» 'Εγώ γεννηθείς, τῆς γεννησάσης [ἄλ. γεννησαμένης] με μητρὸς τὴν στείρωσιν ἔλυσα· καὶ βρέφος ὃν ἔτι, γέγονα τῆς ἀφωνίας τοῦ πατρός μου ἵατρός, παρὰ σοῦ λαβὼν ἐκ παιδὸς τὴν χάριν τοῦ θαύματος. Σὺ δὲ τεχθεὶς ἐκ τῆς Παρθένου Μαρίας, ως ἡθέλησας, καὶ ως σὺ μόνος ἐπίστασαι,

<sup>PG  
10, 1182</sup> Homilia IV. [...] *Ego a te baptizari debo, et tu venis ad me?*<sup>6</sup> <sup>1601</sup> Ego natus, matris quae me peperit, sterilitatem solvi; et infans cum adhuc essem, taciturnitati patris mei medicinam adhibui, a te puer miraculi gratiam accipiens. Tu vero, ex Maria natus Virgine,

<sup>1</sup> CCL XCVII, 812.

<sup>2</sup> Ps. CIX, 1.

<sup>3</sup> Matth. I, 25.

<sup>4</sup> CCL XCVII, 1157.

<sup>5</sup> Exstat inter op. dubia S. Gregorii Thaumat., sed *haud dubie* est *Gregorii Antiocheni*. Eadem Homilia inventa est ab A. Mai (latine tantum exarata) qui eam vindicavit suo auctori, scilicet *Gregorio Antiocheno*. Cf. *Monitum* in PG 88, 1865, et Lau. 157, 169.

<sup>6</sup> Matth. III, 14.

● PL 70, 18, 39, 70, 78, 147, 160, 204, 248, 410, 417, 454, 467, 481, 506, 515, 541, 549, 584, 589, 616, 622, 695, 746, 792, 793, 796, 798, 816, 882, 899, 941, 983.

Et genitrix partu, nec mulier coitu.  
 Foedere erat coniux, sed corpore non erat uxor:  
 Intemerata viro, mater erat puer.

## S. COELESTINUS I PP. († 432)

FRAGMENTUM<sup>1</sup>

PL 50, 457 1. Recordor beatae memoriae Ambrosium in die Natalis Domini 1058

nostri Iesu Christi omnem populum fecisse una voce Deo canere:  
*Veni, Redemptor gentium, ostende partum Virginis: miretur omne saeculum, talis decet partus Deum.* Numquid dixit: *Talis partus decet hominem?* Ergo sensus fratris nostri Cyrilli, in hoc quod dicit Θεοτόκος Mariam, valde concordat, *Talis decet partus Deum.* Deum partu suo Virgo effudit, ipso potente qui omnipotentia plenus est.

2. Hilarius quoque vir acris ingenii, scribens ad Constantium imperatorem, de Incarnatione Domini sic ait: *Filius, inquit, Dei factus homo Deus est.* Et praeposterans repetit: *Deus, filius hominis factus est (homo enim factus est Deus, non Deus factus est homo), et filius hominis factus est Filius Dei.* Superavit enim magnitudo Domini parvitatem servilis formae, ita ut ipsa servilis forma quam assumpsit cessaret esse servilis per eum Dominum qui eam assumpsit. Si enim qui

\* 458 \* natura non filii Dei, per ipsum efficiuntur filii Dei; quanto magis ipse qui natura Filius Dei est, hunc cum quo voluntate sua alvo virginali conceptus et natus est, ita sublimavit in Deum, ut in eius nomine omne genu flectatur, coelestium et terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloria est Dei Patris.<sup>2</sup>

3. Item praecessor meus Damasus scribens ad Paulinum Antiochenae Ecclesiae episcopum, inter caetera ait: *Anathematizamus eos qui duos filios Dei asserunt, alterum qui ex Patre ante saecula est genitus, et alterum qui ex assumptione carnis natus est ex Virgine.* Item ipse apostolicae memoriae vir Damasus in altera epistola ad Paulinum: *Anathematizamus eos qui duos in Salvatore filios confidentur, alium ante incarnationem, et alium post assumptionem carnis ex Virgine, et non eumdem Dei Filium et ante et postea ipsum esse Christum Dominum Dei Filium qui natus est ex Virgine, confidentur.*

- PL 61, 409, 649, 654, 677. PLS III, 1134, 1139, 1140, 1243.
- PL 61, 739.
- VICTORINUS poëta († saec. v?). PLS III, 1135.
- Ps.-VICTORINUS, PLS III, 1189, 1140.

<sup>1</sup> Fragmentum sermonis quem Coelestinus in Concilio Romano habuit aduersus haeresim Nestorii [Epistola X], insertum ab Arnobio I. in op. *Conflietus*. Vide n. 1311.

<sup>2</sup> Philipp. II, 10.

ΕΠΙΣΤΟΛΑ XII<sup>1</sup>

- 1059** 1. [...] "Οθεν πάνυ συντετάρακται ἡμῶν τὰ σπλάγχνα, ὅτι οὗτος, ὃστις δοκεῖ κατέχειν τὴν ἐκκλησίαν Κωνσταντινουπόλεως, τοῖς καθωσιωμένοις τοῦ Χριστοῦ δήμοις διεστραμμένα τινὰ ἔχχει, ὑπεναντία τῆς τιμῆς καὶ αἰδοῦς τοῦ τοκετοῦ τῆς ἀγίας παρθένου, καὶ ὑπεναντία τῆς ἐλπίδος τῆς ἡμετέρας σωτηρίας. Ταῦτα εἰσῆγθεν ὑποβαλλούσης τῆς ἀλγηδόνος τῶν πιστῶν, ἢ ἐγνωρίσθη διὰ τῶν βιβλίων, ἀπερ αὐτὸς ἔπειμψε καὶ ὅπερ μείζονος ἀποδείξεως ἦν, πεμφθεισῶν ἐπιστολῶν πρὸς ἡμᾶς, ὑπογραφῇ αὐτοῦ τοῦ αὐθέντου ὡχυρωμένων, ὡς ἀμφιδιληθῆναι παρ' ἑτέρων μὴ ἔξδν εἶναι.
2. "Οθεν ἐπειδὴ ὑπὲρ τοιούτων αἰτιῶν οὐκ ἔστιν ἀσφαλῆς ἡ μακροτέρα παρενθύμησις· τοιοῦτον γάρ ἔστι σχεδὸν ἔγκλημα παρενθύμεῖσθαι τὰ τοιαῦτα, ὅποιόν ἔστι μῆσος τοιαῦτα ιερόσυλα λέγειν· καὶ τὸν ἐπίσκοπον Νεστόριον, καὶ εἴ τις ἀλλος αὐτῷ ἀκολουθήσας τοιαῦτα λέγει, ἀπὸ τῆς ἡμετέρας κοινωνίας ἀποχωρίζομεν, ἔως οὖ δι' ἐγγράφου ὁμολογίας πεμφθείσης, τὴν διαστροφὴν, ἢν ἥρξατο διδάσκειν, κατακρίνη, καὶ ταύτην ἔσαυτὸν περὶ τοῦ παρθενικοῦ τόκου, τούτεστι περὶ τῆς σωτηρίας τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους, τὴν πίστιν ὁμολογήσῃ κατέχειν, ἢν τινα κατὰ τὴν ἀποστολικὴν διδασκαλίαν ἡ Ῥωμαίων καὶ ἡ Ἀλεξανδρέων, καὶ ἡ καθολικὴ πανταχοῦ ἐκκλησία κατέχει, προσκυνήσῃ τε καὶ ὁμολογήσῃ. Εἴ τις δὲ ἡ ἀπὸ Νεστορίου, ἡ ἀπὸ

- 1059** 1. [...] Vehementer contristata sunt nostra viscera, quod is qui Constantinopolitanam obtinere videtur Ecclesiam, devotissimis Christo populis perversa quaedam contra reverentiam virginei partus et contra spem nostrae salutis infundit. Haec ad nos ingerente dolore fidelium pervenerunt, haec libris quos ipse miserat publicata sunt; et, quod maioris probationis est, haec ad nos missis epistolis ipsa auctoris subscriptione munitis ita insinuata sunt ut dubitari ultra non liceat.

2. Unde quoniam in talibus causis non est tuta longior connivenitia, quia tantumdem pene criminis est connivere a talibus quanti sceleris est tam sacrilega praedicare, et episcopum Nestorium et si quis alias eum secutus haec praedicat, a nostra communione secrevimus, quamdiu scriptura professionis emissa perversitatem quam cooperat docere condemnet, et hanc de virgineo partu, id est de humani generis salute, fidem asserat se tenere, quam secundum apostolicam doctrinam Romana et Alexandrina et catholica universalis Ecclesia tenet et veneratur et praedicat. S: quis vero aut ab episcopo

<sup>1</sup> Ad Episcopos orientales.

τῶν ἄλλων αὐτῷ ἐξακολουθησάντων, ἀφ' οὗ τὰ τοιαῦτα ἡρξατο λαλεῖν, ἡ ἀκοινώνητος ἐγένετο, ἡ ἐγυμνώθη τῆς τοῦ ιερέως ἀξίας, ἡ τῆς τοῦ κληροικοῦ, τοῦτον ἐν τῇ ἡμετέρᾳ κοινωνίᾳ καὶ μεμενηκέναι, καὶ μένειν εἰς τὸ ἑξῆς ὥμολόγηται· καὶ οὐδὲ λέγομεν αὐτὸν ἀποκεινῆσθαι· ἐπειδήπερ οὐδὲ ἡδύνατό τινα ἡ τούτου ἀπόφασις ἀποκινεῖν, ὅστις ἔαυτὸν παρέσχεν ἡδη ἀποκινητέον.

Nestorio, aut ab iis qui eum sequuntur, ex quo talia praedicare coeperunt, vel excommunicatus, vel exutus est seu antistitis, seu clericorum dignitate, hunc in nostra communione et durasse, et durare manifestum est; nec iudicamus remotum: quia non poterat quemquam eius removere sententia, qui se iam praebuerat ipse removendum.

### JOANNES CASSIANUS (ca 360 † 430/435)

#### DE INCARNATIONE CHRISTI (429/430)

PL  
50, 31  
\*32  
\*35

1060

Lib. II, cap. II. Dicis itaque, quisquis es ille haeretice, qui Deum \* ex Virgine natum negas, Mariam matrem Domini nostri Iesu Christi Θεοτόκον, id est, matrem Dei, appellari non posse, sed Χριστοτόκον, hoc est, Christi tantum matrem, non Dei; nemo enim, inquis, \* anti-quiorem se parit. Ac de hoc quidem tam stulto argumento, quo nativitatem Dei carnali intelligentia aestimandam putas, et mysterium maiestatis humanis credis censemendum esse rationibus, postea, si Deus annuet, disputabimus; nunc interim et Christum Deum, et Mariam matrem Dei divinis testibus approbemus. Audi itaque loquentem ad pastores de Dei ortu angelum Dei: *Natus est*, inquit, *vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.*<sup>1</sup> Ne solum utique in Christo hominem intelligeres, et Domini tibi et Salvatoris nomen adiecit, scilicet ut quem Salvatorem esse cognosceres, Deum nequaquam esse dubitares; et cum salvandi virtus non nisi divinae competenter potestati, divinae esse eum potentiae non ambigeres, in quo potentiam salvandi esse didicisses. Sed hoc incredulitati tuae parum fortasse videatur, quia cum angelus Dominum potius et Salvatorem quam Deum aut Dei Filium nominavit, eum utique impiissime Deum neges quem Salvatorem esse fatearis. Audi quoque archangelum Gabrielem Mariae virginis praedicantem: *Spiritus*, inquit, *sanctus veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideo et quod nascetur in te sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>2</sup> Vides quem-

• PL 50, 438-618 continet tabulas Coelestini I PP., Xisti III PP., necnon monumenta Concilii Ephesini de Nestorii haeresi.

<sup>1</sup> Lc. II, 11.

<sup>2</sup> Lc. I, 35.

νος τὸν Ἐμμανουὴλ, κατὰ μὲν τὴν θεότητα τῷ Πατρὶ ὅμοούσιον, \* κατὰ δὲ τὴν ἀνθρωπότητα τὸν αὐτὸν ἡμῖν ὅμοούσιον. Ἐπεὶ πῶς ἀν λεχθείη ῥάβδος ἐκ τῆς βίζης Ἰεσσαί; πῶς δὲ σπέρματος Ἀβραάμ; πῶς δὲ υἱὸς Δαυΐδ; Πῶς δ' ἀν νοηθείη τό· «Ἐξ αὐτῶν κατὰ σάρκα Χριστός, δ' ἀν ἐπὶ πάντων Θεός»; τὸ δὲ τοῦ θεοπεσίου Παύλου πῶς ἀν ἐκλάδωμεν· «Περὶ τοῦ Γίοῦ αὐτοῦ, τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαυΐδ κατὰ σάρκα, τοῦ δρισθέντος Γίοῦ τοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει κατὰ Πνεῦμα ἀγιωσύνης, ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν; »Ετεκεν οὖν ἡ ἄγια Μαρία τὸν Ἐμμανουὴλ, κατὰ μὲν τὴν θεότητα, καθὰ προειρήκαμεν, ὅμοούσιον τῷ Πατρί, κατὰ δὲ τὴν ἀνθρωπότητα ἡμῖν ὅμοούσιον· κατὰ μὲν τὴν θεότητα, ἀπαθῆ, κατὰ δὲ τὴν ἀνθρωπότητα, παθητόν.

enim [Maria igitur] Emmanuelem nobis peperit, secundum divinam quidem \* naturam Patri consubstantialem, secundum humanam vero eudem nobis consubstantialem. Nam quomodo alias virga de radice Iesse diei posset?<sup>1</sup> Quomodo de semine Abraham?<sup>2</sup> Quomodo filius David?<sup>3</sup> Quomodo intelligeretur illud: *Ex quibus Christus secundum carnem qui est super omnia Deus?*<sup>4</sup> Et illud rursum beati Pauli quomodo interpretabimur: *De Filio suo, qui factus est ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri?*<sup>5</sup> Peperit itaque sacra Virgo [sancta Maria] Emmanuelem, Patri quidem, ut modo diximus, secundum divinitatem, nobis vero secundum humanitatem consubstantialem: eudem secundum divinam naturam impatibilem, secundum humanam patibilem.

\*1439

Collectio EUSEBII Gallicani<sup>6</sup> (saec. V)SERMO II<sup>7</sup>

1408 De Nativitate Domini. [...] Sed libet ipsam nativitatis dominicæ dignitatem propius intueri. Ecce itaque absque ullius seminis incremento, de intacta ac rudi terra foecundum germen ascendit, et de radice mortali vitae arbor efflорuit: et salutifera propago nullo plan-

PLS III, 550

<sup>1</sup> Isa. XI, 1.<sup>2</sup> Hebr. II, 16.<sup>3</sup> Matth. I, 1.<sup>4</sup> Rom. IX, 5.<sup>5</sup> Rom. I, 3-4.<sup>6</sup> De Collectione hac, quae ex genuinis sermonibus Fausti Reiensis confecta videtur, cf. PLS III, 537, 545, 546.<sup>7</sup> M. B. P., 6, Lyon, 1677.

tante processit. Obstupescit natura rerum, virgo procreat sobolem, nullum procreandae sobolis experta consortem, et venienti in vitam homini per unius confertur mysterium munus duorum. Creator ex creatura sua nascitur, et fructus ventris sui mater innupta miratur, ac foemina auctoris sui auctor efficitur. Quid primum mirer, quidve postremum: quod \* sine conceptu est collata foecunditas, an quod per partum magis est glorificata virginitas? Sed non mirum si ita peperit: talis erat ille cui nupserat. Ait enim Angelus stupenti Mariae: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.*<sup>1</sup> Ecce praebitura Deo nascenti corporis sui habitaculum, prius mente efficitur Dei templum. Subsequitur Evangelista dicens: *Et beata quae credidit.*<sup>2</sup> Videamus ergo an simplicem nobis hominem nasci indiceat ordo ipse nascendi. Filius virgini ab Angelo promittitur, a Spiritu sancto donatur, et quasi vere Deus credendo concipitur. Non ergo usquequaque miremur, si is qui fidei semine acquiritur, salva materni pudoris fide inviolabiliter procreatur. Itaque ad Evangelium recurramus: miraculum illud quod Evangelista protulit tempore resurrectionis, digne mihi usurpem etiam tempore nativitatis, cum Ioanne dicendo: *Venit Iesus ianuis clausis, et stetit in medio.*<sup>3</sup> Ecce iam nunc ianuis clausis processit in mundum, materni pudoris signaculo minime resignato: simulque illud impletur propheticum Ezechielis oraculum: *et porta erat clausa et non est aperta, quia Dominus transivit per eam.*<sup>4</sup> Eadem nunc potentia mundi istius ianuam per partum inviolatae matris intravit, qua postmodum ad discipulos clausis foribus penetravit. Quid hic rationem quaerimus? Quid intellectum fatigamus humanum? *Generationem eius quis enarrabit?*<sup>5</sup> Quid novitatem stupeamus, ubi cernimus maiestatem? Miramur Dominum nostrum absque ullius viri semine intra virginea viscera hominem consummasse, quem scimus coeli terraeque immensitatem ex nihilo condidisse. Quis ei illum initium, quis praebuit incrementum, quando ipsa rerum initia atque incrementa faciebat, quando vere quasi Dominus rerum, iubebat esse quae non erant? Quaeramus in conditione universae fabricae, quo seminario usus sit: *ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt.*<sup>6</sup> Itaque nulla obsequitur materia: substantia operis sola fuit potentia conditoris. Secundum hanc ergo potentiam credamus Dominum nostrum absque ullo sexus initio ex sola foemina virum creas-

<sup>1</sup> Lc. I, 35.

<sup>2</sup> Lc. I. 45.

<sup>3</sup> Io. XX, 26.

<sup>4</sup> Ezech. XLIV, 1.

<sup>5</sup> Isa. LIII, 8.

<sup>6</sup> Ps. CXLVIII, 5.

se, quem scimus inter ipsa initia generis humani ex solo viro foemina condidisse. Recedat ergo omnis infidelitas. Agnosce, o vere beata Maria, gloriam tuam: illam, inquam, gloriam quam tibi vel angelus nuntiavit, vel Ioannes per os Elizabeth matris adhuc de secreto uteri prophetavit. *Benedicta itaque tu inter mulieres, et \*benedictus fructus venteris tui: et unde mihi hoc ut veniat mater Domini ad me?*<sup>1</sup> Exulta, mater salutis humanae: ecce Domini mei universo mundo per tanta retro saecula promissum prima suspicere mereris adventum: habitaculum immensae maiestatis efficeris: spem terrarum, decus saeculorum, commune omnium gaudium, peculiari munere novem mensibus sola possides: initiator omnium rerum abs te initiatur: et profundendum pro mundi vita sanguinem de corpore tuo accepit: ac de te sumpsit, quod etiam pro te solvat. A peccati enim veteris nexu per se non est immunis, nec ipsa genitrix redemptoris. Solus ille licet ex debito renascatur, lege tamen veteris debiti non tenetur: parum tamen tibi cum caeteris commune matribus est: medicum enim dolorum nostrorum sine dolore paris: sanatorem depravati saeculi atque corrupti, sine ulla pudoris corruptione progeneras. Nec enim decebat ut qui ad hoc venerat ut violata in integrum restitueret, aliquid de materna integritate violaret. Ecce uno partu tuo, universorum nascitur vita saeculorum: profers in lucem lucis parentem: et Salvatorem hominum, angelorum patrem vocare mereris filium tuum. Hie est ille etiam ab initio quasi Deus, signis et prodigiis demonstratus, in patriarchis praetentus, prophetarum vocibus nunciatus. Hie est ille qui sub nubilo legis coruscans, Scripturarum omnium claves in se et aperiens et claudens ac Testamenti veteris umbras adventus sui luce discutiens, verbum caro factum, venit in mundum, non deposita, sed seposita maiestate: perfectus Deus et verus homo, unus Christus: non alter ex Patre, alter ex virginе: sed aliter ex Patre, aliter ex virginе: inde divina, hinc humana substantia: duplex natura, sed tamen Dei et hominis una persona: ita coniunctus Deus homini, sicut anima corpori.

SERMO IX.<sup>2</sup>

1409 De Symbolo. [...] Iesus Christus Filius Hominis, ipse est *qui conceptus est de Spiritu sancto*, sicut Evangelista ad Beatam Mariam dicit: *Spiritus, inquit, superveniet in te.*<sup>3</sup> Quid mirum si non est violata

PLS  
III, 581

<sup>1</sup> Lc. I, 42-43.

<sup>2</sup> M. B. P. 6.

<sup>3</sup> Lc. I, 35.

partu, quae magis est sanctificata conceptu? Aut quid incredibile, si Christus ex virgine, id est, integritas de integritate processit? *Natus est ex Maria Virgine*: non enim nasci decebat ex corruptione virtutem.

SERMO X<sup>1</sup>

<sup>PLS</sup>  
<sup>III, 588</sup> De Symbolo. [...] Tam puros nos esse concedit ex fonte, qualis ipse ad nos venit ex virgine. Dilata, Domine, ac benedie sub instantे regenerationis tempore sacrae sinus parentis. Dic, Domine, Ecclesiae tuae, quod dixisti per Angelum matri tuae: *Spiritus, inquit, sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.*<sup>2</sup> Iterum mater de Spiritu sancto concipiat, item virgo parturiat: iterum homo Dei Filius efficiatur: iterum virginitas foecundetur.

[*Hic deest aliquid*]

Ac virgineam nativitatem quam exerceri in membris videt, in capite praecessisse non dubitet.

SERMO XXI<sup>3</sup>

<sup>PLS</sup>  
<sup>III, 596</sup> De Pascha. [...] *Cum esset sero, inquit, die una sabbatorum, et fores essent clausae ubi erant discipuli congregati, venit Iesus, et stetit in medio.*<sup>4</sup> Per obserata itaque ostia sacrum Dominici hominis corpus inlapsum, et exposita terra consuetudinis fragilitate, clausis ianuis influxit defoecata et glorificata substantia. Nihil novum est in virtutibus Christi. Hic est ille, qui inter ipsa adoranda nativitatis saera primordia, ad nos inviolato maternaе integritatis signaculo, natura stupente, processit: nec mirum si innuptae sinus matris non resoverat natus, quos magis probatur sanctificasse conceptus.

SERMO XXXIII<sup>5</sup>

<sup>PLS</sup>  
<sup>III, 631</sup> De Trinitate generalis. [...] Ipse ad regenerandas animas steriles benedit aquas, ipse sacri fontis irriguum illa, qua dudum Mariam locupletavit, virtute foecundat. Castos Ecclesiae sinus maritat, nubit integritas puritati, ut ad similitudinem virginis genitricis etiam Ecclesia matris fructu donanda, sine sexu de sanctificatione concipiat, et

<sup>1</sup> M. B. P. 6.

<sup>2</sup> Lc. I, 35.

<sup>3</sup> Sermo retractatus in Caesarii serm. 206 (cf. PLS III, 547; M. B. P. 6).

<sup>4</sup> Io. XX, 19.

<sup>5</sup> M. B. P. 6.

sine corruptione parturiat, et regenerata pignora in filios Dei foelici mancipatione transcribat. Quomodo haec operari posset, nisi Deus esset?

SERMO XLVIII<sup>1</sup>

**1413** Exhortatio de Deo Trino et Uno... [...] Nos autem Christum Dominium Deum pariter et hominem solida confessione teneamus. Filiū Dei in extrema parte saeculorum de innupta matre fide maritante progenitum, ex voluntate humiliatum, non ex necessitate diminutum superveniente in virgine sancto Spiritu hominem Deo mirabiliter impletum, et Deum in hominem misericorditer commutatum. Nec exinanisse gloriae magnitudinem sed per susceptam servi conditionem Domini ostendisse pietatem, qui se Deum etiam ex ipsa nativitatis novitate demonstrat. Ecce veniente ad terras Domino, nihil ex intacta matre violatur, et filius intra matrem natura ignorante\* perficitur: ex Deo homo infusione divinitatis impletur, et ex homine Deus nascitur: et ipse sui auctor corporalem nativitatem spiritualiter conceptus operatur, generationem acquirit foecunditas, cuius originem nescit integritas. Audivimus praesentis lectionis oraculo. *Ecce virgo in utero accipiet,*<sup>2</sup> id est, a foris initium non suscipit, et fructum intus acquirit. *Ecce virgo,* id est, nullum quaerit iugali societate commercium, nihilque ei de pignore confertur per corpus alienum. Inspiciamus itaque in beata Maria causas pudoris illaes: de foris accedere corruptio solet, in hac autem nil violatur intrinsecus. Sed quomodo, inquis, potuit virgo esse post filium? Hoc utique modo quia honor virginitatis per generantem non per nascentem resolvitur. Hic ergo quia corruptionis iniuria non fuit in conceptu, ideo integritas perseveravit in partu. Nemo virgini nato filio calumnietur, gloria tantae parentis quam caelestis puer non praeripit dum concipitur, non potuit violare dum nascitur.

PLS  
III, 648

\*649

SERMO LXXVI<sup>3</sup>

**1414** De B. Virginis conceptione. Fragmentum. Nihil autem ex matre violare potuit natus, qui etiam violatam naturam venerat reparare nascendo. Conceptus ergo est de Spiritu sancto. Vides, quia concipientis dignitas, parientis integritas est: honorem matris quem non abstulit, dum concipitur, non aufert dum nascitur: pudorem feminae

PLS  
III, 697<sup>1</sup> M. B. P., 6.<sup>2</sup> Matth. I, 23.<sup>3</sup> M. B. P., 6.

genitus non solvit filius, quem ignoratus non violavit maritus. Non ergo contra fidem tuam venias, nec dicas, quomodo hoc fieri potuit? Qui te credere in omnipotentem prima confessione testatus es? In operibus Dei sollicito quamlibet homini, magis admiratio se potest offerre, quam ratio. Dicimus quidem novum esse, ac singulare, de terra corporis virginalis sacrum prodire germen sine cultore potuisse? Sed si bene intendamus, praebet nobis aliqua similia de semetipso ordo pariter, ac status mundi. Ut quod de foecunditate virginis in fide credimus, ex aliquo etiam in rerum specie videre possimus. Dic mihi, quis intra naturam mortui lapidis materiam, vivi ignis abscondit, aut unde frigidae venaे algentis metalli, flammarum semina conciperent? Quanta se aspectibus ingerunt, quae in sensibus fidem nutriant! Ecce post arduae hyemis sterilitatem, quando veris eum amoenus induit \* vultus; quando facies mundi deposita senectute iuvenescit; quando per novi aëris gratiam constrictus relaxatur orbis, quando caelum terris clementia adridente blanditur, quando nubet tepore creatura rerum: quis gravidum foetibus maritat annum? Quis castum arbori subiiciet fructum? Videas partum, ubi non potes invenire conceptum: et inter haec aliquanti incorruptibilem de corruptione nasci debuisse pronuntiant! Ecce quantae res corruptibles sine corruptione nascuntur! Quis intra oculum pupillam, quasi intra virginem matrem vim lucis inclusit? Quantas deforis species intra se concipiunt lumina, et tamen inviolata videbuntur, nisi affectu peccante violentur; remove vitium, incorrupta erit casta virginitas. Ea ergo virtute protulit hominem Deus ex inviolato virginis sinu, qua eum, si velit; sine macula oculi nasci iussisset ex oculo: sed fortassis dicas esse non posse filium unius parentis, quia adquisitio filii munus duorum est. Qui calumniatur, quare sine patre susceptus est unicus matri: calumniatur etiam, quare sine matre natus est unigenitus Patri. Illa animi pro potentia et virtute ex sola femina virum protulit, qua inter rerum principia ex solo feminam procreavit. Nam si altius nascentis mundi repetamus exordia, primus homo de rudi producitur terra; secundus de viri costa, et modo hic de matre casta. Vides istud in Christi nativitate miraculum, non iam primum esse, sed tertium. Illam, inquam, potentiam et virtutem, quae cum stupore nostro, per sacram matrem Mariam, nostram salutem operata est, quae caeli immensitatem, non artificis manu, sed efficaci tetendit imperio, quae cotidie velocissimo soli praeceperit, fervido, et consistente curriculo, ac impigro motu incomprehensibilem circuli verticem transvolare, quae cotidie, soli, inquam, fulgado, iubar praeceperit consummatum, et post se tractum diem trans oras mundi demergere, ac per vasta et inania

tenebrarum magno cotidie sui ambitu atque circuitu regionem lumen ac noctis includere: quantae res humanae praetenderetis oculis nostris vestri admirationem, nisi a vobis usus frequentior raperet miraculi dignitatem. Credo et in Spiritum sanctum: vides quia sicut Patri et Filio, ita Spiritui sancto defertur credulitatis privilegium.

### DRACONTIUS, BLOSSIUS AEMILIUS (saec. V)

#### CARMEN DE DEO

- 1415** Lib. II. [...] Qui nasci dignatus homo, membratur in artus  
 Sanguine femineo concretus spiritus almus,  
 Fitque Deus post templa poli sub carne, figura  
 Passibilis, mortalis homo sine fine perennis:  
 Et tenuis per cuncta vapor, iam mollior ignis  
 Irrepsit, tenerumque parat per viscera corpus.  
 Induitur compage Deus, structura ligatur  
 Ossibus, et nervis, pinguescunt intro medullae,  
 Hinc eruor, hinc humor, solidatur musculus omnis,  
 Et caro plasmatur. Quid sanctus Spiritus illuc  
 Egerit, ipse potens novit, qui cuncta creavit;  
 Qualiter aure Deus, verbo fetante marito,  
 Virgineos intrasse sinus dignatur, et alvum,  
 Terrarum, coelique capax, atque ignis anheli,  
 \* Aëris, et pelagi, sed non capiendus ab isdem,  
 Claustra puerperii passus sub lege creandi,  
 Vel quaecunque subit diversi temporis aetas.  
**1416** Tempora mutantur, te nunquam saecula mutant,  
 Qualem prima dies, talem simul ultima noscet.  
 Cum te non caperent coeli, terraeque, fretumque,  
 Aëris et spatium, modico te corde reponis  
 \* Pectoris humani, conceptus mente fideli.

PL  
60, 778

\*779

PL  
60, 818

\*819

- PLS III, 556, 610, 611, 618, 619, 642, 700.
- IUVENALIS HIEROSOLYMITANUS († 458). Vide locum, Iuvenali attributum, sub titulo «Incertus Auctor».

## CORIPPUS FLAVIUS CRESCONIUS (saec. VI)

## IN LAUDEM IUSTINI

**1655** [...] Virgo creatoris genetrix sanctissima mundi,  
excelsi regina poli, specialiter una  
vera parens et virgo manens, sine semine patris  
quam Deus elegit matrem sibi, credula Verbum  
concipiens nostram genuisti feta salutem.  
O pietas miranda Dei dictaque tremenda!  
Caelorum factor Dominus Deus, unica patris  
forma Dei, verae sese velamine carnis  
\* induit et servi formam de virgine sumpsit.  
Quos tibi, quos genito dignos solvemus honores  
pro tantis, benedicta, bonis? Te, gloria matrum,  
auxiliumque imploro tuum.

PLS  
IV, 1148

\*1149

## LITURGIA GALLO-ROMANA

## MISSALE GOTHICUM SEU GOTHICO-GALLO-ROMANUM (saec. VI/VII)

**1656** Lib. III. Generosae diei dominicae Genitricis inexplicabile sacra-  
mentum, tanto magis praeconabile, quantum est inter homines Assum-  
ptione Virginis singulare: apud quem vitae integritas obtinuit Filium,  
et mors non invenit par exemplum: nec minus ingerens stuporem de  
transitu, quam exultationem ferens unico beata de partu. Non solum  
mirabilis pignore, quod fide concepit; sed translatione praedicabilis,  
qua migravit. Speciali tripudio, affectu multimodo, fideli voto, fra-  
tres dilectissimi, corde deprecemur attento, ut eius adiuti muniamur  
suffragio, quae foecunda Virgo, beata de partu, clara de merito,  
felix praedicatur abscessu: obsecrantis misericordiam Redemptoris  
nostrri, ut circumstantem plebem illuc dignetur introducere, quo bea-  
tam matrem Mariam, famulantibus apostolis, transtulit ad honorem.

PL  
72, 244

**1657** Dignum et iustum est, omnipotens Deus, nos tibi magnas merito  
gratias agere, tempore celeberrimo, die prae ceteris honorando. Quo  
fidelis Israël egressus est de Aegypto, quo Virgo Dei Genitrix de

PL  
72, 245

- PLS IV, 1137.
- LEANDER Ep. Hispalensis († 600), PLS IV, 1425, 1426, 1443.
- APRINGIUS (saec. vi), PLS IV, 1242.
- POËTAE MEROVINGICI, PLS IV, 1468, 1469, 1472.

## S. CYPRIANUS (ca 210 † 258)

DE IDOLORUM VANITATE<sup>1</sup>PL  
4, 599

XI. [...] Huius igitur gratiae disciplinaeque arbiter et magister Sermo et Filius Dei mittitur, qui per prophetas omnes retro illuminator et doctor humani generis praedicabatur. Hic est virtus Dei, hic ratio, hic sapientia eius et gloria. Hic in virginem illabitur, carnem Spiritus sanctus induit, Deus cum homine miscetur. Hic Deus noster, hic Christus est, qui mediator duorum, hominem induit, quem perducat ad Patrem. Quod homo est esse Christus voluit, ut et homo possit esse quod Christus est.

169

## S. FELIX I PP. et M. († 274)

FRAGMENTUM<sup>2</sup>

## AD MAXIMUM EP. ET CLERUM ALEXANDRINUM

PL  
5, 144

Περὶ δὲ τῆς σαρκώσεως τοῦ Λόγου καὶ τῆς πίστεως, πιστεύομεν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν, τὸν ἐκ τῆς παρθένου Μαρίας γενηθέντα, ὃντι αὐτός ἐστιν ὁ τοῦ Θεοῦ ἀπόιος Γίδης καὶ Λόγος, καὶ οὐκ ἀνθρωπος ὑπὸ Θεοῦ ἀναληφθεὶς, ἀλλὰ ἐξεῖνον οὐδὲ γάρ ἀνθρωπον ἀνέλαβεν ὁ τοῦ Θεοῦ Γίδης, ἵνα ἢ ἔτερος παρ’ αὐτόν· ἀλλά, Θεὸς ὁν τέλειος, γέγονεν ἄμα καὶ τέλειος ἀνθρωπος, σαρκωθεὶς ἐκ παρθένου.

170

## ACTA MARTYRUM (saec. III)

PG  
10, 565

IV. [...] Σαδινιανὸς εἶπεν· Ἐγὼ πάντοτε ταπεινοφροσύνην ἐδιδάχθην παρὰ τῆς ἀγίας παρθένου Χρυσῆς, ἥτις καὶ ἐδίδαξέν με καθομολογεῖν ἔνα

171

PL  
5, 143

De Verbi autem incarnatione et fide, credimus in Dominum nostrum Iesum Christum ex virgine Maria natum, quod ipse est semipiternus Dei filius et Verbum, non autem homo a Deo assensus, ut alius sit ab illo. Neque enim hominem assumpsit Dei Filius, ut alius ab eo exsistat: sed cum perfectus Deus esset, factus est simul et homo perfectus, ex virgine incarnatus.

170

PG  
10, 566

IV. [...] Sabinianus dixit: Ego vero semper humilitatem doctus sum a sancta Aura quae me docuit confiteri Dominum meum Iesum

171

<sup>1</sup> Viri docti attribuunt scriptum hoc Cypriano, Novatiano vel Pontio (cf. PLS I, 47). Genuinitatem vindicavit SIMONETTI (Clavis 57; Qua I, 595).

● S. GREGORIUS THAUMATURGUS († ca 270). Vide aliquot locos, sub titulo *Incertus Auctor*, Gregorio attributos.

● PL 3, 1158. PL 4, 248.

● MALCHIO ANTIOCHENUS (saec. III): PG 10, 259.

<sup>2</sup> Sunt qui censem fragmentum hoc confectum esse ab Apollinaris sectatoribus (cf. PLS I, 73).

animum. Quamobrem omnes simul accurramus, senes et adolescentes, aetate graves et iuniores, omne agmen et genus praevenientes ad honorandum dominam nostram ac nostrae naturae reginam, laudibus praedicantes puritatis eius decorum, perpetuam eius virginitatem reverentes: altitudinem denique sanctitatis eius honrantes, dicamus: O gloria filiarum, matrum deus! O genitricem viro incognitam! O virginem filio gravidam! O miraculum, quo missi a Deo prophetae perculti sunt, et cuius gloria angelos sanctos superat! Propitia sis servorum tuorum, qui auxilium tuum implorant, deprecationibus. Intercede pro nobis apud Filium tuum Deumque tuum, uti peccata nostra condonet, infirmitati nostrae opituletur, liberet a Pharaone spirituali, sicut liberavit Israëlitas a gurgite, transire nos faciat huius mundi mare fluctibus furens, ventis abundans, requiem nobis praestet ab opere laterum et luti intellectualis, nosque tandem liberet ab crudelibus alienigenis, qui graves adversum nos inimicitias exercent, ut peccata et impietas \* ipsorum agamus. O tu Maria, cuius non repellitur intercessio, nec recusatur oratio, quae simplici divinitati proxima es, propius ad Trinitatem sanetam accedens, quae altitudine cherubicis turmis sublimior es, et seraphicis agminibus excelsior: per te quamdiu in hoc pereunte mundo manebimus, auxilium ad bona opera facienda consequamur, liberemurque ab actibus seeleratis, et post nostrum inde transitum, ad Deum excelsum sempiternumque \* perveniamus, ad voluntatem regni coelorum, et commorationem regionis vivorum, perennem vitam agentes, quam purgatae mentes desiderant, per Iesum Christum, qui causa est opulentiae nostrae, quam ipse nobis annuntiavit, cum nos salvos fecit: ipsi glorificatio et sanctitas, cum Patre et Spiritu sancto, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

\*647

\*648

LIBER DE SIMILITUDINE CARNIS PECCATI<sup>1</sup>

2071 [... Magi] ubi Hierosolimam venerunt, iuxta sensum saeculi incunabula regis parvuli ab Herode rege velut a pueri parente perquirunt; quo non in palatio, non in augustis penetralibus invento — adeo velabatur salutis nostrae sub despectione maiestas — Bethleem ire praecepsi sunt, ubi in gremio Mariae regium puerum Deus fulgenti stella velut digito monstravit [...] \* Advenit [Christus]

ETD  
130

\*131

<sup>1</sup> Morin attribuit hunc librum *Paciano Barcinonensi* († ante 392); hoc idem affirmat L. Tria. J. Madoz et P. Courcelle eum attribuunt *Eutropio* (saec. v ineunte) presbytero aquitano vel hyspano. Cf. Al 382-383.

● ETD 146.

ut legimus, ignobiliter, advenit obscure, adeo ut Ioseph, qui pater interim putabatur, quod deferret in censum praeter virginem et uterum virginis nihil haberet. O si et nostra talis professio tenetur in saeculo! Conservaremus plane in corde nostro universa quae Dominus aut dixit aut gessit, sicut illo tempore Ioseph Mariaque faciebant.

### SERMO DE INCARNATIONE DOMINI<sup>1</sup>

<sup>SR</sup>  
<sup>IX,</sup> <sup>22</sup> [...] Ἐπειδὴ τὸν πρῶτον ἀνθρωπὸν τὸν Ἀδὰμ δολεροῖς ρήμασιν ἡπάτη- 2072  
σεν ὁ διάβολος ὄντα ἐν τῷ παραδείσῳ διὰ τῆς γυναικός, διὰ τοῦτο ὁ κύριος  
πρῶτον \*ἐνφυισεν ἐν τῇ παρθένῳ, καὶ ἐσαρκώθη ἐξ αὐτῆς καὶ προῆλθεν ὡς  
ἡθέλησεν, ἵνα πρῶτον τὴν Εὔαν ἐκ τῆς κατάρας ἐλευθερώσῃ, καὶ πᾶν τῶν  
γυναικῶν γένος λύσῃ τοῦ ἐγκλήματος· εἰ μὴ γάρ οὗτος ἐκ τῆς παρθένου ἐγεν-  
νήθη, ἀπεγνωσμένον ἦν τὸ τῶν γυναικῶν γένος· ὅτε δὲ ἐγεννήθη ὁ κύριος ἐκ  
τῆς παρθένου, λοιπὸν καὶ Πέρσαι οἱ τὸ πρὸν μητέρας γαμοῦντες, νῦν παρθε-  
νίαν φυλάττουσιν· κόραι εὐτελεῖς καὶ παιδεῖς νέοι, ἐν θερμῇ ἡλικίᾳ ὑπάρχον-  
τες, τὸν καύσωνα τῆς ἐπιθυμίας καταπατοῦσιν· καὶ τότε γάρ ισχυρὰ γέγονεν  
ἡ παρθενία, ἐξ ὅτε τὸ ἀμάραντον ῥόδον Ἰησοῦς Χριστὸς ἐκ τῆς παρθένου  
προῆλθεν.

Ἐστὶν δὲ καὶ ἡ δευτέρα· εἰ μὴ ἐσαρκώθη ἐκ τῆς παρθένου, καὶ ἐκάλυψεν  
τὴν θεότητα σαρκί, οὐχ ὑφίστατο οἰκουμένη φέρειν τὴν θέαν τὴν ἐξαστρά-  
πτουσαν τῆς θεότητος.

<sup>SR</sup>  
<sup>IX,</sup> <sup>22</sup> [...] Quia diabolus dolosis per mulierem verbis deceperat pri- 2072  
\*23 mum hominem Adamum in paradiſo degentem, \*idecirco sibi ha-  
bitaculum Dominus in virgine de legit, et in ipsa incarnatus, atque  
eo quo voluit modo natus est, ut in primis Evam maledictione li-  
beraret, cunctumque mulierum genus criminē illo expediret. Nisi  
enim ipse de virgine natus fuisset, actum erat de sexu muliebri.  
Postquam autem de virgine Dominus ortus est, iam Persae quoque,  
qui antea matribus miscebantur, nunc servant virginitatem: puellae  
humiles, puerique adolescentes, in aetatis fervore, concupiscentiae  
vim domant. Tunc enim valida evasit virginitas, quum intemerata  
rosa Christus Iesus processit de virgine.

Verumtamen aliam quoque causam in medium adferam. Nisi  
Deus ex virgine prodiisset incarnatus, deitatemque corpore vela-  
visset, mundus quidem conspectum eius deitate fulgentem non sus-  
tinuisset.

<sup>1</sup> Sermo Ps.-Eusebii Ep. Alexandrini, sc. cuiusdam *Anonymi* saec. iv vel v.

tenebrarum magno cotidie sui ambitu atque circuitu regionem lumen ac noctis includere: quantae res humanae praetenderetis oculis nostris vestri admirationem, nisi a vobis usus frequentior raperet miraculi dignitatem. Credo et in Spiritum sanctum: vides quia sicut Patri et Filio, ita Spiritui sancto defertur credulitatis privilegium.

### DRACONTIUS, BLOSSIUS AEMILIUS (saec. V)

#### CARMEN DE DEO

- 1415 Lib. II. [...] Qui nasci dignatus homo, membratur in artus  
 Sanguine femineo concretus spiritus almus,  
 Fitque Deus post templa poli sub carne, figura  
 Passibilis, mortalis homo sine fine perennis:  
 Et tenuis per cuncta vapor, iam mollior ignis  
 Irrepsit, tenerumque parat per viscera corpus.  
 Induitur compage Deus, structura ligatur  
 Ossibus, et nervis, pinguescunt intro medullae,  
 Hinc eruor, hinc humor, solidatur musculus omnis,  
 Et caro plasmatur. Quid sanctus Spiritus illuc  
 Egerit, ipse potens novit, qui cuncta creavit;  
 Qualiter aure Deus, verbo fetante marito,  
 Virgineos intrasse sinus dignatur, et alvum,  
 Terrarum, coelique capax, atque ignis anheli,  
 \* Aëris, et pelagi, sed non capiendus ab isdem,  
 Claustra puerperii passus sub lege creandi,  
 Vel quaecunque subit diversi temporis aetas.  
 PL 60, 778
- 1416 Tempora mutantur, te nunquam saecula mutant,  
 Qualem prima dies, talem simul ultima noscet.  
 Cum te non caperent coeli, terraeque, fretumque,  
 Aëris et spatium, modico te corde reponis  
 \* Pectoris humani, conceptus mente fideli.  
 PL 60, 818
- \*779
- \*819

- PLS III, 556, 610, 611, 618, 619, 642, 700.
- IUVENALIS HIEROSOLYMITANUS († 458). Vide locum, Iuvenali attributum, sub titulo «Incertus Auctor».

consecrat; ipse delibet procedendo de Virgine; ipse gaudii poenitentiae pomum susceptum ab Ecclesia, Angelis transmittat ad coelum.

PLS  
I, 963

Lib. IX. ... [anima Christi] in se verum Deum, veramque carnem adunatam, unam personam ostendit. Quae missa in corpus, cum corpore egressa, intactum uterum Virginis derelinquens, nec ante se, nec post se habendo consortem nascendi, unica effecta est Virginis matris. Quae mammae lactigeras porrigo iure dicitur mater.

1403

PLS  
I, 1027

Lib. XII. [...] Considerabam (inquit) ad dexteram, et videbam, et non erat qui agnosceret me. Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam.<sup>1</sup> Et hic tantus, cui lux, sidera, et omnia elementa inseruiunt, ut nos humilitatem doceret, quae de terris caenoque peccati ad coelum et perpetuam laetitiam sublimat, quasi peregrinus et advena, qui a nullo nisi a sola matre cognosceretur, in terris conversatus cum hominibus fuisse docetur. Nam si Ioseph virum matris, qui propter custodiam Virginis nomen patris sortitus est, interroges, in tantum se testatur nescire, unde genus sanguinis trahat hic, qui \* fugere commonetur, ut cum eum in utero Virginis praesensisset, nisi ab Angelo fuisse edoctus, dimittere et prolongare eam in secreto mentis tractaret. Sola ergo mater, nullo teste masculo, novit genus, Gabriele Angelo exponente eam spiritu maritatam.

1404

\*1028

## ENARRATIO PSEUDO-ATHANASIANA (saec. V)

### IN SYMBOLUM APOSTOLORUM

PLS  
I, 788

[...] Ex Maria Virgine. Honor materni sexus incorruptae Virginitatis professione monstratur, ne divisus esset homo et Deus; quamvis habens utriusque status plenitudinem crederetur. Sed quamvis homo nasceretur ex Maria, Dei tamen virtus probaretur ex Virgine; ut et fides generis maneret in carne, et potentia maiestatis apparet in incorruptione.

1405

<sup>1</sup> Ps. CXLI, 5.

<sup>2</sup> Cf. PLS I, 785 ss.

● PHILO CARPASIUS (saec. V), PG 40, 108.

● PLS I, 855, 922, 923, 935, 962, 981, 987, 988, 994, 1000, 1015, 1025.

## S. ENNODIUS MAGNUS FELIX (473/474 †521)

## CARMINA

## HYMNUS X. DE S. MARIA

PL  
63, 332

1479

Lib. II, XIX. Ut virginem fetam loquar  
 Quid laude dignum Mariae?  
 Det partus, ornet, exigat  
 Quod clausa porta, quod patens  
 Exposcit, ipsa suggerat.  
 Sint verba ceu miraculum.  
 Quid mens requiras ordinem?  
 Natura totum perdidit.  
 Hoc est salus, quod vincimur.  
 Cum sola virgo degeret,  
 Concepit aure filium:  
 Stupente factum corpore,  
 Turgescit alvus spiritu.  
 Quod lingua iecit semen est,  
 In carne Verbum stringitur.  
 De matre cunctus noster est,  
 De Patre nil distans Deus:  
 Utrisque partus integer,  
 \*Quae gignit et qui praecipit.  
 Nil maior ille servulis,  
 Sed nec minor creante fit.  
 Fons dicta clausus accipit,  
 Fons membra clausus egerit:  
 Nec rima cessit arctior,  
 Et vera proles emicat.  
 Dic, mater et virgo, precor,  
 Quisquamne claudit exiens?  
 Arctantur exta fetibus,  
 Vinclum pudoris natus est.

\*333

## EPIPHANIUS Latinus (saec. V-VI)

## INTERPRETATIO EVANGELIORUM

- <sup>PLS</sup>  
<sup>III, 836</sup> II. *Exsurgens autem Ioseph a somno, sicut praeceperit ei angelus Domini, accepit coniugem suam et non cognovit eam, donec peperit filium.*<sup>1</sup> **1454** Sic dixisse putatur, quasi post partum eam cognoverit, quia dixit *donec*. Sed quicumque sanae mentis sunt, sic retinere non debent, ut potuissest Ioseph vir iustus, qui et visiones angelorum videbat et, quod faceret, ab angelis discere videbatur, Mariam contingere.
- <sup>PLS</sup>  
<sup>III, 850</sup> XIX. [...] Eva non tantum poma sed peccatum et mortem concupivit, quam dedit viro suo, ut et ipse concupiscentiam mortis manducaret et dominaretur ei omnis iniquitas. Et quantum facilis est mulier ad concupiscendum, tantum facilior est ad peccandum, sicut ait Sapientia: *Inveni virum unum de mille; mulierem autem non inveni.*<sup>2</sup> Et vir quidem non est inventus in praevericatione, mulier autem inventa est. Quid ergo? Exclusae sunt? Si Mariam sequuntur, salvae sunt. Eva peccando totum mundum replevit. Maria abstinendo se a peccatis caelos replevit. Eva poenas et Gehennam adquisivit et Maria regna caelorum.
- <sup>PLS</sup>  
<sup>III, 900</sup> XXVIII. [...] O sancta virginitas, quae inaestimabile praemium et incomparabilem suscipis laudem! Christum imitata es: Christus te sibi similem facit. Sanctam Mariam virginem secuta es: cum Maria etiam matre Domini inveniris. Virginitas Christum peperit: virginitatem Christus remunerat. O virginitas, cuius laudem exhibit angelorum exercitus, quia mundus indignus est. O sancta virginitas, quae virgo parturis et semper virgo es. Virginitas fidem peperit: fides per baptismum parturit virginitatem.

## FULGENTIUS Mythographus (saec. V-VI)

## DE AETATE MUNDI

- <sup>PLS</sup>  
<sup>III, 1402</sup> XII. Nova saeculi aetas intervenit nostris libellis desiderabiliter exoptanda, cuius adventu radiante lustrati, suavia Christi nascentis crepundia libro currente narrentur necesse est, quippe ex quo et lux refulsit in tenebris, gloria in excelsis, pax in caelis<sup>3</sup> et letitia exorta

<sup>1</sup> Matth. I, 24-25.<sup>2</sup> Eccle. VII, 29.<sup>3</sup> Le. XIX, 38.

spectu mulieris quae paritura erat, ut cum peperisset, natum eius comederet.<sup>1</sup> Draconem diabolum esse, nullus vestrum ignorat. Mulierem illam virginem Mariam significasse, quae caput nostrum integrum peperit, quae etiam ipsa figuram in se sanctae Ecclesiae demonstravit: ut quo modo filium pariens virgo permansit, ita et haec omni tempore membra eius pariat, virginitatem non amittat.

**1295** Cap. IV. [...] Quis enim non expavescat, cum audit Deum natum? Audis nascentem, vide in ipso ortu miracula facientem. Alvus tumescit virginis, claustrum pudoris permanet: impletur uterus matris sine ullo complexu patris, sentit prolem quae se ignorabat coniugem. Angelus ad virginem loquitur, a virgine cor praeparatur, Christus fide concipitur. Miraris haec? Adhuc mirare. Parit mater et virgo, feta et intacta: nascitur filius sine homine patre, qui fecit et ipsam matrem. Factor omnium fit inter omnia: portatur manibus matris rector totius orbis: lambit ubera, regens sidera: tacet, et Verbum est. [...]

PL  
40, 663

**1296** Gaudete, virgines sanctae, virgo peperit Christum. Non vos constriet sterilitas, quarum fides magna est fecunditas; nec doleatis non vos esse matres, quae spiritualiter generatis, virgines permanentis, filios suscipitis, integritatem non amittitis. Accepistis ab illo nomen maternum, ut decus castitatis in vos permaneat sempiternum. Amate quod estis, servate quod accepistis. Imitamini fideles matrem capitum vestri, sponsi vestri: non vobis denegavit pignora, qui natus est de virginе Maria. Quod tantae matri contulit, et in sua carne servavit, hoc etiam vobis donavit virgo mater, saneta caro Christi, ab omni contagione integra.

PL  
40, 664

### S. EUCHERIUS Lugdunensis († 449/455)

#### LIBER FORMULARUM SPIRITALIS INTELLIGENTIAE

**1297** Cap. IV. [...] Rubus, \* ut quidam opinantur, Mariae virginis praefiguratio: eo quod quasi de humani corporis rubo, Salvatorem tamquam rosam emiserit; aut quod vim divini fulgoris, sine viri assumptione pertulerit. In Exodo: *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, et ridebat quod rubus arderet, et non combureretur.*<sup>2</sup>

PL  
50, 746  
\*747

#### INSTRUCTIONES

**1298** Lib. I. [...] *Mater Sion dicet homo, et homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus,*<sup>3</sup> quid hie sequemur?

PL  
50, 791

<sup>1</sup> Apoc. XII, 4.

<sup>2</sup> Exod. III, 2.

<sup>3</sup> Ps. LXXXVI, 5.

Mater Sion, ut quidam volunt, Maria significatur, in qua natus est homo Christus, ipsius quoque matris creator.

<sup>PL 50, 796</sup> Quomodo accipiendum est quod Dominus Iesus Christus *David filius*<sup>1</sup> dicitur, enim utique natus non sit ex Ioseph, qui ex David stirpe descendit?

In coniugium tunc Iudaei secundum legem de consanguinitate proximas assumebant. Nec dubitandum est quod haec ratione etiam Maria ex eadem tribu veniens, sicut Ioseph ex David stirpe descendit, immo processerit. Ideo autem per generationem Ioseph origo Mariae significatur quia consuetudo Scripturarum est, virorum potius quam feminarum seriem in generatione contexere. Cuius Mariae quia *cognata*, sicut legitur, fuit *Elizabeth*,<sup>2</sup> quae fuisse scribitur *de filiabus Aaron*,<sup>3</sup> manifestissimum est, quod in Christo secundum carnem ex utroque genere convenerit, regum scilicet sacerdotumque successio.

<sup>PL 50, 797</sup> Quare in Evangelio *Maria Ioseph coniux dicitur*?<sup>4</sup> 1300  
Consuetudo est Scripturae, ut etiam sponsas appellent uxores.

<sup>PL 50, 813</sup> Lib. II, cap. I. [...] Maria, illuminata, sive stella maris: sed sermone Syro, domina. 1301

## ARNOBIUS Iunior († post 455)

### CONFLICTUS<sup>5</sup>

<sup>PL 53, 242</sup> Lib. I, cap. III. [...] *Arnobius dixit*: Deum Iudaei sic praedicant solum, ut negent Filium eius; negent simul cum eo unum esse, qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine. — *Serapion dixit*: Iste qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, ipse unus an est alius? — *Arnobius dixit*: In Deitate unus, in generatione vero sic est alius, ut Deus unus esse non ccesset Pater et Filius. Deus enim tune vere unus creditur, et integra in eo Divinitas non negatur.

<sup>PL 53, 272</sup> Cap. XVIII. [...] Quicumque ergo negat Deum esse in Christo, id est, in homine, hic Antichristus est.<sup>6</sup> [...] Similiter qui duos filios

<sup>1</sup> Matth. I, 1.

<sup>2</sup> Lc. I, 36.

<sup>3</sup> Lc. I, 5.

<sup>4</sup> Matth. I, 20.

<sup>5</sup> Arnobii Catholici et Serapionis CONFLICTUS de Deo Trino et Uno: de duabus in Christo substantiis in unitate personae; de gratiae et liberi arbitrii concordia.

<sup>6</sup> I Io. II, 22.

• PL 50, 734.

ausus dicere ipsum sibi et Patrem esse, et Filium, et Spiritum sanctum; excisus est quia dicere non dubitarit, quod etiam ipse Pater in utero Virginis incarnatus sit, et fuerit passus. Sic Marcionem excisum proiecit, qui noluerit Dei Filium hominem suscepisse confiteri de utero Virginis, et per hoc hominem factum.

#### DE NON PARCENDO IN DEUM DELINQUENTIBUS

- 240 [...] Clarum est, Constanti, te esse antichristi portantem spiritum, te spiritu agi erroris. Sicut enim qui dixerunt, non suscepisse hominem de utero beatae Virginis unicum Filium Dei qui non illum crediderunt incarnatum, hominem factum, habere erroris astruantur spiritum, et antichristi nuncupantur, sic et vos Ariani cum unicum Dei Filium natum vere de Patre negatis, hoc est, de substantia Patris, verum illum esse Filium cum despuitis et semper illum cum Patre regnasse, numquam Filium fuisse sine Patre, neque Patrem sine Filio cum credere detrectatis, cum unam habere Patrem, et unicum Filium eius deitatem negatis, cuius vos spiritu esse plenos manifestatis, nisi antichristi? PL 13, 987

#### S. EUSEBIUS Vercellensis († 371)

##### DE TRINITATE<sup>1</sup>

- 241 Lib. III. [...] Nunquidnam homo Deum assumpsit, et non Deus hominem? Deus utique hominem, non homo Deum assumpsit: nam etsi assumpsit de Maria Virgine, non quod semper ante assumptionem hominis una cum Patre fuit amisit, sed neque deitas eius in homine augmentum aut detrimentum ullum sustinuit, cum talis in homine fuerit praesenti tempore, qualis et in sinu Patris semper ante assumptionem hominis una cum Patre fuisse cognoscitur. Sed e diverso dicas mihi: Quemadmodum hominem Deus assumpsit? Ignoras Isaiam prophetasse: *Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabis nomen eius Emmanuel; quod interpretatur Nobiscum Deus.*<sup>2</sup> Sed et Apostolus haec confirmat dicens formam Dei, formam servi suscepisse.<sup>3</sup>

Quapropter nobiscum Deus?

● FAUSTINUS PRESBYTER (saec. IV): PL 13, 51, 60, 67, 71; CCL LXIX, 312, 332, 335, 339.

<sup>1</sup> Libri 1-8 sunt Eusebii Vercellensis (cf. PLS III, 1258).

<sup>2</sup> Isa. VII, 14.

<sup>3</sup> Philip. II, 7.

Quid aliud intelligitur quam quod Deus verus hominem verum de Maria Virgine pro salute assumpserit nostra? Quae tamen Maria ex tribu Iuda semen traxit David.<sup>1</sup>

<sup>PL</sup>  
<sup>62, 257</sup> Interrogabo et te, Photine, qui Christum verum Deum abnegas, 242 et hominem purum tantummodo confiteris. Nunquid nam causa hominis cantum invenitur: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil?*<sup>2</sup> Nunquid homo in hoc principio fuit, homousionista? Et non Deus Dei Filius ante omne omnino principium semper una cum Patre fuit? Sane hunc hominem nuper de Maria Virgine assumpsit.<sup>3</sup>

<sup>PL</sup>  
<sup>62, 258</sup> *Ante Abraham ego sum;*<sup>4</sup> sive hoc: *Pater, clarifica me apud te met ipsum claritate quam habui antequam mundus hic esset.*<sup>5</sup> Utique sic dicit qui hunc hominem nuper assumpsit de Maria Virgine. Unde assumptus homo, Filius David, sive filius Abrahae esse ab evangelista praedicatur, dum et Deus qui assumpsit hominem secundum divinitatem sit, et filius David secundum dispensationem filius hominis sit, dum et Deus de Deo sit, et secundum carnem homo filius hominis sit; dum et Deus et homo sit, et homo sine Deo non sit, et Deus solitarius sine homine quem assumpsit non sit.<sup>6</sup>

<sup>PL</sup>  
<sup>26, 258</sup> Respondete mihi, Manichaei, filii tenebrarum, in quos tot genera serpentium lubricos habent anfractus: Filium Dei, id est Deum verum, hominem verum de Maria Virgine pro nostra salute non confitemini, ut scriptum est: *Ecce Virgo in utero concipiet et pariet filium, et vocabis nomen eius Emmanuel, quod interpretatur Nobiscum Deus;*<sup>7</sup> si phantasia tibi videtur angelum Gabrielem Mariae testificasse, dicentem: *Ne timeas, Maria, invenisti enim \* gratiam ante Deum. Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum;*<sup>8</sup> vel evangelista ad haec testante: *Et peperit filium primogenitum, et pannis eum involvit, et posuit eum in praesepio;*<sup>9</sup> si phantasia tibi videtur, quid concepit vel peperit, aut quid pannis involvit et in praeseppe posuit?<sup>10</sup>

<sup>1</sup> CCL IX, 36-37.

<sup>2</sup> Io. I, 1.

<sup>3</sup> CCL IX, 42.

<sup>4</sup> Io. VIII, 58.

<sup>5</sup> Io. XVII, 5.

<sup>6</sup> CCL IX, 45.

<sup>7</sup> Isa. VII, 14.

<sup>8</sup> Lc. I, 30.

<sup>9</sup> Lc. II, 7.

<sup>10</sup> CCL IX, 46.

- 245 Lib. IV. [...] Et cur nomina in personis tantum distinguantur, PL  
accipe. Nunquid Pater, qui inenarrabiliter genuit Filium, ipse et 62, 267  
Filius potest dici? Numquid Pater hominem de Maria Virgine as-  
sumpsit? Nunquid Pater natus, aut incarnatus, aut passus est?  
Absit a nobis, Sabelli haeretice, ne hanc blasphemiam admittamus.  
Dum hic verus Filius Dei, vere incomparabiliter natus fuerit de  
Patre, et pro nostra salute denuo dignatus fuerit assumere homi-  
nem de Maria Virgine.<sup>1</sup>
- 246 Lib. VI. [...] Maledictus qui immortalem divinitatem Filli Dei PL  
esse non confitetur. Fiat, fiat. Maledictus qui de sempiterno Filio 62, 279  
Dei dicit: Non erat antequam de Maria nasceretur. Fiat, fiat.<sup>2</sup>
- 247 [...] Maledictus qui Filium Dei, Deum verum, hominem de Ma- PL  
ria Virgine nuper assumpsisse pro nostra salute non confitetur.<sup>3</sup> 62, 279
- 248 [...] Vae vobis qui Filium Dei de Maria Virgine nihil assumpsisse PL  
creditis. Fiat, fiat.<sup>4</sup> 62, 280
- 249 [...] Si quis confitetur Filium Dei sicut aquam per fistulam, sic PL  
per corpus Mariae transitum fecisse, aut nihil de ea assumpsisse 62, 281  
affirmet, anathema illi.<sup>5</sup>
- 250 Lib. X. [...] Commixtio quidem sive concretio naturae mutatio est: PL  
mutatio naturae translationem facit; et translatio perdit quod erat,  
et incipit esse quod non erat. Hoc nativitas Christi non habet, Ga-  
briele angelo testante, quem interrogatum de Mariae possibilitate con-  
ceptus respondisse evangelista refert: *Spiritus sanctus superveniet in*  
*te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.*<sup>6</sup> Qui utique, nec in utroque  
dicto commixtionem, sed superventum Spiritus sancti, et obum-  
brationem Altissimi nominavit. Legis *Verbum caro factum est.*<sup>7</sup> Quo-  
modo autem sit factum mens utique nostra non attingit: quia quod  
credimus excedit mentem nostram: sed fide attingimus: et sic hoc  
modo totum tenemus fide, quod credimus: etsi mente non totum  
complectimur.<sup>8</sup>
- 251 Lib. XI. [...] Plenus utique homo assumptus Christus Iesus sa- PL  
pientia Dei Patris \* Filius est: nam ipsa sapientia aedificavit sibi 62, 303  
\*304

<sup>1</sup> CCL IX, 62, 63.

<sup>2</sup> CCL IX, 87.

<sup>3</sup> Ibid.

<sup>4</sup> CCL IX, 89.

<sup>5</sup> CCL IX, 90.

<sup>6</sup> Le. I, 35.

<sup>7</sup> Io. I, 14.

<sup>8</sup> Libri X-XII sunt tria varia opuscula *De fide Trinitatis*, temporum Am-  
brosii aequalia. M. SIMONETTI in «PLS III», 1258; CCL IX, 142.

templum humani corporis in Maria Virgine, Salomone dicente: *Sapientia aedificavit sibi domum.*<sup>1</sup>

### DE TRINITATE CONFESSIO<sup>2</sup>

<sup>PL</sup><sub>12, 965</sub> **XI.** [...] De his tribus personis solam Filii personam pro libera-  
tione humani generis hominem verum sine peccato de sancta et  
immaculata Maria Virgine credimus assumpsisse, de qua novo or-  
dine, novaque nativitate est genitus, quia intacta virginitas viri-  
lem coitum nescivit, et fecunda per Spiritum sanctum carnis mate-  
riam ministravit. Qui partus Virginis nec ratione colligitur, nec  
exemplo monstratur. Quod si ratione colligitur, non est mirabile.  
Si exemplo monstratur, non est singulare. Nec tamen Spiritus sanctus  
Pater esse credendus est Filii pro eo, quod Maria eodem Spiritu  
sancto obumbrata concepit, ne Patres Filii videamus asserere, quod  
nefas est dici. In quo mirabili conceptu aedicante sibi Sapientia  
domum, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.*<sup>3</sup>

<sup>PL</sup><sub>12, 965</sub> **XIII.** [...] Item cum unius substantiae credimus esse Patrem,  
et Filium, et Spiritum sanctum, non tamen dicimus, ut huius Tri-  
nitatis unitatem Maria Virgo genuerit, sed tantummodo Filium,  
qui solus naturam nostram in unitate suae personae assumpsit.

<sup>PL</sup><sub>12, 966</sub> **XIV.** Per hoc tamen, quod de Maria Virgine natus est, et pae-  
destinatus esse credendus est. Ambae tamen in illo generationes  
mirabiles, quia, et de Patre ante saecula sine matre genitus, et in  
fine saeculorum de matre sine patre est generatus. Quod tamen se-  
cundum quod est Deus creavit Mariam, secundum quod homo est  
creatus ex Maria, ipse Pater Mariae matris suae, et Filius.

### S. ATHANASIUS Alexandrinus (295 †373)

#### ORATIO DE INCARNATIONE VERBI (319)

<sup>PG</sup><sub>25, 109</sub> **8.** [...] Οὐ γάρ ἀπλῶς ἤθελησεν ἐν σώματι γενέσθαι, οὐδὲ μόνον ἤθελε  
φανῆναι· ἐδύνατο γάρ, εἰ μόνον ἤθελε φανῆναι, καὶ δι’ ἑτέρου κρείττονος  
τὴν θεοφάνειαν αὐτοῦ ποιήσασθαι· ἀλλὰ λαμβάνει τὸ ἡμέτερον, καὶ τοῦτο

<sup>PG</sup><sub>25, 110</sub> **8.** [...] Si Christus] tantum apparere voluisse, potuisset sane  
aliud praestantius corpus assumere; verum nostrum corpus accepit,  
idque non quoquomodo, sed ex inviolata et incorrupta ac viri ex-

<sup>1</sup> Prov. IX, 1; CCL IX, 156.

<sup>2</sup> De paternitate huius op. discrepant viri docti (cf. PLS I, 305-306)

<sup>3</sup> Io. I, 14.

● PL 62, 256, 282, 285, 286, 287, ■ 301, 302, 303. PL 20, 49, 301, 302,  
303. PL 12, 966.

quod dicit, ex muliere, monstrat non more solito ex conventu viri et feminae, sed per Spiritum sanctum, ex matre tantum Christum incarnationem hominis suscepisse. Nam idem Apostolus ad Corinthios scribens ait: Sicut mulier ex viro, ita et vir per mulierem. Unde sicut in principio generationis, mulier ex viro sumpta est: ita et Christus secundum carnem, ex matre tantum est. Omnis autem residua humana generatio non est ex muliere: secundum Apostoli dictum, sed per mulierem: ut clareat generatio hominum ex viro per mulierem creari.

### EUTROPIUS Presbyter (saec. IV-V)

#### EPISTOLA AD AMICUM AEGROTUM<sup>1</sup>

PL 39, 82

1388

VI. [...] *Et ponam inimicitias inter te et mulierem, et inter semen tuum et semen mulieris: Ipsa calcabit caput tuum, et tu eius observabis calcaneum.*<sup>2</sup> Nonne consideras: nonne conspicis, quod eidem tunc minabatur in Christo? Aliud enim semen mulieris nullum prorsus accipio, nisi illud quod Apostolus ait: *Factum ex muliere, factum ex carne.*<sup>3</sup> Illud quod, ut Evangelista ait, *Ioseph filius putabatur esse,*<sup>4</sup> sed non erat: illud utique, *quod Verbum caro factum est.*<sup>5</sup> Nam si generandi publicam istam et naturalem circumspicimus rationem, semina non habent mulieres: denique nulla concipit sine viro: ac per hoc quoniam iam tunc in Adam semen humanae generationis esset transgressione vitiatum, semen coeleste promittitur, ut Apostolus sentit, non ex corruptione viri, sed ex Deo: *quod \* cum caro fieret in muliere, etiam elementa illa corporeae substantiae, id est, humoris et sanguinis, in ipso sibi vaseculo, in quo ipsa elementa sita sunt, naturaliter aptaret.* Mater itaque Domini nostri Iesu Christi, in illa iam tunc muliere promissa est. Haec inimicitias opposita est serpentis: *Ponam, inquit, inimicitias inter te et mulierem:* non certe pono dicit, ne ad Evam hoc pertinere videretur. Verbum promissionis est, quod transmittitur in futura. Ponam, inquit, inimicitias inter te et mulierem. Illam utique mulierem, quae Salvatorem parturiat, non quae generet fraticidam. Ponam, inquit, inimicitias inter te et mulierem: id est, suscitabo mulierem, quae repudiata facilitate credendi, non

<sup>1</sup> Viri docti disputant de paternitate Epistolae huius. Est qui eam attribuit Eutropio (cf. PLS I, 527, 528; II, 264; III, 368; Clavis, 225).

<sup>2</sup> Gen. III, 15.

<sup>3</sup> Gal. IV, 4.

<sup>4</sup> Lc. III, 23.

<sup>5</sup> Io. I, 14.

• PLS I, 1076, 1100, 1175, 1215, 1231, 1684.

solum te non audiat, si aut suavitatem pomorum pro adaperione monstraveris oculorum, aut diis similem esse promiseris: sed etiam ipso Gabriele deferente verbum, rationem de promissionis exigat novitate, dicendo: *Quemadmodum erit istud, quoniam virum non cognovi?*<sup>1</sup> Illam utique, quam ad visionem angeli pudor aureus tremefecit: fidei tamen ardor et constantia, labi nesciam, ad inquirendam rationem reddidit audacem: et quae advenienti praestitit de pudore, quod tacuerit, haec promittenti de admiratione non cessit. Nam et sollicita de eo quod annuntiabatur, exquisivit. Denique et angelus non infidelitatem redarguit, ut in Zacharia: sed instituit de divinae operationis novitate, dicens: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.*<sup>2</sup> Ecce istud semen mulieris, quod non per traducem genitalium ministeriorum, commixtione sexus utriusque infunderetur in uterum, sed claustro clauso, indefloratae Virginis inveniretur in utero. Denique rem novam plenamque miraculi, novo verbo Propheta dum promittit, exsequitur: *Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium.*<sup>3</sup> Quotidie certe de procreandi necessitate mulierum conceptus et cernimus et audimus, de nulla tamen dicitur: «In utero concepit»: quoniam substantia futuri hominis, fusa per virum coalescit in femina: uterusque mulieris non principium est nascituri hominis, sed depositi nutrimentum. Mariam autem non tam prima quam sola in utero concepit, cuius pudoris illibatio conceptum uteri sine damno virginitatis expressit: quae sola nobis peperit, quod non accepit ex nobis, dicente Domino: *Vos de inferioribus estis, ego de superioribus sum.*<sup>4</sup> Quae sola mater est filio, cum virgo sit marito: cuius conceptionem ignorante virginitate, partus agnovit: quae sola mulier dicta est, non concipiendo, sed pariendo. Ex hac ergo semen promissum est mulieris, quo secundum hominem Dominus Deus noster est: qui non infusus est in utero, sed inventus, evangelista confirmante, cum dicit de Maria: *Inuenta est in utero habens.*<sup>5</sup> Ecce et ab ipso praecedente Prophetae sermone non deviat quod fuerat nuntiatum: *Virgo in utero concipiet;* sed in mysterii novitate, sermonis etiam parilitate concordat: eoque stylo facti historia designatur, quo faciendum \*denuntiat. Et propheta ait Isaias: *Virgo in utero concipiet:*<sup>6</sup> \*<sup>84</sup> Matthaeus refert: *Inventa est in utero habens.* Verbo ipso promissionis respondet effectus, quod non aliter loquitur evangelista quam

<sup>1</sup> Le. I, 34.

<sup>2</sup> Le. I, 35.

<sup>3</sup> Isa. VII, 14.

<sup>4</sup> Io. VIII, 23.

<sup>5</sup> Matth. I, 18.

<sup>6</sup> Isa. VII, 14.

vates, nec ad exprimendam operis novitatem inventae elocutionis difficultate confunditur. Ubi sunt grammatici? Ubi consiliarii? Quae istos, ut extra consuetudinem loquuntur, schola produxit? Quae tam aperte signatae novitatem monstravit doctrinae? Non indicant humano sensu, quoniam non opus humanum est quod loquuntur. Et tamen rem novam nec antea factam sic notant, ut intelligas cum mirabili opere, et mirabilem natum esse sermonem. Repetamus denique sanctas feminas patriarcharum, videamusque si sic de aliqua scriptum est. Legimus de Sara: *Et Dominus visitavit Saram, sicut dixit: et fecit Deus Sarae sicut locutus est ei, et concepit et peperit Abrahae filium.*<sup>1</sup> In Isaac divina benevolentia monstratur his verbis: *Et exaudivit illum Deus: et concepit Rebecca uxor eius.*<sup>2</sup> Denique et de Iacob uxoribus sic ponitur: *Et concepit Lia, et peperit filium Iacob,* etc.<sup>3</sup> De nulla certe harum scriptum est, in utero concepit: quae tamen quidquid concipiebant, extra uterum concipere non poterant: sed quoniam de conventu virili concipere se noverant, quibus non proveniebat salva virginitate conceptus. Sola vero Maria in utero concepit cum irreserato aditu seminali, clauso utero concepit: ad huius conceptionis semen si recte ratiocinabimur, et interius divina tractaverimus, praecessit in figura pro tempore illa sententia, quae primogenita benedictionibus, vel obligationibus obligavit, dicente Domino: *Omne masculinum quod aperit vulvam, sanctum Domino vocabitur.*<sup>4</sup> Quod est istud masculinum, quod aperit vulvam: cum omnium feminarum vulvas aperiat non puerperii necessitas, sed maritalis agnitus? Denique nulla virgo dicitur post maritum, quod nomen clausis videtur futuri mysteriis convenire. Et superius de Rachel Scripturam habere monstravimus: *Et exaudivit illam Deus, et aperuit eius vulvam, et concepit.*<sup>5</sup> Certe non prius dixit, concepit: et post, aperuit eius vulvam: sed prius, aperuit: videlicet, ut maritus apertis vulvae ianuis, velut seminaturus agrum paratum seminibus intraret. Denique subiungit, et concepit. Non itaque partu, sed conceptione, imo conceptio patefacta est: nec illam parturiendus dum nascitur, sed, qui parturiendum seminatus fuerat, designavit. Et si iam ante conceptum, quippe ut conciperet reserata est, non eam certe ille qui natus est diu post poterat reserare, dum dicitur, nasciturus: qui etiam concipi, dum esset illa clausa, non potuit. *Omne masculinum,* inquit, *quod aperuit vulvam, sanctum Domino vocabitur.*

<sup>1</sup> Gen. XXI, 1, 2.

<sup>2</sup> Gen. XXV, 21.

<sup>3</sup> Gen. XXX, 19.

<sup>4</sup> Exod. XIII, 1. Lc. II, 23.

<sup>5</sup> Gen. XXX, 22.

Quae est ista ratio, quae nec secundum sensum videtur impleta? Iacob primi locum fratris fraudulenter invadit, nec nascendi ordine prohibetur, nec dolositate damnatur. Ioseph filii per avum praeposteram secundum nascendi gradum benedictione signantur, nec caecitas errat futura prospicientis, \* nec monitor filius dexteram parentis, quae pinguioris benedictionis succo minorem irrigabat, inflexit. Quae utique omnia sunt contraria, si putamus de his dictum esse: *Omne masculinum, quod aperit vulvam*, qui de virili semine primi nascuntur ex feminis. Sed quoniam aliud interius habet illa sententia, ideo istiusmodi primitivi cedunt et benedictiones perdunt. Iesse filius David, non primus, aut secundus, aut tertius, sed omnium ultimus ungitur a Propheta, et despicabilior cunctis eligitur in regem. Nec illi primo aut secundo contra David sententia legis de primitivis promulgata blanditur, quia iudicasset utique maximos, si ab his matrum vulvas meminisset aperiri: quando hoc utique, aut in qua dicimus impletum, quod utique non poterat non impleri. Quae est ista, cuius vulvam foetus reserat, non maritus? Quae virgo concepit, quae non ut conciperet, virgo esse desiit? Non certe illa de qua Scriptura dicit: *Cognovit Adam uxorem suam, et peperit ei filium*;<sup>1</sup> sed illa de qua evangelista signat: *Et non cognovit eam Ioseph, donec peperit filium*.<sup>2</sup> Igitur in Maria hoc sine dubitatione perfectum est, cuius vulvam non deflorator virginitatis aperuit: sed partus effusus, quae virgo peperit, quae virgo concepit, quae prius mater facta est quam maritata. De hac istud masculinum, quod vere sanctum vocandum esset, exiit: quique vulvam secundum promissionem partus editus, non secundum consuetudinem naturamque communem, dum concipitur viri semine reseravit.

**1389** VII. [...] Propheta ait: *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt*.<sup>3</sup> Virga mater est Domini, ex qua baculus iste, fesso iam per aetatem mundo, qui eum sustentaret exiit. Illum ergo in Virginis uterum delapsum, ut redemptionis nostrae totam historiam retexamus, partu effectum hominem, se exhibuisse pro homine, et creaturam suam se de Creatore fecisse.

PL  
30, 86

<sup>1</sup> Gen. IV, 1.

<sup>2</sup> Matth. I, 25.

<sup>3</sup> Ps. XXII, 4.

## EVAGRIUS Monachus (saec. V)

ALTERCATIO INTER THEOPHILUM CHRISTIANUM ET SIMONEM IUDAENUM<sup>1</sup>

PL 20, 1170 Th. [...]. Aut numquid et de nativitate eius audebit disputare? 143  
 cum idem propheta: *Factum verbum Domini*, inquit, *ad Achaz: Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.* Et dixit Achaz: *Non petam, et non tentabo Dominum.* Et ait: *Audite nunc, domus David: Non pusillum vobis certamen erit cum hominibus; et ideo vos praestabitis certamen cum hominibus, quoniam Dominus Deus dabit vobis signum: Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel;* quod interpretatur, *Nobiscum Deus.*<sup>2</sup>

\*1171 Sim. — Ego prophetis credo. Praeterea Isaiam receptissimum accipio; sed aliam virginem dixisse arbitror. Cum enim Salmanassar rex Assyriorum duecum suum misisset ad Hierusalem exprobrare Deum vivum; tunc Isaias prophetavit adversus Salmanassar regem dicens: *Sprevit te, subsannavit te, virgo filia Sion. Caput suum movet adversum te, filia Hierusalem.*<sup>3</sup> Quando et angelus de \* castris Assyriorum centum octoginta millia percussit, in hoc fuit nobiscum Deus.

Th. — Erras, Iudaee: nondum removes incredulitatem. Si ergo filiam Hierusalem dicis; quem filium peperit? Vel quis butyrum et mel manducavit? Aut quis infans fuit qui priusquam cognosceret patrem aut matrem, spolia Samariae detraxit? Aut quem filium de semine David aluit? Isaias enim dixit: *Ecce Virgo in utero accipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel. Butyrum et mel comedet: priusquam cognoscat vocare patrem vel matrem, accipiet virtutem Damasci, et spolia Samariae contra regem Assyriorum*<sup>4</sup> [...].

Sim. — Bene quidem per omnia patefacis mysteria. Et quia Christum et Dei Filium ore Dei prolatum verbo genitum, et ex Virgine natum probasti. Quomodo ergo ex semine David in Bethlehem civitatem natum asseveras?

Th. — Auctorem Isaiam dabo: *Exiit virga de radice Jesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescat super eum Spiritus Domini.*<sup>5</sup> Virga enim Maria virgo fuit, quae ex semine David processit, ex qua

<sup>1</sup> Quantum ad Evagrium atque ad opus ei attributum pertinet, discrepant viri docti (cf. PLS I, 1095; ALTANER, 481). Clavis (482) authenticum iudicat.

<sup>2</sup> Isa. VII, 10-14.

<sup>3</sup> Isa. XXXVII, 22.

<sup>4</sup> Isa. VII, 14, 15; VIII, 4.

<sup>5</sup> Isa. XI, 1, 2.

Christus flos patriarcharum secundum carnem nascitur. Deus enim qui in Numeris signum fecit, ut asina loqueretur, multum maius signum facere voluit, ut Christus ex virgine nasceretur. Aut quid mihi et tibi esset certamen, nisi ut Virgo peperisset?

*Sim.* — Credo Virginem, ut dicis, potuisse de Spiritu concipere. Agitur, si virgo potuit parere.

*Th.* — Incredule! Saxum Deus potuit rumpere, et aquam insitientem producere; quanto magis Deus iubere potuit ut virgo partum ederet! Adhuc \* tibi dieo aliud testimonium, si tamen credas Baruch, Neri filium, qui in Babylonem prophetavit. \*1172

Age nunc, intellige racemum illum in Numeris,<sup>1</sup> quem in terra repromotionis duo vectantes reportabant: quod utique figura fuit Christi pendentis in ligno. Adveniens de terra repromotionis, id est de Maria, quae ex genere terreno fuit. 1175

## VITALIS ET CONSTANTIUS<sup>2</sup> Hispani (saec. V)

### EPISTOLA AD S. CAPREOLUM EP. CARTHAGINENSEM

1435

[...] Sunt hic quidam qui dicunt non debere dici Deum natum. Nam et haec est fides eorum, hominem purum natum fuisse de Maria virgine, et post haec Deum habitasse in eo. Quorum nos humiles pueri tui resistimus affirmationi, non ita debere dici: sed confitemur, ut ait evangelista, annuntiante angelo Gabriele Mariae dicente: *Spiritus sanctus veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>3</sup>

PL  
53, 848

II. Confitemur itaque Deum fuisse in utero Mariae virginis, assumpsisse aliquam partem, fabricasse Deum sibi hominem, natum fuisse Deum verum et hominem verum quem assumpsit pro salute generis humani, ut ait Apostolus: *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.*<sup>4</sup>

<sup>1</sup> Num. XIII, 24.

<sup>2</sup> Constantius vel potius *Tonantius* (Clavis 398).

<sup>3</sup> Lc. I, 35.

<sup>4</sup> Gal. IV, 4.

● PL 20, 1178.

● PL 53, 764, 765, 766, 785, 829, 850, 851.

rationem inquirit his se adloquitur verbis angelici nominis: « Vultus veros video et quae promittit impleri non dubito. Tamen *quomodo fiet istud quae virum non cognosco.*<sup>1</sup> Mater vocabor et virgo sum. Ero feta quae neendum sum maritata. » Et angelus ad Mariam. « Noli virgo, noli futura Dei mater et virgo mortalium considerare naturas. Ingens hoc arcanum est et caeleste consilium. Qui de te nasciturus est ipse te fecit. Noli, inquam, divinis rebus aliquid aequare terrenum, non te matrem viri facit accessus, sed *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.*<sup>2</sup>

PLS III, 1419 Sermo 6. [...] Solius enim Domini et beati Ioannis dies nativitatis in universo mundo caelebratur. Illum enim sterilis peperit, istum virgo concepit. In Elisabet sterilitas vincitur, in beata Maria conceptionis consuetudo mutatur. Elisabet virum cognoscendo filium genuit, Maria angelo credidit et concepit. Hominem concepit Elisabet, hominem Maria, sed Elisabet solum hominem; Maria Deum et hominem. Mira res est. Quomodo potuerit concipere creatura creatorem? Quid ergo intellegendum est, carissimi, nisi quia ipse sibi fecit carnem de sola matre qui fecit primum hominem sine patre et matre? Primus ille noster casus fuit quando femina per quam mortui sumus in corde concepit venena serpentis. Persuasit enim serpens peccatum et admissus est mala suadens. Si primus casus noster fuit cum femina concepit corde venena serpentis, non mirandum est quia salus nostra facta est cum femina concepit in utero carnem Omnipotentis, et quia uterque sexus ceciderat, uterque erat postea commendandus. Per mulierem missi sumus in interitu, per feminam accepimus indulgentiam peccatorum.

1626

### FACUNDUS Hermianensis (saec. vi)

#### PRO DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM (546/548)

PL 67, 530 Lib. I, cap. I. [...] Illud etiam quod beatam Mariam \* vere et proprie matrem Dei esse dixisti, in eadem synodi allocutione<sup>3</sup> invenimus esse firmatum, ubi dictum est: « Verum non latuit indormitabilem oculum naturae communis inimicus, sed tanquam lumina ria confestim Patres nostros, his quos tenebrarum pervaserat error, ostendit; qui cunctis reserarent intelligentiam fidei, et incarnationis

1627

<sup>1</sup> Lc. I, 34.

<sup>2</sup> Lc. I, 35.

<sup>3</sup> Loquitur ad Iustinianum Imperatorem de Synodo Chalcedonensi.

diligenter beneficia praedicarent: quomodo dispensationis sacramentum sit ab initio ex vulva dispositum; quomodo et Dei genitrix sit virgo vocitata propter eum qui virginitatem eius dignatus est etiam sacrare post partum, vulvamque, ut decebat Deum, integritate signare; quomodo secundum veritatem mater Dei dicta sit propter carnem, quam ex se omnium Domino ministravit ». Ecce et hoc ostensum est, quoniam eadem sancta synodus docuit quod illa virgo Dei genitrix secundum veritatem vocata sit, propter carnem quam ex se omnium Domino ministravit. Nec interest utrum secundum veritatem, id est, vere Dei mater vocetur; an vere et proprie, sicut ipse confessus es. Nam quod Ioannes apostolus dicit verum Dei Filium, ipsum Paulus proprium dicit. Sic enim scribit: *Scimus quoniam Dei Filius venit, et dedit nobis intellectum, ut sciamus quod est verum et simus in vero Filio eius Iesu Christo.*<sup>1</sup> Hie autem scribens Romanis ait: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam Filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*<sup>2</sup> Non igitur est aliud quod Dominum nostrum Iesum Christum Ioannes verum Dei Filium vocat, quam quod eum proprium Dei Filium Paulus appellat. Et ideo non aliud putandum est etiam quod sancta Chalcedonensis synodus beatam Mariam vere matrem Dei esse confessa est, quam quod eam ipse confessus es vere et proprie matrem Dei.

1628 Cap. II. [...] Quid enim nos contra calumniantes Eutychianos manifestius probat a fallacia Nestorianorum penitus alienos, quam si duo haec asseramus, id est, unum de Trinitate pro nobis crucifixum, et beatam Mariam recte vocari et vere et proprie matrem Dei?

PL  
67, 534

1629 Cap. IV. Veri autem et proprii filii quis nisi absurdissimus neget vere et proprie esse matrem? Quod aequo monstravimus magnae synodi Chalcedonensis sententiae convenire, et nos secundo partitionis loco promisimus asserturos. Insinuandum vero est quod hanc quoque confessionem qua beatam Mariam vere et proprie dicimus matrem Dei, quidam etiam communicantes \* Ecclesiae putent non debere suscipi, cum Nestorium fateantur, propter quod eam matrem Dei negabat, debuisse damnari. Quibus, antequam Nestorianis respondeamus, respondendum puto, sicut et in superiore quaestione iam factum est, quod omnino stultum ac turpe sit, et condemnationem probare Nestorii, et beatam Mariam negare quod vere et proprie sit mater Dei. Nam si qua hinc esse potuit quaestio, cum ipso Nestorio simul exclusa est, qui eam matrem Dei esse negabat. Hoc enim et ad credendum difficile, et dignum controversia videbatur,

PLS  
67, 540

\*541

<sup>1</sup> I Io. V, 20.

<sup>2</sup> Rom. VIII, 31, 32.

utrum Deum illa virgo genuerit: caeterum quod vere et proprie genuerit, quidquid est ille quem genuit, nulli dignum disceptationis appareat. Qui ergo concedunt quia Deum Virgo genuit, quod incapabile est, et unius singulariter matris, cur eam negant vere et proprie genuisse, quod commune omnibus matribus, et nullius dignum est quaestio[n]is? Et audent insuper hoc, quod dicimus beatam Mariam vere et proprie matrem Dei, Eutychiano dogmati deputare, non intelligentes neque quae loquuntur, sicut dicit Apostolus,<sup>1</sup> neque de quibus affirmant, cum sancta Chalcedonensis synodus, a qua ipse damnatus est Eutyches, sicut memoravimus, dicat: « Quomodo Dei genitrix sit virgo vocata propter eum qui virginitatem eius dignatus est etiam sacrare post partum, vulvamque, ut decebat Deum, integritate signare, quomodo secundum veritatem mater dicta sit propter carnem, quam ex se omnium Domino ministravit ». Cum igitur, ut isti Patres docuerunt, propterea secundum veritatem mater dicta sit, quia carnem ex se omnium Domino ministravit, quod Eutyches negat, quomodo putatur Eutychiano dogmati deputandum, cui magis invenitur esse contrarium? Non enim potest beatam Virginem vere et proprie dicere matrem Dei, sed nuncupative potius ac perfunctorie, quam non credit carnem ex se omnium Domino ministrasse. Non ergo Nestorianam tantum, verum etiam Eutychianam haeresim destruit ista confessio, qua dicitur beata Maria vere et proprie mater Dei. Quod si nos rectae fidei esse non credunt, et aliquid suspicantur in his verbis occulere, inquirant a nobis id ipsum quemadmodum volunt, et interrogationibus suis quid sentiamus eliant. Si autem de rectitudine quidem fidei nostrae non dubitant, sed putantes ipsam fidem rectam non rectis verbis pronuntiari, dicunt quod sensu quidem sumus perfecti, non autem sumus perfecti sententia, cum Apostolus in utroque nos hortetur perfectos dicens: *Sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia:*<sup>2</sup> ipsi deceant quatenus illa Virgo, quod non abnuunt, mater Dei \* dicatur, utrum vere et proprie, an nuncupative et perfunctorie. Quod si dicunt non esse consequens ut, si vere et proprie non sit, nuncupative et perfunctorie sit mater Dei, ipsi dicant modum quo contra nos praedicanda sit mater Dei. Omnis enim qui alterius praedicationi repugnat, dicere debet aliquid quod aut contrarium ei sit aut diversum. Sicut Arianis dicentibus quod minor Patre sit Filius, contra nos dicimus quod aequalis ei sit; sicut Manichaeis dicentibus quod phantastica, id est falsa caro fuerit eiusdem Filii Dei, contra

\*542

<sup>1</sup> I Tim. I, 7.<sup>2</sup> I Cor. I, 10.

nos dicimus quod in vera carne homo fuerit factus: atque ita et illi viceissim, impugnantes quod verum est atque catholicum, affirmant aliquid suum. Nec quisquam aliter doctrinae resistit alterius, nisi contra aliquid dicat: cum vero aliquid contradixerit, tum demum si acceptabilis sit illa contradictio, disquiritur. Horum vero qui nos prohibent dicere vere et proprie matrem Dei Mariam, nec dicunt secundum quem modum dicenda sit mater Dei, non est quaerendum si acceptabilis sit contradictio. Nam qui contra nihil dicunt, quomodo vel dicere videantur? Et ideo non tam laboriosum studio nostro est eorum absurditati resistere, quam existimationi periculosum, ne videamur superflue non contradicentibus respondere. Quamvis autem negantes hoc nostrum quod dicimus, vere et proprie esse matrem Dei Mariam, nihil hactenus affirmaverint suum, interrogandi sunt tamen utrum, quod necessario sequitur, vel negare audeant quod nos prohibent confiteri, ut addita negatione dicant eam non vere et proprie matrem Dei. Et iam non dicam aures catholicorum, sed frons illorum ferat, si potest, hanc profanam et detestabilem vocem. Si autem non audent dicere, non vere et proprie mater est Dei, cur nos prohibent confiteri quod negare non audent? Cognoscant igitur cum sancta synodo, cuius se profitentur decreta suspicere, quod propterea beata illa Virgo secundum veritatem mater dicta sit Dei, quoniam carnem ex se omnium Domino ministravit, et non se dicant Eutychianis repugnare, negantes vere et proprie matrem Dei Mariam, cum potius eis nescii favere monstrarentur, resistendo sententiae synodi Chalcedonensis, in qua damnati sunt, et negando quod eorum est vanitati contrarium. Illud etiam caveant Nestorianorum experti perfidiam, quibus pro hac quoque confessione iam respondere debemus, ne quasi pro naturarum discretione dicentes quod non homo Christus Iesus, sed Deus Verbum proprius et verus sit Filius Dei; aut quod non Deus Verbum, sed homo Christus Iesus proprius et verus sit filius hominis; videantur et ipsi non eumdem credere Deum Verbum quem hominem, sed alteram personam Dei, alteram hominis arbitrari. \* Porro si idem est Deus qui homo, et idem homo qui Deus; tam recte dicitur Deus Verbum proprius et verus filius hominis, quam recte dicitur idem ipse mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, proprius et verus Filius Dei: nec ulla confusio naturarum ex hoc inducitur, sed personae unitas intimatur. Neque enim confusionem naturarum Ioannes inducebat apostolus dicens: *Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit intellectum, ut sciamus quod est verus, et sumus in vero Filio eius Christo;*<sup>1</sup> vel Paulus

\*543

<sup>1</sup> I Io. V, 20.

cum diceret: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*<sup>1</sup> Si autem Ioannes Christum, id est unctum, verum Dei Filium dicit, quem et venisse testatur; venire autem et ungi, quantum ad naturarum discretionem spectat, humanitati potius quam deitati convenienter; et si Paulus quem proprium Dei vocat Filium, ipsi Patrem non pepercisse docet, sed eum pro nobis omnibus tradidisse, et omnia ei donasse; quae similiter, cum de naturis agitur distinguendis, deitati non possunt attribui; et neuter horum talia praedicans creditur confusisse naturas, sed unitatem magis expressisse personae: respondeant Nestoriani, quomodo non eadem personalis unitatis ratio, sine ulla naturarum confusione, de nobis flagitat, ut vere et proprie dicamus filium hominis Deum Verbum, et beatam Virginem vere et proprie matrem Dei. Nam et ille centurio, qui corpus Domini gloriae crucifixi servabat, cum exspirante mundi Creatore, mundi videret elementa turbari, Filium Dei eum verum esse cognovit; ait enim: *Vere Filius Dei erat iste.*<sup>2</sup> Cuius verbi fidem beatus facit Hilarius, ita dicens: <sup>3</sup> « Qui cruci affixerant, vere Dei Filium confitentur; praedicationi consentit effectus. Dominus dixerat: *Clarifica Filium tuum.*<sup>4</sup> Non solum nomine contestatus est Filium, sed et proprietate qua dicitur *tuum*. Multi enim nos filii Dei, sed non talis hic Filius est. Hic enim et proprius et verus est Filius, origine non adoptione, veritate non nuncupatione, nativitate non creatione. Ergo post clarificationem eius veritatem confessio secuta est. Nam verum Dei Filium centurio confitetur, ne quis credentium ambigeret quod unus persequentium non negasset ». Si igitur, Hilario quoque, doctissimo antistite et fortissimo confessore, secundum doctrinam apostolicam testante, proprius et verus est Filius Dei qui crucifixus est, non est dubium quin etiam Deus vere et proprie Pater sit crucifixi Filii. Quae cum ita sint, quemadmodum nihil ex hoc metuendum est, ne cum dicitur Deus vere et proprie Pater Filii crucifixi, sequi videatur quod illa humanitas a Verbo Dei suscepta et crucifixa in deitatem conversa sit, et natura humana, quae composita est, \* simplici naturae Patris consubstantialis effecta, ita non sequitur, cum dicimus vere et proprie matrem Dei Mariam, ut deitas Verbi conversa videatur in carnem, et natura divina, quae simplex est, compositae naturae matris consubstantialis effecta. Alioquin si blasphemum et absurdum est quod beata Maria vere et proprie dicitur ma-

\*544

<sup>1</sup> Rom. VIII, 31, 32.<sup>2</sup> Matth. XXVII, 54.<sup>3</sup> Lib. III, *De Trinitate*.<sup>4</sup> Io. XVII, 1.

ter Dei, sine ulla disceptatione blasphemum et absurdum est, quod Deus Verbum vere et proprie dicitur filius hominis. Si autem et hoc blasphemum et absurdum videtur, ut Deus Verbum vere et proprie dicatur filius hominis, consequenter blasphemum videbitur et absurdum ut idem ipse mediator Dei et hominum homo Christus Iesus vere et proprie dicatur Filius Dei. Porro Scriptura divina, quae nihil blasphemum loquitur vel absurdum, pro unitate personae verum et proprium Dei Filium dicit mediatorem Dei et hominum, hominem Iesum Christum: qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, in quo vero Dei Filio sumus, et cui proprio Filio Pater non pepereit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Recte igitur etiam beata Maria, pro eadem unitate personae, vere et proprie mater dicitur ipsius unigeniti Dei Verbi [...].

\* [...] Cum itaque nefandus error, qui evacuans totum salutis nostrae mysterium cautus sibi videtur ac diligens, in Ecclesia Latinorum prius apparenſ, non sicut apud Graecos contentionibus augetur, sed satagendo magna et sollicita Patrum pietate, mox ut deprehensus est, etiam a suo condemnaretur auctore: non aliter visus est eisdem sanctis Patribus abolendus, nisi ut de Virgine Maria proprie Deum esse natum scripto confiteretur ipsius auctor erroris. Ait enim, sicut memoravimus: « Nascitur ergo proprie de Spiritu sancto et Maria semper Virgine Deus ». Atque ita Deus ab eo dicitur proprie natus ex Virgine, ut etiam homo Iesus Christus vicissim Dei Filius nuncupari et vere esse dicatur. Unde et illud adiecit: « Ac sic in alterutrum unum fit et Verbum et caro ». Nec per hoc discretioni utriusque naturae praeiudicium intulit, qui confessus est quod manente in sua perfectione naturaliter ultraque substantia, sine sui praeiudicio et humanitati divina communicent, et divinitati humana participant: non alterum dicens Deum, alterum hominem, sed eumdem ipsum Deum, quem et hominem, et vicissim hominem, quem Deum Iesum Christum Dei Filium nuncupari et vere esse confessus est. Si autem Deus vere est homo, nec aliunde vere homo nisi nascendo de Virgine, cur non dicatur Deus vere natus ex Virgine? Et si Deus proprie factus est homo, nec aliunde proprie factus est homo, nisi nascendo de Virgine, cur non dicatur etiam proprie natus ex Virgine? Absurdum nimis est ut Deus, qui nascendo de virgine vere et proprie factus est homo, non vere et proprie de illa natus esse dicatur: ut vera sit res quam effecit illa nativitas, et ipsa rei eius effectrix non sit vera nativitas. Verum nec illud minus absurdum est, ut qui non offenditur propheta dicente: *Mater Sion dicit, homo, et homo factus est in ea, et ipse fundavit eam*

*Altissimus*,<sup>1</sup> et mansuete et fideliter accipit, quod ipse Altissimus, qui Sion fundavit, homo factus est in ea; et qui non offenditur evangelista dicente: *Verbum caro factum est*,<sup>2</sup> si audiat ea quae sunt hominis Altissimo tribui qui factus est homo, et ea quae sunt carnis Verbo tribui quod factum est caro, scandalum patiatur, tanquam non horum causam ante crediderit, quando Altissimum factum hominem et Verbum \* carnem credit factum. Plus est autem dicere Altissimum hominem factum, quam tribuere quae sunt hominis Altissimo; et plus est dicere, Verbum caro factum est, quam tribuere quae carnis sunt Deo Verbo. Cum itaque Spiritus Dei, ad commendandam nobis in hoc mysterio adunationem divinae humanaeque naturae, hoc quod est amplius dicere congruentius et utilius iudicavit, quia Altissimus homo factus est, et, Verbum caro factum est: cur quisquam metuat hac auctoritate fundatus, sine praeiudicio utriusque naturae, ea quae sunt humanitatis Altissimo, et quae sunt carnis Verbo tribuere, propter sacramentum ac dispensationem incarnationis sua? De quo Deo Verbo loquens idem Ioannes in Epistola sua, ei quae carnis sunt deputare non dubitat, utpote quem carne factum in suo Evangelio praedicavit. Nam sicut ibi sermonem inde exorsus est dicens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.*<sup>3</sup> Et infra: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*: ita et in Epistola sua inde similiter coepit: *Quod erat ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod inspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae, et vita palam facta est, et vidimus et testamur, et nuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, et palam facta est nobis.*<sup>4</sup> Annuntians itaque nobis de Verbo vitae, quod erat ab initio, nec in his quae memoravimus susceptae ab eo carnis nomen interset, de ipso Verbo dicit, quod oculis suis illum inspexerit, et manibus contrectaverit, non dubitans quae sunt carnis incarnato Verbo tribuere. Quid ergo Nestoriani, quasi cauiores et diligentiores ipso Ioanne apostolo, imo ipso Deo Verbo, qui sic de se in Ioanne loquebatur apostolo, refugiunt quae sunt humanitatis Deo tribuere, et beatam Mariam dicere vere et proprie matrem Dei; quam non refugiunt dicere vere et proprie hominis matrem, nisi quia non eumdem credentes esse Deum, quem hominem, duos nobis filios, licet non verbis, rebus tamen volunt inducere? Nos autem scientes Apostolum dixisse: *Optabam enim ego*

<sup>1</sup> Ps. LXXXVI, 5.

<sup>2</sup> Io. I, 14.

<sup>3</sup> Io. I, 1.

<sup>4</sup> I Io. I, 1, 2.

*ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israëlitae, quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamenta, et legislatio, et altura, et promissa: quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula,<sup>1</sup> non alterum Christum putamus, et alterum super omnia Deum; sed eumdem Christum credentes super omnia Deum, eius matrem beatam Mariam Virginem vere et proprie dicimus matrem Dei.*

- 1630 Cap. V. [...] Deinde cum haeretici Synusiastae putarent Christum unius essentiae natum, nec ex utero Virginis habuisse carnem, sed potius in eius utero Deum Verbum partem suae substantiae, id est deitatis, in carnem sibi vertisse; et in illa quidem, sed non ex illa incarnatum esse credentes, non solum in divinitate, verum etiam in carne, consubstantialem dicerent Patri; sed contra catholici quique doctores assererent, quod Christus ex substantia Virginis natus esset. Apollinaristae rursus, hanc doctrinam veritatis infamantes, iactabant quod Ecclesia sic doceret Christum natum ex Virgine, quasi etiam secundum deitatem ex illa sumpsisset initium, praedicaret Deum Verbum non ante saecula ex Patre sine initio, sed ex eius utero natum esse, id est velut qui ante non esset, existisse diceret.

PL 67, 761

### COSMAS Indicopleustes (saec. VI)

#### CHRISTIANA TOPOGRAPHIA (ca 535/550)

- 1631 Lib. II. Εἴτα πάλιν λέγει, ἐν μὲν τῇ εἰκόνι, λίθον τυμηθέντα ἐξ ὅρους ἀνευ χειρῶν· ἐν δὲ τῷ δράματι Υἱὸν ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ· τὸν Δεσπότην Χριστὸν ἐνταῦθα σημαίνει ἐν ἑκατέρῳ μέρει ἐκ τοῦ Ἀβραὰμ καὶ τῆς Παρθένου ἀνευ σπέρματος ἀνδρὸς ἐρχόμενον. Καὶ ἐνταῦθα γάρ « Ἀνευ Χειρῶν » εἶπεν, ἵνα εἰπῇ· Ἀνευ σπέρματος ἀνδρός. Καί,

PG 88, 109

- 1631 Lib. II. [...] Deinde dieit, in imagine quidem, lapidem excisum ex monte sine manibus;<sup>2</sup> in visione autem, Filium hominis venientem in nubibus coeli, Dominum Christum; utrinque vero significat ipsum ex Abraham et ex Virgine sine semine viri venientem; nam hic *Sine manibus* ait, ac si diceret, sine semine viri, et, in nu-

PG 88, 110

<sup>1</sup> Rom. IX, 3-5.

<sup>2</sup> Dan. II, 34.

● PL 67, 529, 540, 544, 545, 546, 551, 553, 572, 587, 588, 666, 672, 673, 689, 690, 697, 761, 765, 771, 789, 799, 800, 803, 806.

● IOANNES Malalas (saec. vi), *Cronographia*: PG 97, 352.

Πατρί, τὸ Φῶς τῷ Φωτί, τὸ ἀείζωον ὅδωρ τῇ ἀείζωσῃ πηγῇ). φύντος δὲ καὶ σαρκωθέντος ἐκ τῆς ἁγίας Παρθένου καὶ ἀείπαιδος Μαρίας ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν, καὶ φοιτήσαντος εἰς γῆν ἐπὶ σωτηρίᾳ τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους.

PG 85, 500 [...] Καὶ γάρ ἐκ τοῦ Θεοῦ τε ὄν, καὶ Θεός ὄν, καὶ πρὸς τὸν Πατέρα 1372 πάντοτε ὄν, ἐφανερώθη καὶ μετὰ σαρκὸς τῷ κοινῷ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως τεχθεὶς νόμῳ, ἀλλ’ ἐκ Παρθένου καὶ ἀπειρογάμου γυναικός· ἵν’ αὐτὸς τὸ οἰκεῖον ἀνασώσηται πλάσμα καὶ δημιούργημα, καὶ τῶν δὲ τυραννουντων ἡμᾶς ἐλευθερώσῃ δαιμόνων.

PG 85, 553 [...] Ἐγγων διὰ σοῦ τῆς ἐκ Παρθένου καὶ ἀείπαιδος ὡδῖνος καὶ γεννή- 1373 σεως τοῦ Χριστοῦ τὸ μυστήριον.

nitate alter cum altero, Pater cum Filio, Filius cum Patre, Lux cum Luce, perennis aqua cum perenni fonte exsistebat), novissimis vero temporibus ex sancta et semper Virgine Maria nato, ac carnem induito, et in terram, pro humani generis salute, cuius causa etiam homo factus fuit.

PG 85, 499 [...] Ex Deo enim Deus cum esset, semperque cum Patre existet, etiam in carne, communi naturae humanae lege natus, apparuit (sed ex Virgine, et coniugii experte muliere) ut suum ipse figmentum remque abs se creatam conservaret, nosque impotenti daemonum imperio erectos, in libertatem vindicaret. 1372

PG 85, 554 [...] Per te cognovi partus ac nativitatis ex Virgine, eaque semper 1373 Virgine, Christi sacramentum.<sup>1</sup>

## FAUSTUS Reiensis († 490/500)

### ADVERSUS ARIANOS<sup>2</sup>

PLS III, 497 I. [...] Item de Mariae virginis generatione: *et porta erat clausa et non est aperta*, tamquam si interrogaretur, cur aperta non esset, adiecit: *quia dominus transivit per eam*,<sup>3</sup> porta clausa, id est signaculum pudoris, immaculatae carnis integritas, non enim violata est partu, quae magis est sanctificata conceptu. 1374

PLS III, 499 II. [...] Quomodo creatura dicetur, qui domini creator ex Maria comprobatur, sicut legimus: *conceptus de Spiritu sancto, natus ex*

<sup>1</sup> S. Thecla ad Paulum Ap.

<sup>2</sup> Disputant viri docti circa veritatem huius operis (cf. PLS III, 495 et 1247).

<sup>3</sup> Ezech. XLIV, 2.

*Maria virgine.* Christus enim non de substantia Spiritus sancti, sed de potentia, nec de generatione, sed iussione et benedictione conceputus est, et sicut a Patre, ita etiam a Spiritu sancto ad redemptionem nostrae malitiae destinatus est ipso de se per Isaiam loquente: *misit me pater et spiritus eius.*<sup>1</sup>

#### LIBER TESTIMONIORUM FIDEI

**1376** XII. [...] *<Dum> venturum ad terras vates eximus protestatur: Rorate, coeli, desuper, et pluant nubes iustum.* De homine vero: *aperiatur terra et germinet Salvatorem.*<sup>2</sup> Qui utique in Mariae Virginis corpore mundissimam terram coelesti germine foecundavit. PLS III, 516

#### DE SPIRITU SANCTO<sup>3</sup>

**1377** Cap. II. Sed dicitur: Si Spiritus sanctus in corpore et anima redemptorum habitavit, ergo et ipse Spiritus incarnationem videbitur suscepisse. Non ita est. Nam ante creationis initia a Spiritu sancto Mariae corpus impletur, et inter initia creationis Filius Virginis Spiritu sancto cooperante concipitur, sed ad personam Filii specialiter novem mensibus possidendus, et cum eodem in lucem progressus infunditur, cuius utique temporis societatem intra secretum uteri virginalis Spiritus sancti persona non recipit, hominem ergo quem Filius Dei inter ipsa suscipit exordia, Spiritus sanctus non susceptor sed sanctificator intravit. Ille enim nascitur, hic infunditur. De Filio Virginis anima vel caro Filii Dei personaliter et specialiter dici potest Spiritus sanctus vero anima vel caro nullo modo dici potest. PL 62, 26

#### SERMO IN NATALI DOMINI<sup>4</sup>

**1378** 3. [...] O femina super feminas benedicta, quae et virum non cognovit, et virum in utero circumdedit: quae concubitu carnali non tangitur, et tamen carnea prole de spirituali semine gratulatur! Circumdat Maria virum angelo fidem dando; quia Eva perdidit virum serpenti consentiendo; *Faciet, inquit, Dominus novum super terram.* 4. Ut igitur exhibenda huius novitatis tempus advenit, colestis ad Virginem praemittitur nuntius. Salutat angelus puellam viri sa-

<sup>1</sup> Isa. XLVIII, 16.

<sup>2</sup> Isa. XLV, 8.

<sup>3</sup> Fausti Reiensis et non Paschasi est opus hoc (cf. PLS III, 1247).

<sup>4</sup> Sermo hic Fausti Reiensis fortasse est (cf. PLS II, 846 et III, 526): dubius tamem (Clavis 368 et 969).

● PL 62, 12, 19, 28.

● PLS III, 512, 515, 529, 531, 542.

lutationis ignaram; terretur virgo novitate verborum. Ad quam angelus, *Ne timeas*, inquit, *Maria; invenisti enim gratiam apud Dominum.* Ne, inquit, ad conspectum meum, Mater Domini mei, terreas: ego conceptionis tuae minister adveni; ipse me misit ad te qui est nasciturus ex te; ipse tibi per me annuntiat gaudium, cui placuit in utero tuo cum humana natura mysticum sociare coniugium. *Invenisti gratiam apud Dominum. Ecce concipies et paries filium*, non cuiuslibet meriti hominem, sed totius mundi Salvatorem. *Ne, inquit, timemas.* Abiice abs te omnem metum saeculi, quae conceptura es gaudium mundi. Revolve, Maria, propheticam lectionem: neque enim te scientia divinorum potest praeterire Librorum, quae ipsam plenitudinem paritura es Prophetarum. Recole in libro Isaiae prophetae virginem quam legisti; et gaude quia tu esse meruisti. Tu ibi praesignata es virgo: tu ecce concipies in utero, non de viro, sed de Spiritu sancto: et gravida eris, et incorrupta manebis, paries filium, et virginitatis non patieris detrimentum. At illa, *Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

<sup>PL 39, 1984</sup> 5. Mox igitur angelus, Virginis accepto consensu coelestis regionis accolas repetit: et ecce subito secretum Virginis ineffabilis potentia penetravit. Intrat Artifex mundi angustias ventris humani, efficitur grava mater intacta: et ecce tamquam sponsus de thalamo, Mariae Christus procedit ex utero. Occultatur in membris infantis potentia maiestatis, Deus pendet ad ubera genitricis. Pannorum vilium squalore contegitur, durissimi suffert praesepis angustias, et totum misericors humiliiter patitur, dummodo mundus qui perierat, liberaretur. O beata infantia, per quam nostri generis vita est reparata! O gratissimi, delectabilesque vagitus, per quos stridores dentium aeternosque ploratus evasimus! O felices panni, quibus peccatorum sordes extersimus! O praesepe splendidum, in quo non solum iacuit fenum animalium, sed cibus inventus est Angelorum! Lacta, Maria, Creatorem tuum, lacta panem coeli, pretium mundi. Praebe lambenti mamillam, ut pro te ipse praebat percutienti maxillam. Nutriatur infans lacte tuorum uberum, ut pro te etiam accipiat, aceti potum. Ferant eum nunc manus tuae, ut manus pro te postea figantur in cruce. Postremo tu illi ut mater temporalem ministra substantiam, ut ipse nobis et tibi una cum Patre et Spiritu sancto vitam tribuat sempiternam.

1379

οίκη· καὶ γὰρ ἐν τοῖς προφήταις ἦν, μᾶλλον δὲ ἐν Μωσῇ καὶ ἐν πολλοῖς κυρίοις, μᾶλλον δὲ ἐν Χριστῷ ὡς ἐν ναῷ. Καὶ ἀλλαχοῦ λέγει ἄλλον εἶναι τὸν Ἰησοῦν Χριστόν, καὶ ἄλλον τὸν Θεὸν Λόγον. Νεστόριος εἶπεν μὴ ἐγγωρεῖν τὸν πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, ἄλλο ἄπαξ γεννηθῆναι, καὶ ταῦτα θεότητι ».

’Ιδού δέδεικται σαφῶς λέγων ὁ παραβάτης. Οὐκ ἐτέχθη ἐκ Μαρίας ὁ γεννηθεὶς ἐκ Πατρός. ’Ιδού συναινεῖ τῷ αἱρετικῷ Παύλῳ λέγοντι, ἄλλον εἶναι τὸν Λόγον, καὶ ἄλλον τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν, καὶ οὐχὶ ἔνα, ὡς ἡ ὄρθοδοξία κηρύσσει. “Εως ὅδε ἡ διαμαρτυρία.

in alio sic habitet: etenim in prophetis erat, magis autem in Mose et in multis dominis, magis autem in Christo tanquam in templo. Et alibi dicit, alium esse Iesum Christum, et aliud Deum Verbum. Nestorius dixit, non esse possibile eum qui est ante saecula, aliud genitum esse, idque divinitate».

Ecce aperte dicit Nestorius: Non est natus ex Maria, qui est genitus ex Patre. Ecce convenit cum Paulo haeretico, qui ait aliud esse Verbum, et aliud Iesum Christum, et non unum, ut fides recta praedicat. Hactenus testimonium.

### FERRANDUS<sup>1</sup> diaconus Carthaginensis († 546)

#### EPISTOLAE

1549

Ep. III, 2. Bene enim peritiam tuam nosse confido, quoniam si, secundum quod haereticus sapuit, imo potius desipuit, caro Verbi Dei secundum carnem nascentis a carne Virginis pronuntiatur extranea, sine causa Filius Dei, etiam filius hominis factus asseritur. Quomodo enim naturaliter filius est hominis, qui originem non habet ex homine? Nullam vero originem habet ex homine, si conceptus in utero virginali carnem non traxit ex carne? Constat eum sine semine patris materna viscera fecundasse; sed qualis erit Mariae fecunditas, si non sit ex illa quae per eam nascitur caro? *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, Ioannes dicit evangelista.<sup>2</sup> Quaevis unde factum est caro? Beatus Paulus inquisitioni tuae respondeat: *Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere.*<sup>3</sup> Filium ergo suum misit Deus, id est, Verbum suum carnem fecit Deus; sed unde? Ex muliere. Si igitur ex muliere Verbum

PL  
67, 890

<sup>1</sup> *Fulgentius* Ferrandus falso dictus (cf. PLS IV, 22).

<sup>2</sup> Io. I, 14.

<sup>3</sup> Gal. IV, 4.

● PG 86, 1380, 1388, 1392, 1393.

caro factum est, caro Verbi indubitanter sumpta est de muliere. Mulier hic semper Virgo Maria, sexus nomine mulier nuncupatur, quae propterea, salvo pudore, concepit et peperit Deum, quia de ea veritatem carnis Deus homo factus accepit. Alioquin si fabricavit sibi Creator creandus novi generis carnem, vel ex nihilo, vel unde voluit, apparere subito debuit oculis mortalium, quam decem mensibus tolerare parvi ventris hospitium, cuius magnitudini non sufficit coelum. Quid necessarium fuerat ut Ioseph, sponsus fidelis, videns coniugem castissimam, prius quam convenienter, effici genitricem, suspicaretur adulterium, quia nesciebat adhuc coeleste mysterium? Fieret unigenitus Deus homo sicut sine homine patre, ita sine matre, si nihil ei accipiendum fuit ex matre. Veniret ad filios hominum nullius hominis filius, si nihil habiturus esset commune cum filiis hominum. Repugnat nimis ista sententia, veritatis pudor opprimit considerantem diutius. Virgo filium generat mirantibus omnibus, et sterilia remansisse putantur viscera generantis, quia nihil ex se profundunt in membra nascentis? Terra herbas generat \*insensibiles, nullusque eis negat terrenae substantiae qualitatem: Maria Filium Dei concipit, Filium Dei parit, et in eo non agnoscit suae substantiae proprietatem? Tolerabilius profecto peccare iudicabitur, quod Dominum Iesum Christum nihil accepisse suspicans de Maria, tacet etiam natum; nativitati enim magnam facit iniuriam, quisquis aliquam facit inter substantiam gignentis et geniti differentiam; redarguente hanc pessimam blasphemiam Doctore gentium, ubi verae fidei titulo clariore principia Epistolae decoranda cognoscens, hoc sermone coepit aedificare Romanos: *Paulus servus Iesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem; qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri.*<sup>1</sup>

\*891

PL  
67, 891

5. Dicat nunc haereticus quomodo Filius Dei factus est ex semine David secundum carnem. Ioseph certe nihil seminavit in Maria, cui dicitur ab angelo: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quare Christus ex semine David iterum dicitur? Quare ille natus inter homines sine humano semine, factus dicitur ex semine David? Non leviter, neque perfunctorie praedicationis huius oportet considerare virtutem. Memor quippe Apostolus doctrinae suae similiter alio quoque loco Timotheum carissimum discipulum monet: *Memor esto, inquiens, Iesum Christum resur-*

1550

<sup>1</sup> Rom. I, 1-4.

*rexisse a mortuis ex semine David secundum Evangelium meum.<sup>1</sup>* Quis proinde inseruit nativitati eius semen David in substantia humanitatis? Ubi potuit fieri de semine David? Si sine homine natus est patre, qua ratione ergo fieret ex semine David, nisi carnem suscepisset ex matre quae pertinebat ad semen David? De semine enim David Maria, et de carne Mariae Christus; quamvis sine semine maritali, tamen cum proprietate naturae. Propter hoc Psalmista cantat propheticō spiritu: *Dominus dabit benignantē, et terra nostra dabit fructū suū,*<sup>2</sup> quia in manifesta carnis a se acceptae substantia, Maria genuit Dominum suum. Nam si aliunde caro Christi nasceretur, terra, id est Maria, nullatenus daret fructum suum, sed alienum; nec iterum sanctus Apostolus semen Abrahae Christum esse significaret, ita loquens: *Abrahae dictae sunt promissiones, et semini eius.* Non dicit: *et seminibus, quasi in multis; sed, tanquam in uno: et semini tuo, quod est Christus.*<sup>3</sup> Quid apertius? Quid evidenter? Nonne sic et semen Abrahae Christus, quomodo ex semine David propter Mariam, per Mariam, de Maria? Tollat impius disputator Christo materiam carnis, quam Maria ministravit, et doceat quomodo est semen Abrahae Christus, aut quomodo factus est ex semine David.

1551 4. Caro itaque Christi de matre sumpta est, ideo amplius vera est; sed plane sancta est, quia divinitatis adunatione mundata est. In carne Christi natura est nostrae carnis, sed non reperitur culpa naturae. Sic caro Christi carni Mariae et similis est, et dissimilis: similis, quia inde traxit originem; dissimilis, quia non inde contraxit vitiae originis contagionem: similis, quoniam, licet voluntarias, tamen veras sensit infirmitates; dissimilis, quoniam nullas penitus neque per voluntatem, neque per ignorantiam commisit iniquitates: similis, quia passibilis et mortal is; dissimilis, quia incoinquinabilis, et vivificatrix etiam mortuorum: similis genere, dissimilis merito: similis specie, dissimilis virtute: similis, quia similitudo est carnis peccati, dicente Apostolo: *Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati.*<sup>4</sup> Ecce quantum caro Christi docetur a Maria causam novae existentiae naturaliter assecuta secundum solemnitatem partus humani, sequestrata necessitate concubitus maritalis, ut non sit quidem caro peccati, quia caro est Dei; sit tamen similitudo carnis peccati, quia veraciter nata est de carne mortali: merito etiam mortal is, quia materiam traxit de carne mortali. In carne enim non

PL  
67, 892<sup>1</sup> II Tim. II, 8.<sup>2</sup> Ps. LXXXIV, 13.<sup>3</sup> Gal. III, 16.<sup>4</sup> Rom. VIII, 3.

habentis omnino peccatum, per quam ianuam voluntaria mors introiret, nisi de carne eius nasceretur cui potuit inesse peccatum et per peccatum mors? Plenius hoc lucidis sermonibus explicemus. Caro Christi non erat in iniquitatibus concepta: propter quid ergo conditionem mortis videtur experta? Manifeste scimus, non necessitate, sed voluntate pro nobis mortuum fuisse Filium Dei. [...]

<sup>PL 67, 893</sup> [...] Quid prodest Adam Christi victoria, si non est eius in Christo substantia? et quomodo id fieri potuit, nisi eum sic genuisset Virgo Maria, ut praebaret ei sine iniquitate materiam carnis, in qua nasci temporaliter posset et pati?

5. Sic omnino, sic sentiendum fides admonet vera, Christum corpus habuisse verum, non aëreum, non phantasticum, non aliunde formatum, sed carneum; de carne Virginis sumptum, licet non carnaliter seminatum, rationalis animae inspiratione vivificatum; tale quale nos habemus, absque peccato; tale in quo diabolus falleretur, ut putans escam, deglutiret hamum. Diabolus enim nisi videbat in Christo Salvatore verum corpus et matri consubstantiale, nec tentare auderet, nec occidere.

<sup>PL 67, 901</sup> 12. Quid, rogo, proficit ad negandum Filio Dei materni corporis veritatem, quando unus de Trinitate passus asseritur? Nonne, si unus de Trinitate est, vere Filius Dei est? Et si passus est, vere habet materni corporis veritatem? Alioquin tolle corpus ex matre sumptum, et quomodo pati potuit pura divinitas? Perpende qualis est caro Mariae, sine dubio passibilis et mortalibus: ut ergo esset caro Verbi passibilis et mortalibus, ex illa carne habet originem quae fuit passibilis et mortalibus. In prole igitur cognosce similitudinem generis per testimonium passionis: [...] \* qui cum esset vere et proprie Deus, vere et proprie factus est homo, ut non immerito vere et proprie mater Dei beata Maria credatur. Ex Maria enim semper virginie nec divinitas nasci potuit sine humanitate, nec humanitas sine divinitate.

<sup>\*906 PL 67, 906</sup> 17. Frustra expavescit quisquis aestimat consubstantialem divinitati matrem futuram, si veraciter et proprie Maria mater fuerit Dei; profecto enim quia veraciter et proprie generanti semper est consubstantialis ille qui nascitur, accepit ab ea Deus unde ei fieret consubstantialis, et sic ex ea nasci dignatus est. Ita igitur proprie, sicut veraciter, Maria divinitatem Filii genuit, sed incarnatam. Sine carne enim divinitatem sempiternam generare non posset homo mortalibus. Quid autem, proprie genuit? Manifeste genuit, contestantibus signis et virtutibus Deum esse, qui ex homine nascitur. Quid est, proprie genuit? Ipsa ei materiam carnis secundum quam gene-

ratur, operante quidem Spiritu sancto, verumtamen ex suis visceribus tribuit, et ideo quem sic nasci oportuit, etiam proprie genuit: quia in humana eum natura genuit, quam nullo dubitante proprie genuit [...].

Si enim dixero, vel dicere voluero: Maria semper virgo proprie genuit humanitatem, non proprie genuit divinitatem, videbitur sub aliquo modo hominem purum genuisse, quem nullo modo ita genuit, quia Verbum carnem factum proprie genuit. Recte ergo, quantum arbitror, dicimus et confitemur: Maria veraciter est mater Dei Christi, ut non esset suspicio phantasiae. Recte etiam confitemur: Maria proprie mater est Dei Christi, ut nullatenus hominem purum, qui pro meritis operum bonorum postea proveheretur in Deum, vel superveniente in se Filio Dei, vocari aut effici inciperet Deus, sed Deum sine initio, ex certo initio hominem factum concepisse et genuisse credatur. Inveniri potest plane alius conveniens modus, quo sine scandalo haec sententia proferatur, si ita unusquisque dicat: Maria proprie mater Dei Christi, ut singulare \* hoc coelestis operacionis beneficium non videatur commune cum caeteris. Ipse enim Salvator in Evangelio nuntiantibus sibi: *Ecce mater tua et fratres tui foris stant quaerentes te: Quae est, inquit, mater mea, aut qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos, ait: Ecce mater mea et fratres mei. Et omnis qui facit voluntatem Patris mei qui in celis est, hic meus frater et soror, et mater est.*<sup>1</sup> Omnis ergo faciens voluntatem Patris eius, mater est eius. Sed Maria ideo proprie mater est, quia nascendo de ea secundum carnem factus est filius eius. Multae mulieres Deum timentes parturiunt Deum Christum mente, non carne: sola autem Maria Deum Christum peperit etiam carne; et ideo sola proprie mater est Dei, quia nulla alia sic mater est Dei. Beatus Apostolus dum Romanis scriberet, ait: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio non pepert, sed pro nobis omnibus tradidit eum.*<sup>2</sup> Dicat ergo mihi aliquis, utrum proprius Filius Dei Patris, ipse est proprius filius Virginis matris, an forte non habuit Maria proprium filium, quem Deus habet proprium Filium? Sed et Maria habet proprium filium, quia genuit, non adoptavit: et illum habet proprium filium, quem habet Deus proprium Filium, quia duos filios nunquam fides catholica praedicat. Restat ergo ut si Deus Dei proprius Filius, ipse est etiam matris Virginis proprius filius, proprie eum genuerit. Alioquin si illa proprie non genuerit, nec ille proprius est filius. Proprius est autem filius; ergo illa proprie genuit:

\*907

<sup>1</sup> Matth. XII, 47-50.<sup>2</sup> Rom. VIII, 31, 32

veruntamen secundum humanitatem, secundum quam potuit Deus nasci.

<sup>PL  
67, 912</sup> Ep. V, 3. [...] Manens enim Deus Filius una in Trinitate persona, venit ad Virginem; nec sibi aliam de ea personam assumpsit, sed aliam sic unitatem personae suae suscepit, ut persona quae semper erat, naturam susciperet carnis, haberetque duas, una Christi persona, naturas. Nec ambigere oportet quomodo credatur humana natura, ex initio sui, Dei Verbi habuisse personam; scientes quia non hominem formatum, neque conceptum, neque vita sua quadam vel in matris utero vivere iam incipientem Deus assumpsit; sed omnino antequam aliquid Maria conciperet, ante omnem formati formandise hominis causam, Deus volens homo fieri, virginalis palatum ventris intravit; et virtute divinitatis munus largiens fecunditatis, assumpsit ex ea quam habere voluit matrem, nostri generis veram carnem.

1555

#### EPISTOLA DOGMATICA ADVERSUS ARIANOS ALIOSQUE HAERETICOS

<sup>PLS  
IV, 32</sup> 11. [...] Sequetur hunc Eutyches dissimiliter perfidus, sed similiter condemnandus, in una Christi persona duas manifeste substanzias permanere cognoscens, unam quam videbit, ut confundatur; aliam quam non videbit, ut puniatur: auditurus, sicut omnes impii, tollatur impius ut non videat claritatem Dei: nec auderet amplius suspicari, nihil Christum de Mariae genitricis carne sumpsisse: sed velit nolit, aspiciet Dominum ipsum esse filium David, quia natus est *ex semine David*.<sup>1</sup> Quomodo autem ex semine David nasci potuit, sine semine viri conceptus et natus, nisi quia de semine David caro extitit B. Mariae, quae materiam carnis nascituro ex se Domino ministravit?

1556

#### VERECUNDUS († 552)

##### IN CANTICUM DEUTERONOMII

<sup>PLS  
IV, 57</sup> II. *Exspectetur sicut pluvia eloquium meum, et descendant sicut ros verba mea.*<sup>2</sup>

1557

Ex persona Patris agnoscitur, cuius Eloquium novissimis est temporibus exspectatum, quia *Verbum caro factum est et habitavit*

<sup>1</sup> Rom. I, 3.

<sup>2</sup> Deut. XXXIII, 2.

• PL 67, 889, 894, 896, 898, 902, 908, 911, 940, 941.

significantia sunt agni immaculati qui sacrificium Deo offerri habebat quod in prima pascha conceptionis suae in utero matris non eum oportuisset occidi. Et ideo Ioseph sciens praegnantem esse Mariam ne tamquam stuprata aut adultera lapidibus interficeretur *clam eam dimittere voluit;*<sup>1</sup> ut vero non occideretur agnus immaculatus in lacte matris suae: sed inter haec ascendit, inquit, Maria ad Elisabeth visitare eam post mense sexto conceptionis eius.<sup>2</sup> Tunc et Cohannes inspiratus est et fecit ibi Maria cum Elizabeth menses alios tres. Et sic expletis novem mensibus in mense decimo peperit Iohannem octavo kalendas iulii qui est nonus mensis a septembre et quartus a martio inchoationis anni, de quo propheta Zacharias dixerat *ieiunium quartum esse domui Iuda in laetitiam et gaudium.*<sup>3</sup>

PLS  
I, 563

[...] Nam Christus vero qui in nativitate Ioannis iam trium mensium incorruptae vulvae fuerat conceptus, supererant ei, ut et ipse secundum humanam nativitatem suppleret menses novem, alii menses sex.

672

## ANONYMUS (saec. IV)

CARMEN<sup>4</sup>

[...] Ne tamen insignem res nulla ostenderet ortum,  
Virgine conciperis: non sufficit esse pudicam,  
Nec quae nupta queat Domino coniungere fratrem,  
Ne procul ex utero contagio turpis abesset.  
Mox ubi processu felix maturuit aetas,  
Indociles animos monitis servare paternis  
Aggrederis, rectamque viam labentibus offers.

673

## FIRMICUS MATERNUS, IULIUS (saec. IV)

## DE ERRORE PROFANARUM RELIGIONUM (343-350)

PL  
12, 1038 Cap. XXVI. [...] Ex virginis terrae limo factus Adam praevacratione propria promissam perdidit vitam. Per virginem Mariam ac Spiritum sanctum Christus natus, et immortalitatem accepit et regnum. [...] Deus Abrahae clarius a coeli sideribus promiserat re-

674

<sup>1</sup> Matth. I, 19.<sup>2</sup> Cf. Lc. I, 39 et 36.<sup>3</sup> Cf. Zach. VIII, 19.<sup>4</sup> Quarto ineunte saeculo in Africa scriptum (PLS I, 180).

● PLS I, 543, 544, 554, 563.

gnum: ideo ex genere Abrahae descendens Maria virgo Deum concipit, ut supradictorum hominum soboles immortalis societatis vinculo iungeretur.

## S. OPTATUS Milevitanus (saec. IV)

### SERMO DE EPIPHANIA

- 675 [...] Accepit et Christus aurum: honorificentia erat istorum, non avaritia illius. Mater gavisura erat de auro? Totum gaudium eius erat in Christo. PLS I, 298

## IGNOTUS (saec. IV)

### TRACTATUS IN LUCAE EVANGELIUM

- 676 Cap. I. [...] Elisabeth] occultabat se mensibus quinque donec PLS I, 330 descenderet in pueru anima, et Spiritu sancto confirmaretur. Agro virginus campus eius exemplo concipiendi roboraretur flore salutis. Occultabat se et erubescet, usquequo puer velut mīlex devotus saltaret ante caelestem imperatorem, et matrem suam matris Domini faceret laudatricem. Usque tunc abscondebat se. Postquam autem salutis progenies coepit virginis pubescere utero, et ad visitandum saeculum propinquare, gloriabantur dicens *quid mihi sic fecit Dominus?*<sup>1</sup> Non Zacharias, sed Dominus, quia a nullo humano adiutorio, sed divino beneficio gaudeo. [...]

- 677 [...] Qui habitat in adiutorium altissimi;<sup>2</sup> non ut adiubet patrem, sed ut adiubet mundum. Et, Iesu fili Dei Altissimi. Erubescat Paulus, Fotinus, et Ebion, quia quem Maria concepit et peperit, non Mariae est, et homo hominis filius; sed filius Altissimi vocabitur. Ecce vocabitur Altissimi filius. PLS I, 331

- 678 [...] Dixit autem Maria ad angelum: quomodo fiet istud, quod vi- rum non novi?<sup>3</sup> Super naturam et substantiam extendis sermonem. Dictum tuum non solum me, sed totum mundum stupescere facit... PLS I, 332

... mater; vivorum Deus pater. Non debet esse ante filium pater qui vitam filio dedit, et nihil accepit a filio? Sicut de illo filius gloriat: *sicut pater habet vitam in se, sic et ego vivo propter patrem,*<sup>4</sup> non pater propter me; et vos vivitis propter me. Et ne diceret sancta

<sup>1</sup> Lc. I, 25.

<sup>2</sup> Ps. XC, 1.

<sup>3</sup> Lc. I, 34.

<sup>4</sup> Io. V, 26 et VI, 58.

## Fortunatianus - Lucifer

165

*recepérunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri,<sup>1</sup> et rursum: *Filioli, adhuc pusillum vobiscum sum.*<sup>2</sup> Hi ergo filii hereditas est, et haec hereditas *merces fructus ventris.* Est ergo Dominus fructus ventris, quem ex se in vitae nostrae fructum pariens Virgo progenuit. Et*

\*701 haec eius merces est, qui ex Virgine nascendo \* fructum ventris esse se voluit: ut ei gentes, quas in filios per fidem generaret, haereditas sit.

PL 10, 733 In psalmum CXXXI, 8. [...] Ex hac enim Iudee tribu Maria 236 est, quae Domino nostro secundum carnem mater fuit.

## HYMNI

PLS I, 274

## Hymnus I.

237

[...] Bis nobis genite Deus,  
Christe! Dum innato nasceris a Deo  
vel dum corporeum et Deum  
mundo te genuit Virgo puerpera:  
Credens te populus rogat [...]

## FORTUNATIANUS Aquileiensis († ante 371)

## FRAGMENTUM

PLS I, 239  
\*240

[...] Sed et virga Aaron, qui in sancta sanctorum floruit, in typum \* Domini flos et fructus ipse virgae accipere potest. In virga quippe Mariam genetricem Domini nostri Iesu Christi, in flore vero ipso Domino praefigurasse accipiendum est. Sicut scriptura ait: *Egredietur virga de radice Iesse.*<sup>3</sup> Hinc de Domino Salomon ait: *Ego sum flos campi et lilia convallium.*<sup>4</sup>

## LUCIFER Calaritanus († 370/371)

## DE NON CONVENIENDO CUM HAERETICIS

PL 13, 779  
\*780

[...] Sic, inquam, sectus est, atque proiectus tuus magister Arius, 239 ut est sectus et reiectus Sabellius, \* qui fuerit ausus unam esse personam Patrem et Filium et Spiritum sanctum defendere; quia fuerit

<sup>1</sup> Io. I, 12.

<sup>2</sup> Io. XIII, 33.

● PL 9, 340, 342, 348, 592, 616, 735, 793, 849, 927.

● PL 10, 10, 65, 81, 91, 98, 152, 165, 172, 192, 201, 222, 230, 246, 284, 322, 347, 348, 378, 381, 383, 384, 386, 395, 403, 411, 455, 489, 507, 509, 512, 521, 522, 526, 655, 675, 717, 725, 735.

● PLS I, 91, 103, 122, 177, 222, 233, 247, 256, ■ 278.

<sup>3</sup> Isa. XI, 1.

<sup>4</sup> Cant. II, 1.

## EPIPHANIUS Latinus (saec. V-VI)

## INTERPRETATIO EVANGELIORUM

- <sup>PLS</sup>  
<sup>III, 836</sup> II. *Exsurgens autem Ioseph a somno, sicut praeceperit ei angelus Domini, accepit coniugem suam et non cognovit eam, donec peperit filium.*<sup>1</sup> **1454** Sic dixisse putatur, quasi post partum eam cognoverit, quia dixit *donec*. Sed quicumque sanae mentis sunt, sic retinere non debent, ut potuissest Ioseph vir iustus, qui et visiones angelorum videbat et, quod faceret, ab angelis discere videbatur, Mariam contingere.
- <sup>PLS</sup>  
<sup>III, 850</sup> XIX. [...] Eva non tantum poma sed peccatum et mortem concupivit, quam dedit viro suo, ut et ipse concupiscentiam mortis manducaret et dominaretur ei omnis iniquitas. Et quantum facilis est mulier ad concupiscendum, tantum facilior est ad peccandum, sicut ait Sapientia: *Inveni virum unum de mille; mulierem autem non inveni.*<sup>2</sup> Et vir quidem non est inventus in praevaricatione, mulier autem inventa est. Quid ergo? Exclusae sunt? Si Mariam sequuntur, salvae sunt. Eva peccando totum mundum replevit. Maria abstinendo se a peccatis caelos replevit. Eva poenas et Gehennam adquisivit et Maria regna caelorum.
- <sup>PLS</sup>  
<sup>III, 900</sup> XXVIII. [...] O sancta virginitas, quae inaestimabile praemium et incomparabilem suscipis laudem! Christum imitata es: Christus te sibi similem facit. Sanctam Mariam virginem secuta es: cum Maria etiam matre Domini inveniris. Virginitas Christum peperit: virginitatem Christus remunerat. O virginitas, cuius laudem exhibit angelorum exercitus, quia mundus indignus est. O sancta virginitas, quae virgo parturis et semper virgo es. Virginitas fidem peperit: fides per baptismum parturit virginitatem.

## FULGENTIUS Mythographus (saec. V-VI)

## DE AETATE MUNDI

- <sup>PLS</sup>  
<sup>III, 1402</sup> XII. Nova saeculi aetas intervenit nostris libellis desiderabiliter exoptanda, cuius adventu radiante lustrati, suavia Christi nascentis crepundia libro currente narrentur necesse est, quippe ex quo et lux refulsit in tenebris, gloria in excelsis, pax in caelis<sup>3</sup> et letitia exorta

<sup>1</sup> Matth. I, 24-25.<sup>2</sup> Eccle. VII, 29.<sup>3</sup> Le. XIX, 38.

est iustis. Ecce hoc ut angelus edicit, pastor audit, Chaldaeus agnovit, Erodes expavit. Quid ergo cessas, lingua? Erisne tacita tui conditoris in adventu perducta? Quo reatu teneberis, si vociferantibus angelis tu tacebis? Ecce igitur descendit ros verbiale coruscans in negotio, latens in verbo. Pulsat auditos virgineos caelestis coniugii disponicator, ubi naufragia non passurus est pudor. Indicit nuptias in quibus nec divinitas patris polluitur nec genetricis integritas violatur; fit aure casta conceptus, fit plenitudo uteri et nullus est pondus; et sic intacto pudoris sigillo prosilit partus. Sed ecce quid in hac desponsatione sacer pronubus edicat, agnoscatur. *Ave*, inquit, *gratia plena*,<sup>1</sup> et illud quod sequitur. Fateor, tractans hoc ipsum obstipui, in desponsationibus suis quos ordines habeant caeli. Ecce ut video, nulla adhuc petendi fit enarratio, nulla de vocabulo sponsi cognitio, nulla de dotis \* quantitate conlatio: et gratiae fructu gravidata est virgo. Sed ecce dotis celsitudo nuper edicitur et disponicator qui fuerit declaratur. Dicit angelus: *Spiritus sanctus superueniet in te*:<sup>2</sup> ecce significatio certa vocabuli. At vero: *Regni eius non erit finis*:<sup>3</sup> quae erit ultra dos ab hac dote superior, regnandi perennitate concessa.

\*1403

### IGNOTUS (saec. V vel VI)

#### IN EVANGELIUM MATTHAEI OPUS IMPERFECTUM<sup>4</sup>

1458

*Homilia I. [...] Generatio autem Christi sic erat.*<sup>5</sup> Quoniam superius dixerat, *Iacob autem genuit Ioseph*, cui desponsata Maria genuit Iesum: ne aliquis audientium aestimaret, sic esse Christi nativitatem, quomodo praecedentium patrum, ipse ordinem suae narrationis praecidens addidit, et dicit: *Generatio autem Christi sic erat*: ac si dicat: «Generatio quidem eorum, quos exposuimus, patrum, sic fuit quemadmodum retuli: Christi autem generatio non ita, sed sic». Quomodo? *Maria cum esset desponsata Ioseph, priusquam convenienter, inventa est in utero habens*,<sup>6</sup> id est, ex virgine sine patre, ut eius

PG  
56, 630<sup>1</sup> Le. I, 28.<sup>2</sup> Le. I, 35.<sup>3</sup> Le. I, 33.<sup>4</sup> Exstat inter spuria S. Io. Chrysostomi. Cf. Cay I, 546 et Bar II, 129, Clavis 707.<sup>5</sup> Matth. I, 18.<sup>6</sup> Matth. I, 18.

● PLS IV, 907, 924, 940, 954.

● PLS III, 833, 890, 905, 956, 1135, 1139, 1140.

● Ps.-THEOPHILUS (saec. V/VI), PLS III, 1284, 1323.

## S. FULGENTIUS Ruspensis (465/467 † 533)

## AD TRASIMUNDUM

<sup>PL</sup>  
<sup>65,</sup> <sup>252</sup> Lib. II, cap. VII. [...] Illa quoque sine initio credatur esse nativitas, quae de sempiterno Deo substantialis ac sempiterna subsistit. Ipse igitur sine matre in divina substantia, quae est ex solo Patre naturaliter genitus; ipse sine patre, fructus inviolatae virginis, quam complexus non contigit maritalis; ipse sine genealogia, de quo scriptum est: *Generationem eius quis enarrabit?*<sup>1</sup>

<sup>PL</sup>  
<sup>65,</sup> <sup>274</sup> Lib. III, cap. VII. [...] Ille igitur ineffabilis Deus, de Patre naturaliter sine initio genitus, postquam venit plenitudo temporis, ut missus a Patre, fieret ex muliere, fieret sub lege, *ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum recipieremus,*<sup>2</sup> totus est regnans in sinu Patris, totus semetipsum formans in utero Virginis.

Cap. VIII. Neque enim pars eius remansit in Patre, et pars eius descendit in Virginem, cum totus in Patre maneret quod erat, et totus in Virgine fieret quod non erat; totus cum Patre totum implens et continens mundum, totus sibi in utero Virginis aedificans domum (scriptum est enim: *Sapientia aedificavit sibi domum*);<sup>3</sup> totus in Patre sempiterno, totus in homine suscepto, totus in caelo, totus in mundo, totus etiam in inferno: sic in se totum hominem verus Deus et summus accepit, et sic plenitudo divinitatis, veritate divinae humanaeque substantiae inconfusibiliter permanente, semetipsum pleno coniunxit homini, ut unitate deinceps in aeternum manente personae, nec homo Christus a sua divinitate, nec idem Deus Christus a sua posset humanitate disiungi.<sup>4</sup>

## EPISTOLAE

## EPISTOLA III AD PROBAM

<sup>PL</sup>  
<sup>65,</sup> <sup>326</sup> Cap. IV, 6. Virginem sacram te sibi munere gratuito fecit, qui *omnia quaecumque voluit fecit*<sup>5</sup> a quo ideo gratia nullis praecedentibus meritis datur, ut illi semper gratiarum actio pura cordis humilitate reddatur. Hic est autem unigenitus Dei Filius, unigenitus etiam Virginis filius, unus omnium sacrarum virginum sponsus, sanctae virginitatis fructus, decus et munus; quem corporaliter

<sup>1</sup> Isa. LIII, 8; CCL XCI, 128.

<sup>2</sup> Gal. IV, 5.

<sup>3</sup> Prov. IX, 1.

<sup>4</sup> CCL XCI, 153.

<sup>5</sup> Ps. CXIII, 11.

saneta virginitas peperit; cui spiritualiter sancta virginitas nubit; a quo sancta virginitas fecundatur, ut perseveret intacta; a quo decoratur, ut permaneat pulchra; a quo coronatur, ut regnet perenniter gloriosa.<sup>1</sup>

### DE INCARNATIONE FILII DEI

- 1504** 13. [...] Solus enim Filius humanam carnem animamque suscepit. Ad ipsum solum enim naturaliter divina nativitas pertinebat. Et qui solus natus est de Patre, solus nasci potuit et de Virgine. Qui nisi homo ex homine fieret, naturae nostrae particeps non fuisset. Ideo ergo factum est ut veram carnem acciperet de carne Virginis, ut cum illo nobis vera maneret communio naturalis. Quomodo enim vel antiquos Patres, vel cuiusquam temporis homines, in consortium suae divinitatis aseisceret, si cum eis naturale carnis consortium non haberet? <sup>PL 65, 581</sup><sup>2</sup>
- 1505** 15. [...] Hoc itaque convenit verae fidei, neque Patrem, neque Spiritum, sed Filium, sicut solum natum de Deo Patre, sic solum natum de Maria virgine confiteri.<sup>3</sup> <sup>PL 65, 582</sup>

### DE VERITATE PRAEDESTINATIONIS ET GRATIAE DEI

- 1506** Lib. I, cap. II, 4. [...] *Omnis qui facit peccatum servus est peccati.*<sup>4</sup> <sup>PL 65, 605</sup> 5. Ab hac servitute, qua nascentes parvuli tenentur obstricti, solus unus mediator Dei et hominum homo Christus Iesus liber est genitus; qui licet verus homo natus fuerit, non tamen interveniente concupiscentia carnis, nec ex concubitu maris et feminae, sed de sancto Spiritu natus, ita veram carnem de carne matris accepit, ut Deus verus non culpam humanae sumeret originis, sed naturam; et peccata in corpore suo non facienda reciperet, sed delenda portaret. Apostolicae namque praedicationis veraciter auctoritas docet quia *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius;*<sup>5</sup> et, *Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut a peccatis separati cum iustitia vivamus.*<sup>6</sup> Solius eius mater sicut virgo fuit ante conceptum, sic virgo permansit inviolata post partum; quia nec libidinem sensit cum Deum conciperet in utero factum mirabiliter hominem, nec aliquam corruptionem dum in vera nostri generis carne pareret humani ge-

<sup>1</sup> CCL XCI, 214, 215.

<sup>2</sup> CCL XCI, 323.

<sup>3</sup> CCL XCI, 325.

<sup>4</sup> Io. VIII, 34.

<sup>5</sup> I Petr. II, 22.

<sup>6</sup> I Petr. II, 24.

neris Redemptorem. Deus namque verus veram ex virgine suscipiens carnem, perfectionem ex ea humani corporis sumpsit, virginitatis ei gratiam non ademit. Neque enim decebat ut integratatem virginitatis creator humanae carni Deus in conditione tribueret, et idem carnis humanae susceptor Deus, quod fecerat redempturus, virginitatem carni de qua nascebatur auferret. Ipse est secundus homo de coelo, qui non ideo de coelo dicitur, quia inde secum voluit deponere substantiam sui corporis; sed quia nihil in se terrenae cupiditatis forma servi habere potuit, quam in unitatem personae Deus creator coeli terraque suscepit.

Cap. III, 6. Non ergo coeleste corpus ad terram depositum, sed ad coelum Deus in se naturam veram terreni corporis elevavit. Hanc terreni corporis veritatem de terreno corpore matris accipiens, in carne sua nostra peccata portavit, cum non haberet ullam vel originis, vel operis culpam. Dicit enim \*Isaias, quia *peccata nostra ipse portavit*.<sup>1</sup>

\*606

EPISTOLA XVII<sup>2</sup>

**PL 65, 454** Cap. III, 5. Si autem Deus Verbum sic in virgine caro fieret, **1507** ut ex ea non fieret, procul dubio non de carne matris idem Deus haberet substantiam carnis, essetque eius per virginem transitus, atque ita nec mediatoris sacramentum nobis proficeret ad salutem, nec humanae divinaque plenam in se Christus Dei Filius inconfusibiliter uniret substantiae veritatem. Hoc ergo medicinaliter usus est bonitas divina remedium, ut ille Unigenitus Deus, qui est in sinu Patris, non solum in muliere, sed etiam ex muliere fieret homo. Quod indubitanter divinis credere atque confiteri (*al. profiteri*) iubemur oraculis. In ea quippe Deum hominem factum propheta non tacuit, dicens: *Mater Sion dicet: homo et homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus*.<sup>3</sup> Esaias quoque Spiritu sancto plenus, futurae incarnationis Filii Dei sic praenuntiat sacramentum: *Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel*, quod interpretatur *Nobiscum Deus*.<sup>4</sup> Quia ergo ille quem in utero virgo concepit et peperit, \**Nobiscum Deus* vocatur, Deus utique in utero virginis conceptus, natusque cognoscitur. In Evangelio quoque dicitur de Maria: *Inuenta est in utero habens de Spiritu sancto*.<sup>5</sup> Ioseph

\*455

<sup>1</sup> Isa. LIII, 11; CCL XCI<sup>A</sup>, 460, 461.

<sup>2</sup> Seu liber S. Fulgentii et aliorum quindecim Episcoporum africanorum ad Petrum Diaconum.

<sup>3</sup> Ps. LXXXVI, 5.

<sup>4</sup> Isa. VII, 14; Matth. I, 23.

<sup>5</sup> Matth. I, 18.

etiam, quem virum Maria non ad concubitum corruptelamque carnis, sed ad testimonium custodiamque sacrae virginitatis et castissimae fecunditatis habuit, angelico sic admonetur oraculo: *Ioseph fili David, ne timeas accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.*<sup>1</sup> Ex ipsa quoque factus coelestibus demonstratur eloquiis; dicit enim Apostolus: *Postquam autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.*<sup>2</sup> Romanis etiam scribens, ut verum firmumque ponere se demonstraret fundamentum fidei, epistolae suae tale collocavit exordium: *Paulus, servus Iesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos, in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.*<sup>3</sup> Timotheo quoque dilecto filio in fide, principaliter huius fidei sollicita commendat affectione memoriam, dicens: *Memor esto Christum Iesum resurrexisse a mortuis ex semine David secundum Evangelium meum.*<sup>4</sup> Ad ipsam quoque beatam virginem, futuram scilicet creatoris sui, imo omnium rerum, genitricem, Gabriel angelus hoc usus invenitur alloquio (*al. eloquio*): *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque quod nasceretur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.*<sup>5</sup>

1508

7. Beata igitur Maria Deum Verbum, secundum quod caro factum est, et concepit et peperit: cuius utero Verbum Deus non carnem in qua conciperetur intulit: nec ex ea materiam concepta sive formatae carnis non ipse Deus concipiendus, sed tantum nasciturus assumpsit; sed ex eadem et in eadem virgine \* humanae carnis nataram, secundum quam temporaliter Deus sempiternus conciperetur et nasceretur, accepit. Ipsa quippe acceptio carnis fuit conceptio virginalis: neque enim in utero sanctae illius et matris et virginis illa spiritalis et ex Deo Patre sine initio genita Verbi Dei natura poterat absque carne temporaliter concipi, sicut nec caro sine Verbi Dei unitione potuit aliquatenus, nullius viri coitu seminata, in intimo vulvae virginalis innasci. Hanc ergo carnem tunc ex se natura virginis concipientis exhibuit, cum in eam Deus concipiendus advenit. Non est igitur aliquod intervallum temporis aestimandum inter conceptae carnis initium et concipiendae maiestatis adventum. Una quippe fuit in utero Mariae Virginis conceptio divinitatis et carnis, et unus est Christus Dei Filius in utraque

PL  
65, 455

\*456

<sup>1</sup> Matt. I, 20.<sup>2</sup> Gal. IV, 4.<sup>3</sup> Rom. I, 1-3.<sup>4</sup> II Tim, II, 8.<sup>5</sup> Le. I, 35; CCL XCI<sup>A</sup>, 566-567.

natura conceptus, ut maculam vitiatae propaginis inde inciperet abolere, unde in unoquoque nascentium videbatur existere.<sup>1</sup>

<sup>PL</sup>  
<sup>65, 456</sup> 9. Verbum igitur Deus, id est Unigenitus Dei Filius, qui est in omnibus (sicut ipse testatur) *alpha et omega, initium et finis*,<sup>2</sup> sic initialiter secundum humanam naturam concipi carne non abnuit,

<sup>\*457</sup> sicut eadem carne moriens Deus humanae naturae \*debitum finale persolvit. Nullatenus namque humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi in unionem Verbi Dei, non naturali confusione, sed solum personali unitate transiret: Verbum quippe cum caro fieret, unitione mirabili suam naturam fecit quam ex nobis accepit. In qua tamen unitione deifica et omnino mirabili Verbi divinitas mutata non est in carnem, veraque Verbi humanitas naturalem prorsus tenuit nostri generis veritatem. Virgo igitur (quod saepe commemorandum est) ipsum Deum Verbum, secundum hoc quod in ea caro factum est, et concepit et peperit, et illum Unigenitum Deum, virtutem scilicet et sapientiam Dei, candorem lucis aeternae, et speculum sine macula Dei maiestatis, et imaginem bonitatis illius,<sup>3</sup> splendorem gloriae, et figuram substantiae eius, quem sine ullo initio de sua natura sempiternum atque incommutabilem, genuit incommutabilis ac sempiterna divinitas Patris, eumdem in humana natura totum plenumque Deum et hominem initialiter concepit, et peperit uterus virginalis.<sup>4</sup>

<sup>PL</sup>  
<sup>65, 458</sup> 12. Hoc itaque habuit Dei hominisque mirabilis quidem, sed verus ille secundum carnem conceptus et partus, quo Deum coeli virgo ineffabiliter concepit et peperit, et virgo genitrix inviolata permansit: illa scilicet *gratia plena et benedicta in mulieribus*<sup>5</sup> veraciter ab angelo nuncupata; quod gratiae praevenientis ope, atque opere Spiritus sancti superveniente in se, et virtute Altissimi obumbrante sibi, Deum Dei Filium conceptura, viri coitum nec pertulit omnino, nec voluit, sed virginitatem retinens et mentis et corporis ab eo quem conceptura, et paritura erat, donum incorruptae fecunditatis et fecundae integratatis accepit. Ita Deum Verbum secundum quod caro factum est, virgo sancta concepit, angelorum hominumque factorem, eumdemque nihilominus virgo peperit hominum Redemptorem. Neque enim sancta Virgo Maria Deum sine carnis assumptione, aut carnem sine Dei unitione concepit, quia ille conceptus virginis Deo fuit carnique communis.

<sup>1</sup> CCL XCI<sup>A</sup>, 568.

<sup>2</sup> Apoc. I, 8.

<sup>3</sup> Sap. VII, 26.

<sup>4</sup> CCL XCI<sup>A</sup>, 569-570.

<sup>5</sup> Le. I, 28.

13. Haec est gratia qua factum est ut Deus, qui venit peccata tollere, quia peccatum in eo non est, homo conciperetur atque nascetur in similitudine carnis peccati, de carne peccati. Caro quippe Mariae, quae in iniquitatibus humana fuerat solemnitate concepta, caro fuit utique peccati, quae Filium Dei genuit in similitudinem carnis peccati. Testatur enim Apostolus: *Quia misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati:*<sup>1</sup> illum scilicet qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semet ipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudine hominum factus.<sup>2</sup> Propterea vero in similitudine carnis peccati missus est Dei Filius, idemque est in similitudinem hominum factus, ut et similis hominibus fieret in veritate carnis quam ipse creaverat, et dissimilitudinem nostram Deus in carne sine peccato creatus auferret, quam nostrae carni non ex opere suo, sed ex nostro peccato inesse cernebat. In similitudine igitur carnis peccati Dei Filius missus apparuit, quia in eius vera humana carne non iniquitas hominis, sed mortalitas fuit. Similitudo vero carnis peccati cum in Dei Filio, vel potius Dei Filius in similitudine carnis peccati cum dicitur, credendum est Unigenitum Deum de Virginis carne mortali non traxisse peccati sordem, sed accepisse naturae integrum veritatem, ut veritatis ortus de terra existeret, quem prophetali sermone beatus David insinuat dicens: *Veritas de terra orta est.*<sup>3</sup> Vere igitur Deum Verbum Maria concepit, quod in carne peccati peperit, quam Deus accepit.

1511

Cap. VII, 14. Sed ipsum Deum hominem factum et concipere et parere, non humanis meritis, sed concepti nascentisque \* ex ea summi Dei dignatione promeruit. Nisi enim Verbum Deus humnam sibi uniens singulariter naturam ex virgine homo verus nascetur, et plenus, nunquam nobis carnaliter natis spiritualiter ex Deo nascendi conferretur exortus: sed ut carnalibus donaretur divina nativitas, prius concepta et nata est in veritate carnis Unigeniti Filii divina maiestas.<sup>4</sup>

1512

Cap. XIII, 27. [...] Ipse igitur in similitudine carnis peccati mirabiliter, quia singulariter, natus, solus est masculus adaperiens vulvam qui in veritate sanctus Domino vocaretur. Vulvam quippe matris eius non concupiscentia mariti concubentis, sed omnipotentia Filii nascentis aperuit.<sup>5</sup>

1513

Cap. XX, 40. [...] Non ergo Spiritum sanctum, quia ereditimus, PL 65, 476

<sup>1</sup> Rom. VIII, 3.

<sup>2</sup> Phil. II, 6-7.

<sup>3</sup> Ps. LXXXIV, 12.

<sup>4</sup> CCL XCIA, 571-572.

<sup>5</sup> CCL XCIA, 583.

sed ut crederemus, accepimus. Forma enim praecessit in carne Christi, quam in nostra fide spiraliter agnoscamus. Nam Christus Filius Dei secundum carnem de Spiritu sancto conceptus et natus est. Carnem autem illam nec concipere Virgo posset aliquando, nec parere, nisi eiusdem carnis Spiritus sanctus operaretur exortum. Sic ergo in hominis corde nec concipi fides poterit, nec augeri, nisi eam Spiritus sanctus infundat et nutriat. Ex eodem namque Spiritu renati sumus, ex quo natus est Christus. *Eodem igitur Spiritu Christus formatur secundum fidem in corde uniuscuiusque credentis, quo Spiritu secundum carnem formatus est in utero Virginis.* Ideo propheta ex persona fidelium clamat ad Dominum: *Propter timorem tuum, Domine, in utero concepimus et parturivimus Spiritum salutis tuae; iustitiam non fecimus super terram.*<sup>1</sup> Sicut autem non solum priusquam Virgo Maria Christum conciperet, sed etiam priusquam se conceptoram agnosceret, *gratia plena* angeli voce nuncupata est, cum nulla eius praecessisset (*al. praecederet*) concipiendi Filii Dei vel cognitio, vel voluntas, ut agnosceretur ex gratia Dei esse tam ipsa obediens voluntas Virginis, quam conceptio Domini Salvatoris; sic homo priusquam credere velle incipiat, gratia donantis infunditur cordi, ut incipiat in homine per fidem Christus formari. Cum autem Christus in unoquoque formatur, ipse se forma; quia ipse fidem in corde uniuscuiusque credentis initiat.<sup>2</sup>

## DE FIDE SEU DE REGULA VERAE FIDEI AD PETRUM

PL  
65. 679

17. Dei ergo Filius unigenitus, qui est in sinu Patris, ut carnem hominis animamque mundaret, susceptione carnis atque animae rationalis incarnatus est; et qui est Deus verus, homo verus factus est, non ut alter Deus esset alter homo, sed idem Deus, idem homo. Qui ut illud peccatum quod in concubitu mortalis carnis generatio humana contraxit auferret, conceptus est novo more, Deus incarnatus in matre virgine, sine coitu viri, sine libidine concipientis virginis: ut per Deum hominem, quem absque libidine conceptum inviolatus edidit virginis uterus, ablueretur peccatum quod nascentes trahunt omnes homines: quibus in corpore mortis huius talis est nascendi conditio: ut matres eorum fecunditatis opus implere non possint, nisi prius virginitatem carnis \*amiserint. Solus igitur abstulit peccatum conceptionis atque nativitatis humanae Deus Unigenitus, qui dum conciperetur veritatem carnis accepit ex virgine, et cum

<sup>1</sup> Isa. XXVI, 18.<sup>2</sup> CCL XCIA<sup>a</sup>, 594.

\*680

1514

nasceretur integritatem virginitatis servavit in matre. Ista causa est qua Deus factus est filius virginis Mariae, et Maria virgo facta est mater Unigeniti Dei: ut quem Pater genuit ex aeternitate, ipsum virgo conceptum proferret in tempore: illa utique virgo, quam Deus, qui de ea fuerat nasciturus, ita singulari gratia praevenit atque replevit, ut ipsum haberet ventris sui fructum, quem ex initio habet universitas Dominum: et ipsum sibi videret nascendi solemnitate subditum, quem in unitate paternae substantiae non solum humana, sed etiam angelica creatura cognoscit et adorat Altissimum.

1515

18. Sic ergo peccatum et poena peccati, quae per scelus corruptae mulieris intravit in mundum, per inviolatae virginis partum aufertur a mundo. Et quia in conditione generis humani per mulierem quae de solo viro facta est, contigit ut mortis vinculo teneremur obstricti, hoc in redemptione humani generis divina bonitas egit, ut per virum qui de sola muliere natus est, vita hominibus redderetur. Illic humanam naturam nequissima deceptione sibi diabolus in peccati similitudinem sociavit; hic Deus humanam naturam in unitatem personae suscepit. Ibi femina decepta est, ut fieret filia diaboli: hic virgo gratia repleta est, ut fieret mater summi atque incommutabilis Unigeniti Dei. Ibi angelus deiectus per superbiam, seductae mulieris animum obtinuit; hic Deus humilians se per misericordiam, incorruptae virginis uterum ex ea nasciturus implevit. Dei enim Filius Iesus Christus qui in forma Dei erat (quod nisi ex natura Patris natus esset, esse non posset), ipse, secundum apostolicam doctrinam, *semetipsum exinanivit formam servi accipiens.*<sup>1</sup>

PL  
65, 680

1516

Cap. XVIII, seu Reg. XV.

PL  
65, 698  
\*699

59. Firmissime tene, et nullatenus dubites, carnem \* Christi non sine divinitate conceptam in utero Virginis, priusquam suspicere tur a Verbo; sed ipsum Verbum Deum suae carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem Verbi incarnatione conceptam.<sup>2</sup>

## SERMO II. IN NATALI DOMINI

1517

6. [...] *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis.*<sup>3</sup> Primum hominem mulier corrupta mente decepit, secundum hominem virgo incorrupta virginitate concepit. In primi hominis coniuge nequitia diaboli seductam depravavit mentem, in secundi autem hominis matre gratia Dei et mentem integrum ser-

PL  
65, 728<sup>1</sup> Philipp. II, 7; CCL XCI<sup>A</sup>, 722-723.<sup>2</sup> CCL XCI<sup>A</sup>, 750.<sup>3</sup> I Cor. XV, 47.

vavit et carnem: menti contulit firmissimam fidem, carnis abstulit omnino libidinem. Quoniam igitur miserabiliter pro peccato damnatus est homo, ideo sine peccato mirabiliter natus est Deus homo.

<sup>PL 65, 728</sup> 7. Attendite, fratres, medicinalis gratiae lineas, divina nobis benignitate monstratas. Tunc ad Evam angelus malus accessit, ut per eam homo, quem Deus fecerat, a Deo separaretur; nunc autem ad Mariam bonus angelus venit, ut in ea humanae naturae Deus Unigenitus uniretur. Venit ad Evam diabolus, ut vitam nobis malignus auferret; venit ad Mariam Gabriel, ut vitam reddendam hominibus nuntiaret.<sup>1</sup>

1518

## SERMO III. DE S. STEPHANO

<sup>PL 65, 730</sup> 3. Caritas ergo quae de coelo ad terras depositum Christum, ipsa Stephanum de terra elevavit ad coelum. Caritas quae praecessit in Rege, ipsa subsequenter refulsit in milite. O admiranda ubique potentia Salvatoris! O praedicanda indesinenter gratia Redemptoris! Ostendit in matre virginitatis aeternae miraculum, demonstravit in martyre invictae caritatis indicium. Integritas quippe intemerata permansit in virgine, dilectionis virtus invicta perseveravit in martyre. Et sicut in matre Domini non potuit virginitas violari, sic in martyris mente non potuit Christi caritas tanto saevientium agmine superari.<sup>2</sup>

1519

FRAGMENTUM<sup>3</sup>

<sup>PLS III, 1350</sup> Cum quaeritur quem Spiritum sanctum virgini angelus annuntiavit, ipsum utique dicimus qui Spiritus est Patris et Filii, sine quo non solum formari caro Christi non potuit vel baptizari, sed neque a mortuis suscitari.

1520

<sup>1</sup> CCL XCIA, 902.

<sup>2</sup> CCL XCIA, 906.

<sup>3</sup> A. Mai, Scriptorum veterum nova collectio.

■ PLS III, 1372, 1373.

● PLS III, 1429.

● PL 65, 188, 189, 208, 220, 222, 228, 229, 230, 231, 233, 242, 250, 251, 277, 279, 289, 297, 299, 316, 320, 366, 367, 370, 371, 372, 391, 402, 408, 410, 420, 426, 452, 453, 463, 492, 502, 515, 516, 517, 520, 523, 528, 530, 540, 575, 576, 582, 584, 675, 676, 677, 678, 679, 697, 699, 729, 735, 736, 751, 762, 804, 807, 810, 825, 826.

Sermo II in PL 65, 838 est Ambrosii Antperti (cf. PLS III, 1334). De ELEUTHERIO Tornacen. atque de eius sermonibus spuriis vel dubiis cf. PLS III, 1332.

● IOANNES PP. II († 535): PL 66, 15, 16, 20, 22.

■ PL 66, 78, 79.

illustrare potest, a nullo tamen eorum nisi a solo oculo capi potest. Solus est enim oculus qui capax est [*al. sit*] lucis. Et Filius ergo Dei nascitur ex Virgine, non principaliter soli carni sociatus, sed anima inter carnem Deumque media generatus. Anima ergo media, et in secreta rationabilis spiritus arce Verbum Dei capiente, absque ulla quam suspicaris iniuria, Deus est natus ex Virgine. Et ideo nihil ibi turpe putandum est, ubi sanctificatio spiritus inerat, et anima, quae erat Dei capax, particeps fiebat etiam carnis. Nihil ibi ducas impossibile, ubi aderat virtus Altissimi. Nihil de humana fragilitate cogites, ubi plenitudo inerat divinitatis.<sup>1</sup>

S. GAUDENTIUS Brixensis († 410/411)

TRACTATUS VEL SERMONES

- 775 Sermo III. [...] *Agnus enim perfectus, masculus*, inquit, *anniculus erit vobis:*<sup>2</sup> ut nihil mediocre de perfecto sentias, nihil infirmum de masculo, nihil de anniculo semiplenum. Perfectus est, *quia in eo habitavit omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*<sup>3</sup> Masculus est, quippe quia vir nasci dignatus est ex Virgine, ut sexui utriusque consuleret. PL 20, 865
- 776 Sermo VIII. [...] Benedixit ergo quod constituerat a primordio legitimum Christus coniugium, dum pergere ad nuptias non renuit invitatus: et tamen virginitatem docuit esse meliorem, dum magis per eam nasci dignatur. Probavit sanctam Virginem suum esse domicilium Deus, ubi columen pudoris perpetuum servet ingressus, dum sine detimento integritatis maternae nascitur, sine corruptela conceptus. [...]. PL 20, 888
- 777 Sanctus evangelista non absolute ait, *die tertia nuptiae fiebant;* PL 20, 896 sed coniunctione praeposita loquitur, *et die tertia nuptiae fiebant in Cana Galilaeae: et erat mater Iesu ibi.*<sup>4</sup> Ubi? Utique apud gentes; nam beatam Mariam constat de gente moabitarum ex matre traxisse originem. *Booz enim genuit Obed ex Ruth,* utique illa muliere moabitide. *Obed autem genuit Iesse: Iesse genuit David regem;*<sup>5</sup> de cuius semine nascitur Ioseph, cui desponsata virgo Maria (eiusdem quippe tribus, quia aliter non licebat) quae genuit Iesum, qui dici-

<sup>1</sup> CCL XX, 147, 148, 149.

<sup>2</sup> Exod. XII, 5.

<sup>3</sup> Coloss. II, 9.

<sup>4</sup> Io. II, 1.

<sup>5</sup> Matth. I, 5.

● PL 21, 319, 330, 344, 376, 377, 386, 603, 625.

■ PL 21, 713, 938. Quoad Comm. in LXXV Davidis psalmos, PL 21, 641, cf. PLS I, 1097.

tur Christus. Ibi ergo erat mater Iesu: *vocatus est autem et Iesus, et discipuli eius ad nuptias.*<sup>1</sup> Magnum mysterium pietatis!

PL 20, 899 Sermo IX. [...] Teneamus ergo gratiam Spiritus sancti, largo 778 munere Sponsi coelestis infusam, ne ad inopiam pristinam revertamur. De qua inopia tunc in aenigmate ait Mater Domini ad eum, *vinum non habent.*<sup>2</sup> Sed iam quid Dominus ei responderit, attonitis mentibus audiamus. Ait illi Iesus: *Quid mihi et tibi est, mulier? Non dum venit hora mea.* Iuxta intellectus simplicis rationem probare suffecerit, beatam Mariam virginem sexus causa mulierem nuncupatam, sicut in Genesi de Eva scribitur: *Et iniecit Dominus soporem in Adam, et obdormivit: et sumpsit unam de costis eius, et superplevit carnem in loco eius. Et aedificavit Dominus Deus costam, quam sumpsit ab Adam, in mulierem: et utique in virginem figuravit illam, et adduxit eam ad Adam. Et dixit Adam: Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea: haec vocabitur virago, quia de viro suo sumpta est.*<sup>3</sup> Sed dicat fortasse aliquis parvae fidei, ac parum prudens, virginem quidem Mariam non ex viro concepisse Christum, sed de Spiritu sancto, ut in Evangelio<sup>4</sup> ad eam loquitur archangelus Gabriel; nato tamen Christo virginem dici ultra non posse quam constet edidisse partum; et ideo non dixisse Christum: *Quid mihi et tibi est, virgo?* sed *quid mihi et tibi est, mulier?* Audi ergo divinam rationem spei communis, ac vitae. Nascitur Christus non sibi, sed nobis. Nascitur enim qui semper erat: nascitur qui in principio erat et Filius Dei, et Verbum Dei, et Deus. Hic ideo prope finem saeculi ex Virgine natus est, *ut Verbum caro factum habitaret in nobis,*<sup>5</sup> permanens tamen Deus esse, quod semper. Nascitur autem Filius Dei in homine, ut vel ita conditorem suum intueri caperet mundus: et nascitur de Spiritu sancto ex Virgine, ut hominem, quem de limo terrae plasmaverat, sancto Spiritu ex massa eadem reformaret. Si credimus conceptum Virginis, credere debemus et partum: utrumque impossibile videtur homini, sed est omnipotentiae divinae parvum. Quid enim Deo magnum (ut omittam sublimiora eius opera) qui ex nihilo fecit terram, et de terrae limo carnem, et de carne viri feminam, ita ut \*neque pars reliqua terrae aliud esset quam fuerat, neque Adam minus haberet quod Deus abstulerat, neque femina hoc esset tantum quod ex viro sumptum fuerat? Integer Adam ossa sua, et carnem recognoscit in femina,

<sup>1</sup> Io. II, 2.

<sup>2</sup> Io. II, 3.

<sup>3</sup> Gen. II, 21-23.

<sup>4</sup> Le. I, 35.

<sup>5</sup> Io. I, 14.

dicens: *Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea;*<sup>1</sup> et tu non vis, ut eum qui haec operatur, integra Virgo filium recognoscat? Qui sine corruptela matris conceptus creditur, cur non etiam sine corruptela editus praesumatur? Incorrupta Virgo peperit, quod intacta Virgo concepit. Integritatem nascendo violare non potuit, qui venerat redintegrare naturam. Cuius facti fidem si quis adhuc terrena cogitatione depressus, sensuque carneo praepeditus, tardiore gradu sequitur, ac de Dei omnipotentia infideli corde cunctatur, discat ex Evangelio Ioannis:<sup>2</sup> eumdem Deum post resurrectionem suam, bis ad Apostolos, ubi erant in domo congregati propter metum iudeorum, clausis utique ianuis introisse: et certo ingressus. Ne autem non in carne vera esse, sed in phantasmate putaretur, manus suas, caeteraque membra Thomae apostolo attricata ingerit dubitanti. Similiter et in Evangelio beati Lucae simul discipulis omnibus contestatur ingressus: *Palpate me, et videte, quoniam spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.*<sup>3</sup> O miranda fides! Reseratae non sunt ianuae, et ipse intrinsecus cum vero corpore apostolicis non solum videtur oculis, sed et manibus pertractatur! Veritas mirabilis facti, cuius rationem non nisi sola fides assequitur, omnipotentiam clamat auctoris: nec ideo negabitur factum, quia magnitudinem divini operis pusillitas mentis humanae non tenuerit. Eadem ergo divinitatis virtute per inviolabilem feminam, mundi huius intravit hospitium, claustrum virginei pudoris etiam nascendo conservans, qua et post resurrectionem ianuis obseratis, domum potuit corporeus introire. Illud etiam quaestioni huic solvendae quam maxime congruit, quod Apostolus Christum memorat *editum de muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant, redimeret.*<sup>4</sup> Utique ut sic illa, cum Virgo sit, mulier appelletur, veritate sexus, non detimento integratatis; quomodo Deus Dei Filius ob dispensationem salutis nostrae sub Lege factus esse praedicetur, cum dator ipse sit Legis. Hoc totum pro beatitudine Mariae dixerim, cum illam Christus mulierem nuncupaverit, quae divino partu sic coepit esse mater, ut virgo sacratior permaneret. Quod vero ait: *Quid \* mihi et tibi est? Nondum venit hora mea,*<sup>5</sup> non mihi videtur ista responsio ad illam suggestionem Mariae sensibiliter convenire, nisi in mysterio locutus esse spiritualiter Dominus dicatur; ut quoniam vinum Spiritus sancti ante passionem Christi, ac resurrectionem,

\*901

<sup>1</sup> Gen. II, 23.<sup>2</sup> Io. XX, 19 ss.<sup>3</sup> Lc. XXIV, 39.<sup>4</sup> Galat. IV, 4.<sup>5</sup> Io. II, 4.

gentibus dari non poterat (evangelista testante, *nondum erat Spiritus datus, quia Iesus necdum fuerat glorificatus*),<sup>1</sup> merito tunc inter initia signorum, matri responderit: *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea;* tamquam si diceret: «Quid tam praepropera est tua, o mulier, suggestio, cum hora passionis meae nondum adveniret, qua perfectis omnibus vel doctrinae, vel operationum divinarum virtutibus, pro vita credentium mori disposui? Post passionem resurrectionemque meam, cum ad Patrem rediero, tunc eis donabitur vinum Spiritus sancti». Quapropter et ipsa beatissima, agnito responsionis huius profundo mysterio, intellexit, non suggestionem suam praesentem aspernanter acceptam, sed secundum illam spiritualem rationem in mysterio tunc dilatam. Caeterum numquam mandaret ministris, *Quodcumque dixerit vobis, facite*,<sup>2</sup> nisi Spiritu sancto post partum divinum plena, non solum responsionis Christi virtutem cognovisset, verum etiam faciendi ab eo tunc ex aqua vini universum ordinem praevidisset. Quid enim lateret Sapientiae matrem, capacem Dei, aedem dignissimam tantae virtutis?

<sup>PL 20, 934</sup> Sermo XIII. [...] Sic ergo coepit esse quod prius non erat, ut 779 non desisteret esse quod erat. Hanc omnipotentiam Filii Dei, et hominis, etiam mater Virgo testatur; quae de Spiritu sancto concipiens, ita Deum et hominem, quem pudico utero gestaverat, edidit, ut apud incorruptam tanti nominis matrem, post divinum partum gloriosior integritas permaneret. Divinum recte diximus partum, quia Deus est iste qui per Virginem natus in carne est; dicente Gabriele archangelo ad eamdem: *Quod nasceretur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>3</sup> Ex quo enim carnem nostrae fragilitatis assumpsit, idem Filius est hominis qui et Dei; quia non alias ex Maria natus est, quam qui per maternas illapsus aures, uterum Virginis opplevit. Sancto videlicet Spiritu ipse formans hominem suum, siquidem *sapientia aedificavit sibi domum:*<sup>4</sup> habitaculum quippe corporis nostri iam suum, quo habitaculo indutus est; sine ullo damno integritatis maternae, egreditur. Nam beatissima Maria incorruptibilem pariens, et mater, et virgo est.

<sup>PL 20, 982</sup> Sermo XIX. [...] Duplex est in Christo substantia, una propria, alia nostra iam sua: id est una Dei, alia hominis. Filius enim Dei, ex quo eum illibata Virgo peperit, de Spiritu sancto conceptum, atque hoc genere nascendi *Verbum caro factum est, et habitavit in* 780

<sup>1</sup> Io. VII, 39.

<sup>2</sup> Io. II, 5.

<sup>3</sup> Le. I, 35.

<sup>4</sup> Prov. IX, 1.

*nobis;*<sup>1</sup> idem coepit esse etiam Filius hominis qui in principio erat apud Patrem Filius Dei, utique Deus Verbum.

781 Omnia ergo quaecumque in hac duplici substantia constitutus, vel locutus est, vel fecit, vel pertulit Christus, nunc omnipotentem Dei naturam, nunc infirmam suscepti hominis demonstrabant. Nativitas carnis hominem monstrat; Deum probat inusitatus Virginis partus.

782 Nam qui prius in imagine, de aqua vinum fecit, cum diceret beatissimae Mariae: *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea;*<sup>2</sup> ipse post horam Passionis suae, veritatem praemissi aenigmatis eatenus consummavit, ut sane incarnationis aqua vinum fieret Deitatis; quod haeretici adulterantes verbum Dei, adhuc velut aquam vino permiscent, cum totus Dominus Iesus, et quod ex Deo Patre est, et quod ex Virgine matre est, Deus sit unigenitus in gloria Dei Patris: quoniam quidem Deus diminutus non est in homine, sed homo proficit in Deum; ut sicut *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis,*<sup>3</sup> ita caro Deus fieret, et habitaret in coelis.

PL  
20, 983PL  
20, 990

### S. NICETAS Remesianensis<sup>4</sup> (ca 375 † post 414)

#### DE SPIRITU SANCTI POTENTIA

783 5. [...] Audeo dicere, templum ipsum Domini, id est corpus quod accepit ex Virgine, certe ipso Spiritu instructum est. Et dixit Gabriel angelus ad Mariam: *Spiritus sanctus veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit te; ideoque quod nasceretur ex te, de Spiritu sancto est.*<sup>5</sup>

PL  
52, 856

#### EXPLANATIO SYMBOLI

784 3. [...] [Christus Iesus...] propter nostram salutem descendit a Patre de coelis, et simile nobis corpus accepit. Natus ex Spiritu sancto, et Virgine Maria sine ulla viri operatione: corpus ex corpore Spiritus sancti virtute, generatum est; manens Deus, homo factus est, ut hominibus et visui et doctrinae saluti esse posset; quia aliter

PL  
52, 868

<sup>1</sup> Io. I, 14.

<sup>2</sup> Io. II, 4.

<sup>3</sup> Io. I, 14.

<sup>4</sup> De Niceta cf. Al 406; PLS III, 188.

<sup>5</sup> Lc. I, 35.

● PL 20, 867, 898, 929, 985, 988, 989, 994.

## GELASIUS PP. († 496)

TRACTATUS DE DUABUS NATURIS ADVERSUS EUTYCHEN  
ET NESTORIUM

**1380** 2. Nam quum pari blasphemia utraque pestis insaniat, in conceptu scilicet Virginis sacrae atque ipso primordiali vel initiali Domini Salvatoris exortu, qui in visceribus intactae matris, cessante terreni patris officio, divina sumpsit operatione principium, materiam conditionis humanae de substantia genitricis instituens, et unionem divinae potentiae dignatione suae maiestatis impertiens, ut utriusque naturae ineffabiliter unitio ab ipso suae conceptionis exortu mirabiliter ac potenter exsisteret: nec in sanctae Mariae prorsus internis istius sacramenti quicquam vel praecesserit vel post secutum fuerit institutum, sed huius magis simul effectum mysterii conceptus ipse praevenerit, nec illie aliqua praeveniente substantia perfectio unionis accesserit, sed ab unione perfecta potius utriusque substantiae fuerit inchoatum, sicut Angelus dicenti venerandae Virgini, quum de gloria sobole futura cognosceret: *Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco?* respondit: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; properea, quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>1</sup> Et *ex te nascetur* ait, ut proprietatem de matre sumendam nostrae conditionis exprimeret; et *sanctum*, quoniam sine contagione carnalis concupiscentiae gigneretur; et *vocabitur Filius Dei*, ut simul humanae divinaeque naturae hac conceptione, sicut dictum est, mirabiliter uniendum proderet sacramentum, secundum quod scriptum: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.*<sup>2</sup> Malens Spiritus Dei dicere, *Verbum carnem factum*, quum in carnem Verbum non fuerit omnino conversum, dummodo principalis unionis naturaliter in eodem divinitatis humanitatisque significaret pressius veritatem; quum scilicet appareret ipsum Verbum, in utero matris Virginis operans, ex eadem susceptae sibimet tuendae substantiae foecunditatis illius excitasse conceptum.

**1381** 10. [... in Christo] ipsa natura carnis exstitit deitate sublimis; quia et non aliunde divinitas, quam de utero Virginis matris incarnata processit, et caro non nisi in iisdem visceribus saneto Spiritu superveniente et Altissimi obumbrante virtute est unita deitati.

<sup>1</sup> Le. I, 34, 35.<sup>2</sup> Io. I, 14.

• PLS III, 767, 768, 775, 777, 778, 780, 782, 787.

PLS  
III, 764PLS  
III, 771

RUSTICUS<sup>1</sup> HELPIDIUS DOMNULUS († 501/502)

CARMINA IN HISTORIAM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI

## EVA A DIABOLO SEDUCTA

PL  
62, 543

Evae, viperea, vetitum decerpere pomum  
 Invidus, arte parat, tantae quae nescia fraudis  
 Credidit infelix socio peritura marito.

1471

## ANGELI AD MARIAM ADVENTUS

Angelus illaesum Mariae per somnia Ioseph  
 Connubium servare monet: hic dote repleta  
 Spiritus hoc quod sit flagrans, salvatur honore.

## GENNADIUS Massiliensis († 492/505)

## EPISTOLA DE FIDE

PLS  
III, 724

1472

[...] Filius ergo Dei, qui dicitur Verbum Dei et sapientia Dei, carnem adsumpsit ex virgine Maria, ut sicut vero ex Deo Patre est genitus verus Deus, ita fieret ex homine verus homo; non tamen in his duabus naturis duas habens personas, sed una persona Deus et homo. Filius Dei unigenitus verus et perfectus Deus, verus et perfectus homo, non adoptivus, neque putativus, sed verus et proprius filius Dei. Natus est ergo Dei filius ex virgine Maria, non per hominem, id est ex viri coitu, sed per virtutem Spiritus sancti conceptus ex virgine, ut ait ei angelus Dei: *Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum et caetera. Concipies et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum.*<sup>2</sup> Ait autem Maria ad angelum: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*<sup>3</sup> Et dixit ei angelus: *Spiritus \* sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, et quod nasceretur ex te, sanctum vocabitur et est filius Dei.*<sup>4</sup> Et ita natus est ex virgine Maria verus Deus et verus homo cum anima rationali et carne cum sensibus suis; per quos sensus veros in passione et ante passionem carnis dolores sustinuit, et in eadem carne mori dignatus est pro redemptione mundi, permanens in divinitate impassibilis.

<sup>1</sup> Vel Rusticius (Clavis 1506).<sup>2</sup> Le. I, 28, 31.<sup>3</sup> Le. I, 34.<sup>4</sup> Le. I, 35.

## DE ECCLESIASTICIS DOGMATIBUS

**1473** Cap. LXIX. Integra fide credendum est beatam Mariam Dei Christi matrem, et virginem concepisse, et virginem genuisse, et post partum virginem permansisse. Nec est blasphemiae Helvidii acquiescendum qui dixit: Fuit virgo ante partum, non virgo post partum. PL 58, 996

RURICIUS (Senior) Lemovicensis<sup>1</sup> († post 507)

## EPISTOLA X

**1474** [...] Nam et Dominus in Evangelio, cum ei a circumstantibus diceretur: *Ecce mater tua, et fratres tui quaerunt te, volentes videre te ita respondit: Quae est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Et ostendens apostolos, sequentes se: Nonne hi, qui faciunt voluntatem Patris mei?*<sup>2</sup> Mater enim Christi dici possumus, quando Christum corde gestamus. Nam et S. Maria, quae et virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit, Dominum nostrum non complexu virili, sed fide maritante concepit. PL 58, 90

## S. AVITUS Viennensis Allobrogum (ca 450 † ca 518)

## EPISTOLAE

**1475** Ep. II. [...] Filium Dei, cum Patre ante saecula permanentem, quem idcirco ad salutem nostram descendisse de caelo ut corpus assumeret fides recta confitetur, negant in alvum femineam potuisse contrudi; cum Dei Filius, utique Deus, qui dixerat per prophetam: *Caelum et terram ego imleo,*<sup>3</sup> non potuerit venire quo erat, nisi per susceptionem carnis acquiesceret esse quod non erat. Quam conclusionem metuens Eutyches ille quem loquimur, cum in synodo superius designata studiose ab auditoribus urgeretur, ut Mariam virginem Θεοτόκον, id est quae Deum peperisset, pronuntiaret atque subscriberet, ad ingenii nequitiam fraude conversus, Χριστοτόκον, quae Christum tantummodo videretur edidisse, confessus est: ut scilicet

<sup>1</sup> Vel Lemovicinus (Clavis 985).

<sup>2</sup> Matth. XII, 47, 48, 49.

<sup>3</sup> Ier. XXIII, 24.

• PL 58, 760, 763, 825, 843, 854, 855, 856, 881, 902, 905, 907, 911, 919, 981, 982, 1068, 1077, 1101, 1106, 1110, 1112.

GREGORIUS Iliberitanus<sup>1</sup> († post 392)TRACTATUS [ORIGENIS] DE LIBRIS S.S. SCRIPTURARUM<sup>2</sup>

<sup>PLS</sup>  
I, 396 VI. [...] *Exiet virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.*<sup>3</sup> 492

Iesse iste pater fuit David, ex cuius radice, id est ex cuius origine, Maria virgo est nata, quam virgam Isaias appellat, et florem de virga, id est Christum de virginе natum indicat. Quod quidem et per Iezechielem sic dicitur: *Ecce dies veniunt et virga florebit,*<sup>4</sup> id est virgo pariet humani florem generis Christum. Et hoc est quod dicit: *De germine filius meus ascendisti*, quia ut iam dictum est, ex germine seminis Iuda processit Maria, unde flos Christus advenit.<sup>5</sup>

<sup>PLS</sup>  
I, 424 XI. [...] Terra autem reprobationis caro est Mariae virginis, 493 quia caro terra Scripturis divinis a Domino appellatur, sicut Dominus ad Adam ait: *Terra es, et in terram ibis.*<sup>6</sup> De qua terra quales fructus attulerint, rogo, diligenter attendite.

<sup>\*425</sup> *Botrum,* inquit, *in phalanga,* et ficum, et mala punica. Sed quis hie botrus de terra reprobationis est, nisi Christus de carne virginis? Dixerat enim Deus: *Ecce virgo in \* utero accipiet.*<sup>7</sup>

<sup>PLS</sup>  
I, 442 XIV. [...] *Et intravit Gedeon in castris, et ecce homo narrabat proximo suo somnium et dixit: Sonniavi, et ecce in magida panis hordeaceus volvebatur in castra Madian, et venit usque ad tabernaculum Madian, et percussit illud, et cecidit, et evertit.*<sup>8</sup> Magis itaque illa, in qua panis volvebatur qui hostium castra percussit et dissipavit atque destruxit, quid aliud quam sinum seu uterum Mariae virginis significabat, in quo panis vitae Christus, factus sub lege ex femina, volvebatur, quia legem Dominus noster non venerat solvere, sed adimplere?<sup>9</sup>

<sup>PLS</sup>  
I, 469 XX. [...] Filius etenim Dei ideo primum venit ad virginem, ut hominem sibi exinde in virginis utero plasmaret. Sicut et primum Adam de limo terrae formaverat, ita et hunc secundum Adam de

<sup>1</sup> Vel Iliberritanus (cf. CCL LXIX).

<sup>2</sup> Cf. PLS I, 353.

<sup>3</sup> Isa. XI, 1.

<sup>4</sup> Ezech. VII, 10.

<sup>5</sup> CCL LXIX, 50.

<sup>6</sup> Gen. III, 19.

<sup>7</sup> Isa. VII, 14; et CCL LXIX, 87.

<sup>8</sup> Iudic. VII, 13.

<sup>9</sup> CCL LXIX, 109.

matre virgine quasi de rudi terra plasmavit, ut id quod primus Adam perdiderat restauraretur in Christo [...].<sup>1</sup>

### TRACTATUS DE EPITHALAMIO

- 496 Lib. I. [...] *Veritas*, inquit, *de terra orta est*, id est *caro Christi*, <sup>PLS  
I, 475</sup> de matre virgine nata, cuius origo terrena est: *pax de caelo prospexit*,<sup>2</sup> id est Verbum Dei: qui dixit: *Ego sum pax*.<sup>3</sup>
- 497 Lib. III. [...] Hic est botrus quem in palanga speculatores a Mose missi de terra reprobmissionis adtulerunt. Terra enim reprobmissionis corpus erat Mariae Virginis: botrum in palanga corpus Domini inter duos populos palanga crucis allatus.<sup>4</sup>

S. GREGORIUS Nyssenus (ca 335 † 394/395)

### DE VIRGINITATE (371)

- 498 Cap. II. [...] "Οπερ γὰρ ἐν τῇ ἀμιάντῳ Μαρίᾳ γέγονε σωματικῶς, τοῦ πληρώματος τῆς θεότητος ἐν τῷ Χριστῷ διὰ τῆς Παρθένου ἐκλάμψαντος· τοῦτο καὶ ἐπὶ πάσης ψυχῆς κατὰ λόγον παρθενεύούσης γίνεται. Οὐκέτι σωματικὴν ποιουμένου τοῦ Κυρίου τὴν παρουσίαν· οὐ γὰρ γινώσκομεν ἔτι, φησί, κατὰ σάκρα Χριστόν· ἀλλὰ πνευματικῶς εἰσοικιζομένου, καὶ τὸν Πατέρα ἔαυτοῦ συνεισάγοντος, καθὼς φησί που τὸ Εὐαγγέλιον. Ἐπεὶ οὖν τοσαύτη ἐστὶ τῆς παρθενίας ἡ δύναμις, ὡς καὶ ἐν τοῖς οὐρανοῖς παρὰ τῷ Πατρὶ τῶν πνευμάτων
- 
- 498 Cap. II. [...] Quod enim in Mariae Virginis inviolatae corpore effectum est, perfecta Christi divinitate, quae in ipsa Virgine eluxerat: hoc ipsum in omni animo contingit, qui sit castitate ornatus, rationemque ducem in virginali vita sequatur. Quoniam non amplius, ut corporis humani formam habitumque induat, venturus est Dominus; non enim etiam novimus, inquit, secundum carnem Christum; sed in spiritu veniet, et Patrem secum ducet, ut quodam loco testatur Evangelium. Quoniam igitur tanta vis virginitatis est,

<sup>1</sup> CCL LXIX, 143.

<sup>2</sup> Ps. LXXXIV, 12.

<sup>3</sup> Lc. XXIV, 36; et CCL LXIX, 172.

<sup>4</sup> CCL LXIX, 194.

● PLS I, 396, 412, 503, 515.

● CCL LXIX, 34, 241.

■ CCL LXIX, 256, 267, 275.

δόξαν, ἀποστρεφομένους δὲ τοὺς τάναντία λέγοντας ἢ δοξάζοντας. Πρώτη γὰρ σωτηρία καθέστηκε πᾶσιν ἀνθρώποις, ἢ τῆς ὁρθῆς πίστεως ὅμοιογία. Διὸ καὶ ἡμεῖς τοῖς εὐαγγελικοῖς κατακολουθοῦντες παραγγέλμασι, καὶ τῷ ἄγιῳ Συμβόλῳ, ἤτοι μαθήματι τῶν ἀγίων Πατέρων, πρὸς μίαν καὶ τὴν αὐτὴν Ἐκκλησίαν τε καὶ γνώμην προτρεπόμεθα πάντας συνελθεῖν· πιστεύοντες εἰς Πατέρα καὶ Γίδην καὶ ἀγίου Πνεύμα [...]}. Θεὸν τὰ τρία μετ' ἀλλήλων νοούμενα· τῷ αὐτῷ τῆς κινήσεως καὶ τῆς φύσεως, ἐπειδὴ χρὴ καὶ τὸν ἔνα Θεὸν ὅμοιογενῆν, καὶ τὰς τρεῖς ὑποστάσεις ἥγουν ίδιοτητας κηρύγγειν. Ὁμοιογούμεν δὲ αὐτόν, τὸν μονογενῆ Γίδην τοῦ Θεοῦ τὸν Θεὸν Λόγον τὸν πρὸ αἰώνων καὶ ἀχρόνως ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ἐπ' ἐσχάτων δὲ τῶν ἡμερῶν δι' ἡμᾶς καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ σαρκωθέντα ἐκ Πνεύματος ἀγίου, καὶ τῆς Δεσποίνης ἡμῶν τῆς ἀγίας ἐνδόξου Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, καὶ γεννηθέντα ἐξ αὐτῆς, διὸ ἐστιν ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ εἰς τῆς ἀγίας Τριάδος, συνδιξαζόμενος τῷ Πατρὶ καὶ τῷ ἄγιῳ Πνεύματι.

inter se consentiant, aversentur autem eos qui contraria dicunt aut sentiunt. Prima enim salus cunctis hominibus est constituta, rectae fidei confessio. Quocirca nos quoque evangelica praecepta et sacrum Symbolum sive doctrinam sanctorum Patrum sectantes, cunctos hortamus ut ad unam eamdemque Ecclesiam ac sententiam se conferant: credentes in Patrem et Filium ac Spiritum sanctum [...]. Deum unum tres personas, simul intellectas, ob eumdem motum eamdemque naturam. Quippe et unum Deum confiteri oportet, et tres subsistentias, sive proprietates praedicare. Confitemur vero ipsum unigenitum Filium Dei Deum Verbum, qui ante saecula et sine tempore ex Patre genitus est, non autem factus: in extremis diebus propter nos et propter nostram salutem e coelo descendisse, et incarnatum esse ex Spiritu sancto et ex Domina nostra, sancta et gloria Deipara ac semper virgine Maria, et ex illa genitum. Qui est Dominus noster Iesus Christus, unus e sancta Trinitate, qui cum Patre et sancto Spiritu glorificatur.

S. GREGORIUS Magnus PP. (ca 540 † 604)

MORALIUM LIBRI SIVE EXPOSITIO IN LIBRUM IOB (... 590)

1671 Lib. XVI, cap. XXXVI, 44. *Et in sinu meo abscondi verba oris eius.* In sinu etenim cordis verba oris eius abscondimus, quanto mandata illius non transitorie, sed implenda opere audimus. Hinc est quod PL  
75, 1143

de ipsa matre Virgine scriptum est: *Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo.*<sup>1</sup>

<sup>PL  
76, 55</sup> Lib. XVIII, cap. XX. 33. Propter hoc quoque mentis refrigerium coelitus datum Mariae dicitur: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.*<sup>2</sup> Quamvis hac in re per obumbrationis vocabulum incarnandi Dei utraque potuit natura signari. Umbra enim a lumine formatur et corpore. Dominus autem per divinitatem lumen est, qui, mediante anima, in eius utero fieri dignatus est per humanitatem corpus. Quia ergo lumen incorporeum in eius erat utero corporandum, ei quae incorporeum concepit ad corpus dicitur: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi;* id est, corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen divinitatis.

<sup>PL  
76, 89</sup> Cap. LII, 85. [...] *Mediator quippe Dei atque hominum, homo Christus Iesus,*<sup>3</sup> non sicut iste haereticus desipit, alter in humanitate, alter in Deitate est. Non purus \* homo conceptus atque editus, post per meritum ut Deus esset accepit, sed nuntiante angelo, et adveniente Spiritu, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro, et manente incommutabili essentia, quae ei est cum Patre et eum sancto Spiritu coaeterna, assumpsit intra virginea viscera unde et impassibilis pati, et immortalis mori, et aeternus ante saecula temporalis posset esse in fine saeculorum, ut per ineffabile sacramentum, conceptu sancto, et partu inviolabili, secundum veritatem utriusque naturae, eadem virgo et ancilla Domini esset et mater. Sic quippe ei ab Elisabeth dicitur: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?*<sup>4</sup> Et ipsa Virgo concipiens dixit: *Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum.*<sup>5</sup> Et quamvis ipse aliud ex Patre, aliud ex Virgine, non tamen alias ex Patre, alias ex Virgine, sed ipse est aeternus ex Patre, ipse temporalis ex matre; ipse qui fecit, ipse qui factus est; ipse speciosus forma prae filiis hominum per divinitatem, et ipse de quo dictum est: *Vidimus eum, et non erat aspectus, et non est species ei neque decor,*<sup>6</sup> per humanitatem. Ipse ante saecula de Patre sine matre, ipse in fine saeculorum de matre sine patre. Ipse templum, ipse conditor templi; ipse auctor operis, ipse opus auctoris.

<sup>1</sup> Lc. II, 19.

<sup>2</sup> Lc. I, 35.

<sup>3</sup> I Tim. II, 5.

<sup>4</sup> Lc. I, 43.

<sup>5</sup> Lc. I, 38.

<sup>6</sup> Isa. LIII, 2.

## XL HOMILIAE IN EVANGELIA, (590-591)

- 1674** Homilia III, 1. [...] *Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei? Qui-cumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in coelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.*<sup>1</sup> PL 76, 1086 Quibus nobis verbis quid innuit, nisi quod obsequentes iussionibus suis multos ex gentilitate colligit, et Iudaeam, ex cuius carne est genitus, non agnoscit? Unde et mater eius cum quasi non agnoscitur, foris stare perhibetur, quia videlicet Synagoga idecirco ab auctore suo non recognoscitur, quia, legis observationem tenens, spiritalem intellectum perdidit, et sese ad custodiad litterae foris fixit.
2. Sed cum is qui voluntatem Patris fecerit soror et frater Domini dicitur, propter utrumque sexum qui ad fidem colligitur mirum non est; mirandum vero valde est quomodo etiam mater dicatur. Fideles enim discipulos fratres vocare dignatus est, dicens: *Ite, nuntiate fratribus meis.*<sup>2</sup> Qui ergo frater Domini fieri ad fidem veniendo potuerit, quaerendum est quomodo etiam et mater esse possit? Sed sciendum nobis est quia qui Christi frater et soror est credendo, mater efficitur praedicando. Quasi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit. Et mater eius efficitur, si per eius vocem amor Domini in proximi mente generatur.
- 1675** Homilia XXV, 6. [...] Constat enim quia ipse creavit matrem in cuius virgineo utero ex humanitate crearetur. Quid ergo mirum si aequalis est Patri, qui prior est matre?
- 1676** Homilia XXVI, 1. [...] Illud enim corpus Domini intravit ad discipulos ianuis clausis, quod videlicet ad humanos oculos per nativitatem suam clauso exiit utero Virginis. Quid ergo mirum si clausis ianuis post resurrectionem suam in aeternum iam victurus intravit, qui moriturus veniens non aperto utero Virginis exivit?
- 1677** 7. [...] Discipulum Dominus post resurrectionem suam dubitare PL 76, 1193 permisit, nec tamen in dubitatione deseruit, sicut ante nativitatem suam habere Mariam sponsum voluit, qui tamen ad eius nuptias non pervenit. Nam ita factus est discipulus dubitans et palpans, testis verae resurrectionis, sicut sponsus matris fuerat custos integerrimae virginitatis.
- 1678** Homilia XXXVIII, 2. [...] *Simile est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.*<sup>3</sup> PL 76, 1283
3. Iam intelligit caritas vestra quis est iste rex, regis filii pater:

<sup>1</sup> Matth. XII, 48 et 50.<sup>2</sup> Matth. XXVIII, 10.<sup>3</sup> Matth. XXII, 2.

ille nimirum cui Psalmista ait: *Deus iudicium tuum regi da, et iustitiam tuam filio regis.*<sup>1</sup> Qui fecit nuptias filio suo. Tunc enim Deus pater Deo Filio suo nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis humanae naturae coniunxit, quando Deum ante saecula fieri voluit hominem in fine saeculorum. Sed quia ex duabus personis fieri solet ista coniunctio, absit hoc ab intellectibus nostris, ut personam Dei et hominis Redemptoris nostri Iesu Christi ex duabus personis credamus unitam. Ex duabus quippe atque in duabus hunc naturis existere dicimus; sed ex duabus personis compositum credi, ut nefas, vitamus. Apertius ergo atque securius dici potest quia in hoc Pater regi Filio nuptias fecit, quo ei per incarnationis mysterium sanctam Ecclesiam sociavit. Uterus autem genitricis Virginis huius sponsi thalamus fuit. Unde et Psalmista dicit: *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.*<sup>2</sup> Tanquam sponsus quippe de thalamo suo processit, quia ad coniungendam sibi Ecclesiam incarnatus Deus de incorrupto utero Virginis exivit.

#### HOMILIAE IN EZECHIELEM (593)

<sup>PL 76, 866</sup> Lib. I, Homilia VIII, 26. [...] De lumbis vero Abrahae virgo Maria exiit, in cuius utero Unigenitus Patris per Spiritum sanctum incarnari dignatus est. Ex qua incarnatione universo innotuit mundo Deus, sicut per Psalmistam dicitur: *Accingere gladium tuum circa femur tuum, potentissime* <sup>3</sup> [...]. A lumbis vero eius et deorsum ignis in circuitu splendet, quia postquam de Virgine carnem sumpsit, in humano genere longe lateque sancti Spiritus dona dilatavit.

1679

#### IN I LIB. REGUM EXPOSITIONES <sup>4</sup>

<sup>PL 79, 25</sup> Lib. I, cap. I, 5. Potest autem huius montis nomine, beatissima semper virgo Maria Dei Genitrix designari: mons quippe fuit, quae omnem electae creaturae altitudinem electionis sua dignitate transcendent. An non mons sublimis Maria, quae ut ad conceptionem aeterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes angelorum choros, usque ad solium deitatis erexit? Huius enim montis praecellentissimam dignitatem Isaias vaticinans, ait: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium.*<sup>5</sup>

1680

<sup>1</sup> Ps. LXXI, 1.

<sup>2</sup> Ps. XVIII, 6.

<sup>3</sup> Ps. XLIV, 4.

<sup>4</sup> B. Capelle affirme « que cet important ouvrage porte dans son ensemble la marque grégorienne indubitable, mais une main étrangère y a touché ». Cf. Clavis 1719.

<sup>5</sup> Isa. II, 2.

Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariae supra omnes sanctos refulsit. Nam sicut mons altitudinem, ita domus designat habitationem. Mons quippe et domus apte dicitur, quae dum incomparabilibus est illustrata meritis, Dei unigenito, in quo recumberet, sacrum praeparavit uterum. Nam mons in vertice montium Maria non fieret, si supra angelorum altitudinem, hanc divina fecunditas non levaret. Et domus Domini non fieret, si in eius ventre, per assumptam humanitatem, verbi divinitas non iaceret. Sed recte mons frugifer dicitur, de qua optimus fructus, id est novus homo generatur, quam certe in fecunditatis sua gloria pulchram, ornatamque propheta respiciens, ait: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.*<sup>1</sup> De huius namque montis fructu, David Deo exsultans, ait: *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum.*<sup>2</sup> Terra quippe fructum suum dedit, quia \* quem <sup>\*26</sup> Virgo peperit, non concepit materiali opere, sed sancti Spiritus obumbratione.<sup>3</sup> Hinc eidem regi et prophetae a Domino dicitur: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.*<sup>4</sup> Hinc Isaias ait: *Erit fructus terrae sublimis.*<sup>5</sup> Nam quem Virgo genuit, non solum homo sanctus fuit, sed etiam potens Deus. De hoc fructu ad eamdem beatam Virginem, Elisabeth salutante, dicitur: *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.*<sup>6</sup> Recte igitur mons Ephraim dicitur, quae dum ineffabili dignitate divinae generationis attollitur, in eius fructu, arida humanae conditionis germina revirescunt. Vir igitur de Ramatha Sophim factus est de monte Ephraim: quia qui per divinitatis sua potentiam angelos condidit, de carne praecelsae Virginis, formam suscepit humanitatis.<sup>7</sup>

## EPISTOLAE

1681

Lib. X, Indict. III, Ep. XXXIX. [...] In nuptiis, cum mater Virgo diceret vinum deesse, respondit: *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea.*<sup>8</sup> Neque enim angelorum Dominus horae subiectus erat, qui inter cuneta quae creaverat horas et tempora fecerat; sed quia mater Virgo cum vinum defuit, per eum miraculum fieri volebat,

PL  
77, 1097<sup>1</sup> Isa. XI, 1.<sup>2</sup> Ps. LXVI, 6-7.<sup>3</sup> Le. I, 35.<sup>4</sup> Ps. CXXXI, 11.<sup>5</sup> Isa. IV, 2.<sup>6</sup> Le. I, 42.<sup>7</sup> CCL CXLIV, 58, 59.<sup>8</sup> Io. II, 4.

statim ei responsum est: *Quid mihi et tibi est, mulier?* Ac si aperte diceret: Unde facere miraculum possum, hoc mihi ex patre, non ex matre est. Ex matre enim mori poterat, qui ex natura patris miracula faciebat. Unde et in cruce positus eamdem matrem moriens recognovit, quam discipulo commendavit, dicens: *Ecce mater tua.*<sup>1</sup> Ait ergo: *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea.* \* Quod est: In miraculo quod ex tua natura non habeo, te minime recognosco. Cum hora mortis venerit, cognosco te matrem, quia unde mori possum hoc ex te habeo.

\*1098

<sup>PL  
77, 1207</sup> Lib. XI, Indict. IV, Ep. LXVII. [...] Sed unigenitus Filius Verbum ante saecula factus est homo. Hic est ergo verus Deus et vita aeterna. Certe cum hunc sancta Virgo conceptura esset, et loquenter ad se angelum audiret, ait: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi sicut dicas.*<sup>2</sup> Quae cum eum concepisset, et ad Elisabeth cognatam suam pergeret, ab eadem Elisabeth protinus audivit: *Unde ego digna ut mater Domini mei veniat ad me?*<sup>3</sup> Ecce eadem Virgo et ancilla Domini dicitur et mater. Ancilla enim Domini, quia Verbum ante saecula unigenitus aequalis est Patri; mater vero, quia in eius visceribus ex sancto Spiritu de eiusque carne factus est homo. Nec alterius ancilla, alterius mater, quia dum unigenitus Dei existens ante saecula ex eius utero natus est homo, investigabili miraculo facta est ancilla hominis per divinitatem, et mater Verbi per carnem. Non autem

\*1208

\* prius in utero Virginis caro concepta est, et postmodum divinitas venit in carnem; sed mox ut Verbum venit in uterum, mox Verbum, servata propriae virtute naturae, factum est caro. Et perfectus homo, id est in veritate carnis et animae rationalis, natus est per uterum Virginis unigenitus Filius Dei. Unde et unctus praे participibus dicitur, sicut Psalmista ait: *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae praे consortibus tuis.*<sup>4</sup> Unctus quippe est oleo, dono videlicet Spiritus sancti. Sed praे consortibus unctus est, quia omnes nos prius peccatores homines existimus, et postmodum per unctionem sancti Spiritus sanctificamur. Ipse autem qui existens Deus ante saecula, per sanctum Spiritum in utero Virginis homo conceptus est in fine saeculorum, ibi ab eodem Spiritu unctus est, ubi conceptus. Nec ante conceptus et postmodum unctus est; sed hoc ipsum de Spiritu sancto ex carne Virginis concipi, a sancto Spiritu ungi fuit. Hanc ergo nativitatis eius veritatem quicumque perverso errore Nestorii revertuntur coram

<sup>1</sup> Io. XIX, 27.

<sup>2</sup> Lc. I, 38.

<sup>3</sup> Lc. I, 43.

<sup>4</sup> Ps. XLIV, 8.

1682

sancta fraternitatis vestrae congregatione fateantur, eumdem Nestorium cum omnibus sequacibus suis, et reliquas haereses anathematizantes.

LIBER SACRAMENTORUM<sup>1</sup>

- 1683** [...] [Ioannes] Unigenito tuo sic familiariter est dilectus, et immensae gratiae muneribus approbatus, ut eum idem dominus in cruce iam positus, vicarium suae matris Virgini filium subrogaret, quatenus beatae Genitricis integritati probati dilectique discipuli virginitas serviret. PL 78, 34
- 1684** Concede, quaesumus, omnipotens Deus ad beatae Mariae semper virginis gaudia aeterna pertingere de cuius nos veneranda Assumptione tribuis annua solemnitate gaudere. PL 78, 133

XVIII KALENDAS SEPTEMBRIS  
ASSUMPTIO SANCTAE MARIAE VIRGINIS

Veneranda nobis, Domine, huius est diei festivitas in qua sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem nec tamen mortis nexibus deprimi potuit quae Filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum. Qui tecum vivit et regnat Deus.

*Super oblata.* Subveniat, Domine, plebi tuae, Dei Genitricis oratio quam et si pro conditione carnis migrasse cognoscimus in coelesti gloria apud te pro nobis orare sentiamus. Per eumdem Dominum nostrum.

*Praefatio.* Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, et te in veneratione sacrarum virginum exultantibus animis laudare, benedicere, predicare:

Inter quas intemerata Dei Genitrix virgo Maria, cuius Assumptionis diem celebramus, gloriosa effulsa.

- 1685** *Benedictio.* Deus, qui per beatae Mariae virginis partum genus humanum dignatus est redimere, sua vos dignetur benedictione locupletare. Amen. Eiusque semper et ubique patrocinia sentiatis, ex eius intemerato utero auctorem vitae suscipere meruistis. Amen. PL 78, 133
- 1686** *Praefatio.* Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: et praecipue pro meritis beatae Dei Genitricis, et perpetuae virginis Mariae, gratia plenae, tuam omnipotentiam laudare, benedicere et praedicare. PL 78, 137

<sup>1</sup> « Dal sec. IX la tradizione è costante nel ritenere il [Sacramentario] Gregoriano opera di S. Gregorio (590-604). Questa paternità è oggi ammessa universalmente... »: A. BUGNINI, in *EnC* X, 1567.

<sup>PL</sup> <sub>78, 172</sub> *Praefatio.* Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos 1687  
tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum Dominum nostrum: cuius caritatis

ardore ista, et omnes sanctae virgines, a beata Maria exemplum virginitatis accipientes, praesentis saeculi voluptates ac delicias contempserunt. Quoniam tuo dono actum est ut postquam Virgo de Virgine prodiit, sexus fragilis esset fortis, et in quo fuit peccandi facilitas, esset vincendi felicitas. Antiquusque hostis, qui per antiquam virginem genus humanum se viciisse gloriabatur, per sanctas nunc virgines, sequaces potius Mariae quam Evaë, vincatur. Et in eo maior ei confusio crescat, quod de eo etiam sexus fragilis iam triumphat.

<sup>PL</sup> <sub>78, 191</sub> *Praefatio.* Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos 1688  
tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: qui tuo inenarrabili munere praestitisti ut natura humana ad similitudinem tui condita, dissimilis per peccatum et mortem effecta, nequaquam in aeterna damnatione periret; sed unde peccatum mortem contraxerat, inde vitam tua pietas immensa repararet, et antiquae virginis facinus nova et intemerata virgo Maria piaret. Quae ab angelo salutata, a Spiritu sancto obumbrata, illum gignere meruit, qui cuncta nasci suo nutu concessit: quae mirabatur et corporis integratatem, et conceptus fecunditatem, gaudebatque suum paritura parentem, Iesum Christum Dominum nostrum.

### *Benedictio in Assumptione sanctae Mariae*

<sup>PL</sup> <sub>78, 603</sub> Deus, qui beatissimam virginem Mariam Domini nostri Iesu 1689  
Christi gloriosissimam genitricem hodierna die ad coelos voluit evo-  
care, et super choros angelorum sublimiter exaltare, suae vos Benedic-  
tionis gratia per intercessionem eius et merita dignetur taliter  
ditare, qualiter a vitiis ad virtutes mereamini transmigrare. Amen.

### *Benedictio in natali sanctae Mariae*

<sup>PL</sup> <sub>78, 619</sub> Deus, qui, cum te non capiant coeli, dignatus es in templo uteri 1690  
virginalis includi, ut mater integra haberet et fructum de Spiritu, et incorruptionem de partu, da huic plebi angelum custodem, qui filium  
Mariae fide concipiente praedixit. Amen. Sanctificet gregem tuum  
illa Benedictio quae sine semine humano Redemptorem virginis for-  
mavit in utero. Amen. Ut te protegente exultet Ecclesia de congreg-

- PL 76, 33, 565, 683, 726, 1085, 1135, 1244, 1250, 1251, 1310.
- PL 77, 212, 244, 344, 347, 517, 939, 1328, 1330.
- PL 78, 32, 33, 36, 46, 52, 53, 86, 91, 104, 121, 132, 133, 134, 137, 259,  
601, 606, 616, 623, 629, 645, 653, 655, 686, 702, 735, 736, 741, 743, 744, 745, 746,  
747, 798, 799, 802, 810.

gato populo, sicut Maria meruit gloriam de fructu sacrato. Amen. Et qui hac die nativitatem sacratissimae virginis tuae genitricis Mariae celebramus devoti, quam super choros virginum paradisi sedibus collocasti, eiusdem nos suffragiis, post abiectam carnis sarcinam, ad aeterna iubeas regna perduci. Amen.

**1691** Salvator mundi, salva nos omnes. Sancta Dei genitrix, semper <sup>PL</sup><sub>78, 684</sub> virgo Maria, ora pro nobis.

**1692** Annuntiatum est per Gabriel archangelum ad Mariam virginem: <sup>PL</sup><sub>78, 731</sub> de introitum regis [Da introitum Regi]. Et ingressus est per splendidam Regionem, aurem Virginis, visitare palatum uteri; et regressus est per auream virginis portam.

**1693** *Ant.* Hortus conclusus es, sancta Dei genitrix, hortus conclusus, <sup>PL</sup><sub>78, 799</sub> fons signatus.

*Ant.* Sub tua protectione confugimus, ubi infirmi acceperunt virtutem; et propter hoc tibi psallimus, Dei genitrix virgo.

*Ant.* Paradisi porta per Evam cunctis clausa est, et per Mariam virginem iterum patefacta est, alleluia.

*Ant.* Beata mater et innupta Virgo, gloriosa regina mundi.

*Ant.* In flore mater, in partu Virgo, gaudet et laetare, Virgo mater Domini.

### S. EULOGIUS Alexandrinus († ca 607)

#### SERMO IN RAMOS PALMARUM<sup>1</sup>

**1694** IV. [...] ‘Ο Δεσπότης τοῖς λαοῖς ἐπιτρέπει· «”Αφετε τὰ παιδία \* ἔρχεσθαι πρός με». Καλῶς ἡκουούμενος τῇ φωνῇ τῆς Ἐλισάβετ οἱ παῖδες. Ἐκείνης γάρ τῇ Παρθένῳ καὶ Θεοτόκῳ εἰπούσης· «Ἐύλογημένος ὁ ιαρπός τῆς κοιλίας σου»· αὐτοὶ τῷ ἐξ αὐτῆς γεννηθέντι λέγουσιν· «Ἐύλογημένος ὁ ἔρχόμενος ἐν ὀνόματι Κυρίου». Τί ἐστιν· «Ἐύλογημένος ὁ ἔρχόμενος ἐν ὀνόματι Κυρίου»; «‘Ο ἔρχόμενος», πόθεν; ἐξ οὐρανοῦ, ἢ ἐν τῇ Παρθένῳ; ὁ ἔρχόμενος, καὶ προερχόμενος· ποῦ; ἐπὶ τὸ πάθος. «’Ἐν ὀνόματι Κυρίου»· τοῦ Πατρὸς δηλονότι,

**1694** IV. [...] Dominus populis praecipit: *Sinite parvulos venire ad me.*<sup>2</sup> <sup>PG  
86bis,  
2920  
\*2921</sup> Recte pueri affectati sunt vocem Elisabethae. Nam dicente illa Virginī ac \* Deiparae: *Benedictus fructus ventris tui*,<sup>3</sup> aiunt illi eius Filio: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Quid est: *Benedictus qui venit in nomine Domini?* Qui venit. Unde? De coelo, aut ex Virgine. Qui venit, et procedit. Quo? Ad passionem. *In nomine Domini:* Patris

<sup>1</sup> Secundum Bar, III, 60, et Cay, II, 163, Sermo hic est S. Eulogii; secundum vero Al, 550, probabiliter sermo est Sophronii Hierosol.

<sup>2</sup> Matth. XIX, 14.

<sup>3</sup> Lc. I, 42.

έστιν, ὁ σὺν ἐμοὶ πλάσας τὸν ἄνθρωπον. «Οὗτός ἐστιν ὁ Υἱός μου ὁ ἀγαπητός, ἐν ᾧ ηὐδόκησα». Οὐκ ἄλλος ἐστὶν οὗτος ὁ ἐμὸς Υἱός, καὶ ἄλλος ὁ Μαρίας υἱός· ἀλλ’ «οὗτός ἐστιν ὁ Υἱός μου ὁ ἀγαπητός», ὁ βλεπόμενος καὶ νοούμενος.

## ORATIO IN MULIERES UNGUENTIFERAS

- <sup>PG</sup>  
88, 1860 X. [...] "Ωσπερ γάρ ἐγενήθη τῶν τῆς παρθενίας θυρῶν κεκλεισμένων, οὕτως ἀνέστη κεκλεισμένου τοῦ τάφου· καὶ ὡσπερ ἐγένετο πρωτότοκος ἐκ μητρὸς ὁ μονογενὴς Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, οὕτως ἐγένετο πρωτότοκος ἀναστὰς ἐκ νεκρῶν. "Ωσπερ οὖν οὐκ ἔλυσε τὴν παρθενίαν τῆς Παρθένου μητρὸς γεννηθεῖς, οὕτως οὐκ ἔλυσε τὰ σήμαντα τοῦ \* μνήματος, ἀναστάς. Οὔτε οὖν τὸν τόκον αὐτοῦ δύναμαι λόγῳ περιλαβεῖν, οὔτε τὸν ἐκ τοῦ μνήματος δρόμον ἰσχύω καταλαβεῖν.
- \*1861

sine peccato. Hic est, qui mecum formavit hominem. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Non aliud est hic meus Filius, et aliud Mariae filius; at *hic est Filius meus dilectus*, qui et oculis cernitur, et mente intelligitur.

- <sup>PG</sup>  
88, 1859 X. [...] Quemadmodum enim natus est clavis virginalibus clavistris, ita et resurrexit clauso sepulcro: ac sicut unigenitus Dei Filius, primogenitus factus est ex matre, ita resurgens, factus est primogenitus ex mortuis.<sup>1</sup> Sicut ergo natus, haudquaquam matris Virginis virginitatem solvit; ita nec resurgens solvit \* signacula sepulcri. Neque igitur partum eius sermone complecti possum, neque eius monumento valeo comprehendere cursum.
- \*1862

## S. GREGORIUS Turonensis (538 † 594)

## HISTORIA ECCLESIASTICA FRANCORUM (591)

- <sup>PL</sup>  
71, 162 Lib. I, Prologus. [...] Credo beatam Mariam, ut virginem ante partum, ita virginem et post partum.

## LIBRI MIRACULORUM

- <sup>PL</sup>  
71, 708 Lib. I, cap. IV. Post admirabilem igitur dominicae ascensionis gloriam, quae, contrito diabolice malignitatis capite, mentes fidelium ad contemplanda coelestia animavit, sancti apostoli Domini et Salvatoris nostri cum beata Maria matre eius, in unam congregati domum, omnia ponebant in medio: nec quisquam suum aliquid esse dicebat; sed unusquisque cuncta possidebat in caritate,

<sup>1</sup> Coloss. I, 16.

sicut sacer apostolicae actionis narrat stylus.<sup>1</sup> Posthaec dispersi sunt per regiones diversas ad praedicandum verbum Dei. Denique impleto a beata Maria huius vitae cursu, cum iam vocaretur a saeculo, congregati sunt omnes apostoli de singulis regionibus ad dominum eius. Cumque audiissent quia esset assumenda de mundo, vigilabant cum ea simul: et ecce Dominus Iesus advenit cum angelis suis, et accipiens animam eius, tradidit Michaëli archangelo, et recessit. Diluculo autem levaverunt apostoli cum lectulo corpus eius, posueruntque illud in monumento, et custodiebant ipsum, adventum Domini praestolantes. Et ecce iterum adstitit eis Dominus, susceptumque corpus sanctum in nube deferri iussit in paradisum: ubi nunc, resumpta anima, cum electis eius exsultans, aeternitatis bonis, nullo occasuris fine, perfruitur.

- 1605 Cap. IX. Maria vero gloriosa genitrix Christi, ut ante partum, <sup>PL 71, 713</sup> ita virgo creditur et post partum, quae, ut supra diximus, angelicis choris canentibus, in paradisum, Domino praecedente, translata est.
- 1606 Cap. XI. [...] Nec mirum si beata Virgo sine labore suis protulit <sup>PL 71, 716</sup> victum, quae sine coitu viri concipiens, virgo permansit et post partum.
- 1607 Lib. II, cap. XXXV. [...] Agit hoc ille Dominus ad glorificandum Martyrem, qui implens uterum Virginis sine semine, permanere praestitit matrem in castitate. <sup>PL 71, 822</sup>

#### VITAE PATRUM

- 1608 Cap. XIX. [...] Cum ipse Salvator mundi ab illo rudis saeculi exordio patriarchis se praestat videri, prophetis annuntiari, ad extremum semper virginis intactaeque Mariae dignatur utero suscipi, et praepotens immortalisque Creator mortalis carnis patitur amictu vestiri, mortem pro hominis peccato mortui reparatione adire, vice torque resurgere. <sup>PL 71, 1087</sup>

#### S. ANASTASIUS Antiochenus (†599)<sup>2</sup>

##### DE INCARNATIONE

- 1609 Verbum enim quod in principio erat Deus, cum vellet fieri homo, quia non posset homo aliter salvus fieri, ingressum est in uterum virginalem et omnis corruptionis expertem: erat enim *virgo casta* <sup>PG 89, 1338</sup>

<sup>1</sup> Act. IV, 34, 35.

<sup>2</sup> Vide alios locos Anastasio attributos, sub titulo « Incertus Auctor ».

• PL 71, 170, 171, 523, 524, 707, 715, 722, 919, 1026.

divinitas ab hominibus sustineri non poterat nisi corporis assumptione visibilis.

4. Natus ergo ex sancta et incontaminata Virgine, ut sanctae nativitatis nobis praestaret initium. Natus est, secundum quod ante dictum fuerat per prophetam: *Ecce virgo in utero concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel: quod est interpretatum, Nobiscum Deus.*<sup>1</sup> Crede ergo, hunc, qui ex Virgine natus est, nobiscum esse Deum; Deum ante saecula de Patre: hominem ex Virgine propter homines.

### S. HIERONYMUS, EUSEBIUS (ca 347 †419/420)

#### DE PERPETUA VIRGINITATE B. MARIAE ADVERSUS HELVIDIUM (383)

PL 23, 183 (\*193) 1. Nuper rogatus a fratribus, ut adversus libellum cuiusdam 785  
Helvidii responderem, facere distuli: non quod difficile fuerit, hominem rusticum, et vix primis quoque imbutum litteris, super veri assertione convincere: sed ne respondendo dignus fieret, qui vinceretur. Huc accedebat quod homo turbulentus, et solus in universo mundo sibi et laicus et sacerdos (qui ut ait ille, loquacitatem

\*184 facundiam existimat [al. existimet], et maledicere omnibus, \* bonae conscientiae signum arbitratur) accepta materia disputandi, amplius inciperet blasphemare, et quasi de sublimi loco in totum orbem ferre sententiam: neque quia veritate non posset, laceraret [al. lacrare] conviciis. Verum quia hae omnes tam iustae silentii mei causae, ob scandalum fratrum, qui ad eius rabiem movebantur, iustiori fine cessarunt, iam ad radices infructuosae arboris Evangelii securis est admovenda,<sup>2</sup> et cum infecunditate \* foliorum tradenda flammis, ut discat aliquando reticere, qui nunquam didicit loqui.

185 (\*194)

2. Igitur sanctus mihi invocandus est Spiritus, ut beatae Mariae virginitatem suo sensu, ore meo defendat. Invocandus est Dominus Iesus, ut sacri ventris hospitium, cuius decem mensibus inhabitator fuit, ab omni concubitus suspicione tueatur. Ipse quoque Deus Pater est imprecandus, ut matrem Filii sui, virginem ostendat fuisse post partum, quae fuit mater antequam nupta. Non campum rhetorici desideramus eloquii, non dialecticorum tendiculas, nec Aristotelis spineta conquerimus: ipsa Scripturarum verba ponenda

<sup>1</sup> Isa. VII, 14; Matth. I, 23.

<sup>2</sup> Matth. III, 10.

sunt: ipsis quibus adversum nos usus est testimoniiis, revincatur, ut intelligat, se et legere potuisse quae scripta sunt, et non potuisse quae pietate roborata sunt, cognoscere.

786 3. *Helvidius*. - Prima eius propositio fuit: Matthaeus loquitur: *Christi autem generatio sic \* erat: Cum esset despensata mater eius Maria Ioseph, priusquam convenientirent, inventa est habens in utero de Spiritu sancto. Ioseph autem vir eius, cum esset iustus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Haec autem eo cogitante, ecce angelus Domini in somnis apparuit ei, dicens: Ioseph, fili David, ne timeas accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim natum est in ea, de Spiritu sancto est.*<sup>1</sup> Ecce, inquit, habes *desponsatam*, non *commendatam*, ut dicis, at utique non ob aliud *desponsatam*, nisi quandoque nupturam. Neque enim de non conventuris Evangelista dixisset: *Priusquam convenientirent*, quia nemo de non pransuro dicit, antequam pranderet. Deinde ab angelo *uxorem* appellatam et *coniunctam*. Audiamus nunc quid Scriptura pronuntiet: *Exurgens*, inquit, *Ioseph a somno, fecit sicut praeceperat ei angelus Domini: et accepit uxorem suam et non cognovit eam, donec peperit filium suum.*<sup>2</sup>

PL 23,  
185 (194)  
(\*195)

4. *Hieronymus*. - Curramus per singula, et impietatem iisdem, quibus ingressa est, vestigiis persequentes, pugnantia inter se dixisse doceamus. *Desponsatam* confitetur: et statim *uxorem* vult esse quam confessus est sponsam. Rursum quam *uxorem* nominat, dicit non ob aliud *desponsatam*, \* nisi quandoque nupturam. Et ne parum hoc arbitremur: « *Habes, inquit, despensatam, et non commendatam*, id est, necdum *uxorem*, necdum maritali vinculo copulatam. In eo vero quod ait, Neque enim de non conventuris Evangelista dixisset: *Priusquam convenientirent*: quia nemo de non pransuro dicit, antequam pranderet, doleamne, an rideam, nescio ». Imperitiae arguam, an temeritatis accusem? Quasi si quis dixerit: Antequam in portu pranderem, ad Africam navigavi, non possit stare sententia, nisi ei in portu prandendum quandoque sit. Aut si velimus dicere: Paulus apostolus antequam ad Hispanias pergeret, Romae in vincula connectus est. Aut certe illud: Helvidius antequam poenitentiam ageret, morte praeventus est: statim aut Paulo post vincula ad Hispanias sit eundum: aut Helvidio poenitentia agenda post mortem; cum Scriptura dicat: *In inferno autem quis confitebitur tibi?*<sup>3</sup> Ac non potius sit intelligendum, quod *ante* praepositio, licet saepe consequentiam indicet, tamen nonnunquam ea tantum quae prius cogi-

\*186

<sup>1</sup> Matth. I, 18 ss.

<sup>2</sup> Matth. I, 24-25.

<sup>3</sup> Ps. VI, 6.

tabantur, ostendat. Unde nec necesse sit ut cogitata fiant, cum aliud ideo intervenerit, ne \*ea quae cogitata sunt, fierent. Igitur cum Evangelista dicat: *Priusquam convenienter*, proximum nuptiarum tempus ostendit, et in eo iam rem fuisse ut, quae prius sponsa fuerat, esse uxor inciperet. Quasi dixerit: Antequam oscula amplexusque miscerent; antequam rem agerent nuptiarum, inventa est habens in utero. Inventa est autem a nullo alio, nisi a Ioseph, qui sponsae uterum tumentem pene iam licentia maritali, et curiosis oculis deprehendit. Non tamen sequitur, ut prioribus docuimus exemplis, eum cum Maria convenisse post partum, cuius conveniendi desiderium, uteri conceptione sublatum est. Quod autem in somnis dicitur ad Ioseph: *Ne timeas accipere Mariam uxorem tuam*. Et rursum: *Exsurgens autem Ioseph a sonno, fecit sicut praecepit ei angelus Domini, et accepit uxorem suam*,<sup>1</sup> nullum movere debet, quasi ex eo quod *uxor* est appellata, *sponsa* esse desierit: cum hanc esse Scripturae divinae consuetudinem noverimus, ut *sponsas* appellet *uxores*. Sicut in sequentibus Deuteronomii testimonii approbatur: *Si quis, inquit, invenerit virginem despontatam viro in campo, et vim \*faciens dormierit cum ea, morte moriatur, quia humiliavit uxorem proximi sui.*<sup>2</sup> Et in alio loco: *Si autem fuerit adolescentula despontata viro, et invenerit homo eam in civitate, et dormierit cum ea, educetis utrumque ad portas civitatis illius, et lapidabuntur lapidibus, et morientur. Adolescentula quidem, quia non proclamavit, cum esset in civitate: vir autem, quia humiliavit uxorem proximi sui: et eradicabitis malum [al. malignum] ex vobis metipsis.*<sup>3</sup> Necnon et alibi: *Et quis ille homo, cui despontata est uxor, et non accepit [al. accipiet] eam? Vadat et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et homo alius accipiat eam.*<sup>4</sup> Si cui autem scrupulus commovetur quare despontata, et non potius sine sponso, sive (ut Scriptura appellat) marito, virgo conceperit, sciat triplicem fuisse rationem. Primo, ut per genealogiam Ioseph, cuius Maria cognata erat, origo quoque Mariae monstraretur. Secundo, ne iuxta legem Moysi ut adultera lapidaretur a populo. Tertio, ut ad Aegyptum fugiens haberet solatum, custodis potius quam mariti. Quis enim in tempore illo credidisset Virgini de sancto eam Spiritu concepisse; venisse angelum Gabriel, Dei detulisse mandatum; ac non magis quasi adulteram, iuxta exemplum Susanna, sententiae omnium condemnassent, cum hodie, toto iam credente mundo, \*argumententur iudei, Isaia di-

<sup>1</sup> Matth. I, 20, 24.

<sup>2</sup> Deut. XXII, 25.

<sup>3</sup> Deut. XXII, 23-24.

<sup>4</sup> Deut. XX, 7.

cente, *Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium*<sup>1</sup> in hebraeo *iuvenculam* scriptum esse, non *virginem*, id est, *AALMA*, non *BETHULA*? Adversus quos in alio loco competentius dissereremus. Denique excepto Ioseph, et Elisabeth, et ipsa Maria, paucisque admodum, si quos ab his audisse possumus aestimare, omnes Iesum filium aestimabant Ioseph; intantum, ut etiam Evangelistae opinionem vulgi exprimentes, quae vera historiae lex est, patrem eum dixerint Salvatoris, ut ibi: *Et venit in spiritu in templum* (haud dubium quin Simeon), *et cum inducerent parentes eius puerum Iesum, ut facerent de illo secundum consuetudinem legis.*<sup>2</sup> Et alibi: *Et erant pater illius et mater admirantes super his quae dicebantur de eo.*<sup>3</sup> Et rursum: *Et ibant parentes eius per annum in Ierusalem in solemni die Paschae.*<sup>4</sup> Ac deinde: *Et completis diebus cum reverterentur, \* remansit puer Jesus in Ierusalem, et non cognoverunt parentes eius.*<sup>5</sup> Ipsa quoque Maria quae ad Gabrielem responderat, dicens: *Quomodo erit hoc, quia virum non cognovi*, quid de Ioseph loquitur, ausulta: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego, dolentes quaerebamus te.*<sup>6</sup> Non hic iudeorum, ut plerique argumentantur, non illudentium vox est. Evangelistae patrem Ioseph dicunt: patrem Maria confitetur. Non quod (ut superius indicavi) vere pater Ioseph fuerit Salvatoris; sed quod ad famam Mariae conservandam, pater sit ab omnibus aestimatus, qui antequam moneretur ab angelo: *Ioseph, fili David, ne timueris accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*<sup>7</sup> cogitabat occulte dimittere eam. Intantum suum non esse, qui conceptus fuerat, confidebat. Sed iam satis docendi magis, quam respondendi studio disputatum est, cur Ioseph pater Domini, cur Maria appellata sit coniux: in quo et hoc breviter continetur, cur fratres eius quidam esse dicantur.

\*188

787 5. *Helvidius.* - Verum quia suum locum huic quaestiunculae reservamus, et ad reliqua festinat oratio: nunc illud est disserendum, quomodo Scriptura dicat: *Exsurgens autem Ioseph a somno, fecit sicut praecepit ei angelus Domini, et accepit \* uxorem suam, et non cognoscebat eam, donec peperit filium, et vocavit nomen eius Iesum.*<sup>8</sup> In quo primum adversarius superfluo labore desudat, cognoscere

PL  
23, 188  
(197)

(\*198)

<sup>1</sup> Isa. VII, 14.<sup>2</sup> Le. II, 27.<sup>3</sup> Le. II, 33.<sup>4</sup> Le. II, 41.<sup>5</sup> Le. II, 43.<sup>6</sup> Le. II, 48.<sup>7</sup> Matth. I, 20.<sup>8</sup> Matth. I, 24-25.

scendi verbum ad coitum magis, quam ad scientiam referendum: quasi hoc quisquam negaverit, et eas ineptias quas redarguit, aliquando prudens quispiam potuerit suspicari. Deinde vult docere, quod *donec*, sive *usque*, adverbium, certum tempus significet: quo completo fiat id, quod usque ad illud temporis quod praescriptum est, non fiebat, velut in praesenti: *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium.* Apparet, inquit, cognitam esse post partum, cuius cognitionem filii tantum differebat generatio. Et ad hoc approbadum congerit de Scripturis exempla quamplurima, more andabatarum gladium in tenebris ventilans, et linguae sonum ad confondienda sui tantum corporis membra concutiens.

\*189 \* 6. *Hieronymus.* - Ad quod nos breviter respondemus, *et cognoscet, et usque*, sermonem, in Scripturis sanctis, duplice intelligi. Et de eo quidem quod scriptum est, *cognoscebat*, ad coitum esse referendum, ipse disseruit: nullo dubitante, quin ad scientiam saepe referatur, ut ibi: *Remansit puer Iesus in Ierusalem et non cognoverunt parentes eius.*<sup>1</sup> Nunc illud est ostendendum, ut quomodo ibi consuetudinem Scripturae secutus est, sic etiam in *donec*, eiusdem Scripturae auctoritate frangatur, quae saepe certum tempus (ut ipse disseruit) in eius assumptione significat, saepe infinitum ut est illud, quod Deus ad quosdam loquitur in Propheta: *Ego sum, ego sum, et donec senescatis ego sum.*<sup>2</sup> Numquid postquam illi senuerint, Deus esse desistet? Et Salvator in Evangelio ad Apostolos: *Ecce ego, inquit, vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.*<sup>3</sup> Ergo post consummationem saeculi a discipulis suis Dominus abscedet, et tunc quando in duodecim soliis iudicaturi sunt duodecim tribus Israel,<sup>4</sup> Domini consortio fraudabuntur? Paulus quoque apostolus Corinthiis scribens: *Primitiae, ait, Christus: deinde hi qui sunt Christi, qui in adventu eius crediderunt: deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum destruxerit omnem principatum \* et omnem potestatem et virtutem.* Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius; *omnia enim sub pedibus eius subiecit.*<sup>5</sup> Esto, de homine dictum sit, non negamus de eo qui passus est crucem, qui postea sedere iubetur a dextris. Quid sibi vult hoc quod ait: *Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius?* Numquid tandiu regnaturus est Dominus, donec incipient esse inimici sub pedibus eius; et postquam illi sub pedibus

<sup>1</sup> Lc. II, 43.

<sup>2</sup> Isa. XLIII; Ierem. VII.

<sup>3</sup> Matth. XXVIII, 20.

<sup>4</sup> Matth. XIX, 28.

<sup>5</sup> I Cor. XV, 23-25.

fuerint, regnare desistet: cum utique tunc magis regnare incipiet, cum inimici coeperint esse sub pedibus? David quoque in quarto graduum psalmo: *Sicut oculi ancillae in manibus dominae sua, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.*<sup>1</sup> Ergo tandem Propheta oculos habebit ad Dominum, quandiu misericordiam impetrat, et post impetratam misericordiam, oculos torquebit in terram? Qui in alio loco dicit: *Oculi mei defecerunt in salutare tuum et in verbum iustitiae tuae.*<sup>2</sup> Poteram super hoc innumerabilia exempla congerere, et omnem lacescentis procacitatem, testimoniorum nube celare; verum adhuc pauca subiiciam, ut his similia ipse sibi lector inveniat.

7. Loquitur in Genesi sermo divinus: *Et tradiderunt Iacob deos alienos, qui erant in manibus eorum, \* et in aures quae erunt in auriculis eorum. Et abscondit ea Iacob subter terebinthum, quae est in Sichimis, et perdidit ea usque in hodiernum diem.*<sup>3</sup> Item in fine Deuteronomii: *Et defunctus est Moyses servus Domini in terra Moab per verbum Domini, et sepelierunt eum in Geth, prope domum Phegor, et nemo scit sepulcrum eius usque in diem istum.*<sup>4</sup> Certe hodiernus dies illius temporis aestimandus est, quo historia ipsa contexta est, sive Moysen dicere volueris auctorem Pentateuchi, sive Ezram eiusdem instauratorem operis, non recuso. Nunc hoc quaeritur, an id quod dictum est, *usque in diem istum*, ad illam referatur aetatem, qua libri editi sive conscripti sunt. Doceat igitur post illam diem tot iam annorum usque ad nos voluminibus exactis, aut idola, quae sub terebintho condita fuerant, reperta, aut Moysi tumulum investigatum, quia obnixe asserit, post *donec et usque*, esse incipere, quod tandem non fuit quandiu *usque* compleretur, et *donec*. Quin potius animadvertisca Scripturae sanctae idioma, et nobiscum, in quo haesitabat, intelligat ea, de quibus posset ambigi, si non fuissent scripta, signari, caetera \* vero nostra intelligentiae derelinqui. Si enim adhuc recenti tempore, viventibus his qui viderant Moysen, sepulcrum eius potuit ignorari multo magis tot saeculis praetereuntibus. Iuxta quod et illud intelligitur de Ioseph, Evangelistam id indicasse, de quo scandalum poterat moveri non eam cognitam esse a viro suo usque ad partum, ut multo magis intelligeremus cognitam non fuisse post partum, a qua tunc se abstinuit, cum adhuc de visione poterat fluctuare.

8. Ad summam, illud requiro, quare se abstinuerit Ioseph usque

<sup>1</sup> Ps. CXXII, 2.

<sup>2</sup> Ps. CXVIII, 123.

<sup>3</sup> Gen. XXXV, 4 ss.

<sup>4</sup> Deut. XXXIV, 6.

\*190

(\*200)

ad partus diem. Respondebit utique, quia angelum audierit dicentem: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.*<sup>1</sup> Ad quod nos inferimus, et certe audierat, *Ioseph, fili David, ne timeas accipere Mariam uxorem tuam.*<sup>2</sup> Prohibitum ei fuerat ne relinquoret, ne adulteram existimaret uxorem. Numquid et a congressu coniugis separatus fuerat, cum utique ne separaretur magis fuisset admonitus? Et audebat, inquit, vir iustus, Dei in utero audiens filium, de uxoris coitu cogitare? Pulchre. Qui ergo somnio tantum credidit, ut uxorem non auderet attingere; is postquam pastorum voce cognoverat, angelum Domini venisse de coelis, et dixisse ad eos: *Nolite timere; ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Domini in civitate David;*<sup>3</sup> et cum eo laudes militiae concinuisse coelestis: *Gloria in excelsis Deo, et super terram pax \* hominibus bonae voluntatis:* qui Simeonem iustum inter amplexus parvuli viderat praedicantem, *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum:*<sup>4</sup> qui Annam prophetissam, magos, stellam, Herodem, angelos viderat; qui, inquam, miracula tanta cognoverat, Dei templum, Spiritus sancti sedem, Domini sui Matrem audebat attingere? Et certe *Maria conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo.*<sup>5</sup> Ac ne impudenter [al. imprudenter] neges ista ignorasse Ioseph: *Et erant, inquit Lucas, pater illius et mater admirantes super his quae dicebantur de eo.* Licet tu mira impudentia haec in graecis codicibus falsata contendas, quae non solum omnes pene Graeciae tractatores in suis voluminibus reliquerunt; sed nonnulli quoque e latinis, ita ut in graecis habeatur, assumpserint. Nec necesse est nunc de exemplariorum varietate tractare, cum omne et Veteris et Novae Scripturae instrumentum in latinum sermonem \* exinde translatum sit, et multo purior manare credenda sit fontis unda, quam rivi.

<sup>PL  
23, 191  
(201)</sup> 7. *Helvidius.* - « Haec, ais, apud me nugae sunt, et argumentationes superfluae; et disputatio magis curiosa, quam vera. Nunquid non potuit Scriptura dicere: *Et accepit uxorem suam, et non fuit amplius ausus contingere eam:*<sup>6</sup> sicut de Thamar dixit et Iuda? Aut defuerunt Matthaeo verba quibus id quod intelligi volebat, posset

<sup>1</sup> Matth. I, 20.

<sup>2</sup> Ibid.

<sup>3</sup> Lc. II, 10, 11.

<sup>4</sup> Lc. II, 29, 30.

<sup>5</sup> Lc. II, 51.

<sup>6</sup> Gen. XXXVIII, 26.

effari? *Non cognovit* inquit, *eam donec peperit filium.*<sup>1</sup> Post partum ergo cognovit, cuius cognitionem ad partum usque distulerat ».

8. *Hieronymus.* - Si tam contentiosus es, iam nunc tua mente superaberis. Nolo mihi aliquod inter partum et coitum tempus interseras. Nolo dicas: *Mulier quaecunque concepit et peperit masculum immunda erit septem diebus, secundum dies secessionis et purgationis suae immundata erit; et octavo die circumcidet carnem præputii eius, et triginta tribus diebus sedebit in sanguine puro, et omne sanctum non tanget, et reliqua.*<sup>2</sup> Statim eam invadat Ioseph: statim audiat per Ieremiam: *Equi insanientes in feminas facti sunt mihi, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.*<sup>3</sup> Alioqui quomodo stare poterit *Non cognovit eam, donec peperit filium:* si post purgationis tempus exspectat: si quadraginta rursum diebus tanto tempore dilata libido differtur? Polluatur crux puerpera: obstetrices suscipiant parvulum vagientem: maritus lassam teneat uxorem. Sic incipiunt nuptiae, ne Evangelista mentitus \* sit. Sed absit, ut hoc de matre Salvatoris et viro iusto sit aestimandum. Nulla ibi obstetrix: nulla muliercularum sedulitas intercessit. Ipsa pannis involvit infantem, ipsa et mater et obstetrix fuit: *Et collocavit eum,* inquit, *in praesepio, quia non erat ei locus in diversorio.*<sup>4</sup> Quae sententia et apocryphorum deliramenta<sup>5</sup> convincit, dum Maria ipsa pannis involvit infantem; et Helvidii expleri non patitur voluptatem, dum in diversorio locus non fuit nuptiarum.

9. *Helvidius.* - Verum quia iam satis abundeque respondimus ad id quod proposuerat, *Antequam convenirent*, et, *Non cognovit eam, donec peperit filium*, ad tertiam veniendum est quaestionem, ut iuxta disputationis eius ordinem, etiam nostrae responsionis ordo procedat. Vult enim alios quoque filios Mariam procreasse; et ex eo quod scriptum est: *Ascendit autem Ioseph in civitatem David, ut profiteretur cum Maria uxore sua prægnante. Factum est autem cum ibi essent, impleti sunt dies, ut pareret, et peperit filium suum primogenitum:*<sup>6</sup> \* nititur approbans primogenitum non posse dici, nisi eum qui habeat et fratres: sicut unigenitus ille vocatur, qui parentibus solus sit filius.

10. *Hieronymus.* - Nos autem ita definimus: Omnis unigenitus est primogenitus: non omnis primogenitus est unigenitus. Primoge-

<sup>1</sup> Matth. I, 25.

<sup>2</sup> Levit. XII, 2, 3, 4.

<sup>3</sup> Ierem. V, 8.

<sup>4</sup> Lc. II, 7.

<sup>5</sup> Hieronymus significat præcipue apocryphum Protoevangelium Iacobi.

<sup>6</sup> Lc. II, 4 ss.

\*192

(\*202)

nitus est, non tantum post quem et alii: sed ante quem nullus. *Omne*, inquit Dominus ad Aaron, *quod aperit vulvam, ab omni carne quae offertur Domino, ab homine usque ad pecus, tibi erunt: tantummodo pretiis redimant primogenita hominum, et primogenita pecorum immundorum.*<sup>1</sup> Definit sermo Dei, quid sit primogenitum; *Omne*, inquit, *quod aperit vulvam*. Alioqui si non est primogenitus, nisi is tantum, quem sequuntur fratres tandem sacerdotibus primogenita non debentur, quandiu et alia fuerint procreata; ne forte partu postea non sequente, unigenitus sit, et non primogenitus. *Redemptio* inquit, *eius erit ab uno mense, aestimatio quinque siclorum. Siclus, secundum siculum sanctuarii, viginti oboli sunt. Tantummodo primogenita vitulorum, et primogenita ovium, et primogenita caprarum non redimes quia sancta sunt.*<sup>2</sup> Cogit me sermo Dei, ut omne, quod aperit vulvam, si de mundis animalibus sit, Deo voveam; si de immundis, redimam, dans pretium sacerdoti. Possum respondere, et dicere. Quid me in unius mensis stringis articulo? Quid primogenitum vocas, quem an fratres sequantur, ignoro? Exspecta donec nascatur sedundus. \*Nihil debeo sacerdoti, nisi et ille fuerit procreatus, per quem is qui ante natus est, incipiat esse primogenitus. Nonne mihi ipsi apices loquentur, et me stultitiae redarguent, eum esse dictum primogenitum, qui aperiat vulvam, non qui habeat et fratres? Denique interrogo de Ioanne, quem constat esse unigenitum, an et primogenitus fuerit? Utrumne et ipse secundum legem, pro toto ei legi fuerit obnoxius? Ambigi non potest. Certe de Salvatore Scriptura sic loquitur: *Cum expleti essent dies purgationis eorum, secundum legem Moysi, duxerunt eum in Ierusalem, ut offerent eum Domino: sicut scriptum est in lege Domini; Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur, et ut darent hostias secundum quod dictum est in lege Domini, par tur turum, aut duos pullos columbarum.*<sup>3</sup> Si haec lex tantum ad primogenitos pertinet, primogenitum autem sequentes faciunt, non debuit lege primogeniti teneri, qui de sequentibus ignorabat. Sed

\*193

(\*203)

quia tenetur lege primogeniti, etiam \* ille quem fratres caeteri non sequuntur: colligitur eum primogenitum vocari, qui vulvam aperiat et ante quem nullus sit, non eum quem frater post genitus subsequatur. Moyses scribit in Exodo: *Factum est autem circa medium noctem, et Dominus percussit omne primogenitum in terra Aegypti, a primogenito Pharaonis, qui sedebat super thronum eius, usque ad*

<sup>1</sup> Exod. XXXIV, 19, 20; Num. XVIII, 15.

<sup>2</sup> Num. XVIII, 16, 17.

<sup>3</sup> Lc. II, 22 ss.

*primogenitum captivae quae est ad lacum, et omne primogenitum percoris.*<sup>1</sup> Responde mihi: Qui tunc ab exterminatore fuerant interempti, primogeniti fuerunt an et unigeniti? Si primogeniti tantum illi vocantur, qui fratres habent ergo ab internecione unigeniti liberati sunt. Si autem ut unigeniti caesi sunt, contra sententiam factum est, ut inter primogenitos et unigeniti morerentur. Aut unigenitos liberabis a poena, et ridiculus eris: aut si confiteberis interfectos, ingratis obtinebimus, et unigenitos primogenitos appellari.

11. *Helvidii ultima propositio.* - Extrema propositio fuit (licet id ipsum in primogenito voluerit ostendere), fratres Domini in Evangelii nominari, ut ibi: *Ecce mater eius et fratres eius stabant foris, quaerentes loqui cum eo.*<sup>2</sup> Et alibi: *Post haec descendit Capharnaum, ipse et mater eius, et fratres \* eius.*<sup>3</sup> Et ibi: *Dixerunt ergo fratres eius ad eum: Transi hinc, et vade in Iudeam, ut et discipuli tui videant opera tua quae facis. Nemo enim aliquid in occulto faciens, quaerit ipse in palam esse. Si haec facis, manifesta te ipsum mundo.*<sup>4</sup> Ioanne desuper inferente: *Neque enim fratres eius tunc credebant in eum.*<sup>5</sup> Item Marcus et Mattheus: *Et docebat eos in synagoga eorum in patria sua, ita ut stuparent, et dicerent: Unde huic omnis haec sapientia et virtutes? Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria, et fratres eius Iacobus et Ioseph, et Simon et Iudas, et sorores eius omnes apud nos sunt?*<sup>6</sup> Lucas quoque in Actibus Apostolorum ita refert: *Hi omnes erant instantes unanimes in oratione cum mulieribus et Maria matre Iesu, et fratribus ipsius.*<sup>7</sup> Necnon et Paulus \* apostolus in eadem historiae veritate pari voce concordat: *Ascendi autem secundum revelationem, et neminem vidi, nisi Petrum et Iacobum fratrem Domini.*<sup>8</sup> Et rursum in alio loco: *Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi? Numquid non habemus potestatem uxores circumducendi, sicut et caeteri apostoli, et fratres Domini et Cephas?*<sup>9</sup> Et ne forte aliquis iudeorum testimonium non admitteret, qui etiam nomina fratrum illius ediderunt, simili eos asserens [al. asseris] in fratribus errore deceptos, quo «in patre aestimando sunt lapsi, argute praecaviti, et ait: Haec eadem vocabula ab evan-

\*194

(\*204)

<sup>1</sup> Exod. XII, 29.<sup>2</sup> Lc. VIII, 20.<sup>3</sup> Io. II, 12.<sup>4</sup> Io. VII, 3, 4.<sup>5</sup> Io. VII, 5.<sup>6</sup> Matth. XIII, 54, 55, 56; Marc. VI, 1-3.<sup>7</sup> Act. I, 14.<sup>8</sup> Galat. I, 18, 19.<sup>9</sup> I Cor. IX, 4-5.

gelistis in alio loco nominari, et eosdem esse fratres Domini, filios Mariae ». Matthaeus loquitur: *Erant autem ibi* (haud dubium quin ante crucem Domini) *et mulieres multae a longe spectantes, quae secutae fuerant Iesum a Galilaea, ministrantes illi. Inter quas erant Maria Magdalene, et Maria Iacobi et Ioseph mater, et mater filiorum Zebedaei.*<sup>1</sup> Item Marcus: *Erant autem et mulieres a longe aspicientes, inter quas erant Maria Magdalene, et Maria Iacobi minoris, et Ioseph mater Salome:*<sup>2</sup> ibique post modicum: *Et aliae multae quae ascenderant cum eo in Ierusalem.* Necnon et Lucas: *Erant autem Maria Magdalene et Ioanna, et Maria Iacobi, et caeterae cum eis.*<sup>3</sup>

\*195

12. *Hieronymus.* - Haec idcirco replicavimus, ne \* calumnietur et clamitet, ea quae pro se faciant, a nobis esse subtracta, et sententiam suam, non testimoniis Scripturarum, sed lubrica disputatione convulsam. « Ecce inquit, Iacobus et Ioseph filii Mariae, iidem quos iudei fratres appellaverunt. Ecce Maria Iacobi minoris et Iosetis mater. Minoris autem Iacobi, ad distinctionem maioris, qui erat illius Zebedaei, sicut et in alio loco Marcus ponit: *Maria autem Magdalene, et Maria Iacobi et Iosetis, viderunt ubi poneretur: et transacto Sabbato, emerunt aromata, et venerunt ad monumentum.*<sup>4</sup> Et utique ait: Quam miserum erit et impium de Maria hoc sentire, ut cum aliae feminae curam sepulturae Iesu habuerint, matrem eius dicamus \* absentem: aut alteram esse Mariam, nescio quam, confingamus: praesertim cum Evangelium Ioannis testetur praesentem eam illie fuisse, quando illam de cruce Dominus iam viduam, ut matrem Ioanni commendabat. Aut numquid evangelistae et falluntur et fallunt, ut eorum Mariam matrem dicerent, quos iudei fratres Iesu esse dixerunt »?

(\*205)

13. O furor caecus, et in proprium exitium mens vesana! Dicis ad crucem Domini matrem eius fuisse praesentem, dicis Ioannis discipulo ob viduitatem et solitudinem commendatam: quasi iuxta te non haberet quatuor filios, et innumeratas filias, quarum consortio frueretur? Viduam quoque nominas, quod Scriptura non loquitur. Et cum omnia evangelistarum exempla proponas, solius tibi Ioannis verba non placent. Dicis transitorie, ad crucem Domini eam fuisse praesentem, ne consulto praeteriisse videaris: et tamen quae cum illa mulieres fuerint, siles. Ignoscerem nescienti, nisi viderem consulto reticentem. Audi, itaque, Ioannes quid dicat: *Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, et soror matris eius Maria Cleophae,*

<sup>1</sup> Matth. XXVII, 55, 56.<sup>2</sup> Marc. XV, 40.<sup>3</sup> Le. XXIV, 10.<sup>4</sup> Marc. XV, 47; XVI, 1.

*et Maria Magdalene.*<sup>1</sup> Nulli dubium est, duos fuisse apostolos Iacobi vocabulo nuncupatos, Iacobum Zebedaei, et Iacobum Alphaei. Istum, nescio quem minorem Iacobum, quem Mariae filium, nec tamen matris Domini Scriptura commemorat, apostolum vis esse, an non? Si apostolus est, Alphaei filius erit, et credet in Iesum; et non erit de illis fratribus, de quibus scriptum est: *Neque enim tunc fratres eius credebant in eum.*<sup>2</sup> Si non est apostolus, sed tertius nescio qui Iacobus, quomodo est frater \* Domini putandus, et quomodo <sup>\*196</sup> tertius ad distinctionem maioris appellabitur minor, cum maior et minor, non inter tres, sed inter duos soleant praebere distantiam; et frater Domini apostolus sit, Paulo dicente: *Deinde post triennium veni Ierusalem videre Petrum, et mansi apud illum diebus quindecim. Alium autem apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini?*<sup>3</sup> Et in eadem Epistola: *Et cognita gratia, quae data est mihi, Petrus et Iacobus et Ioannes, qui videbantur \* columnae esse.*<sup>4</sup> Ne autem <sup>(\*206)</sup> hunc putes Iacobum filium Zebedaei, lege Actus Apostolorum. Iam ab Herode fuerat interemptus. Restat conclusio, ut Maria ista quae Iacobi minoris scribitur mater, fuerit uxor Alphaei, et soror Mariae matris Domini, quam Mariam Cleophae Ioannes evangelista cognominat, sive a patre, sive gentilitate familiae aut quacunque alia causa ei nomen imponens. Si [al. Sin] autem inde tibi alia atque alia videtur, quod alibi dicatur: *Maria Iacobi minoris mater:* et hic *Maria Cleophae* [al. Cleophe]: disce Scripturae consuetudinem, eudem hominem diversis nominibus nuncupari. *Raguel* sacer Moysi, et *Iethro* dicitur. *Gedeon*, nullis causis immutati nominis ante praemissis, subito *Ierobaal* legitur. *Ozias* rex Iuda, vicissim *Azarias* vocatur. Mons *Thabor*, *Itabyrium* dicitur. Rursum *Hermom* Phoenices cognominant *Sanior*, et Amorraeus cognominat eum *Sanir*. Eadem coeli plaga tribus nominibus appellatur, *Nageb*, *The-man*, *Darom*; lege Ezechiel. *Petrus*, et *Simon* dicitur, et *Cephas*. *Iudas zelotes*, in alio Evangelio *Thaddaeus* dicitur: multaque alia quae ad exemplum horum pertinent ipse sibi de omnibus Scripturis lector poterit congregare.

14. Nunc illud est quod conamur ostendere, quemadmodum fratres Domini appellantur filii materterae eius, Mariae, qui antea non credentes, postea crediderunt. Licet fieri potuerit, ut uno statim credente, alii diu increduli fuerint, et hanc fuisse matrem Iacobi et Iosetis, id est, Mariam Cleophae uxorem Alphaei, et hanc

<sup>1</sup> Io. XIX, 25.

<sup>2</sup> Io. VII, 5.

<sup>3</sup> Galat. I, 18-19.

<sup>4</sup> Galat. II, 9.

dictam Mariam Iacobi minoris. Quae si esset mater Domini, magis eam, ut in omnibus locis, matrem illius appellasset et non aliorum dicendo matrem, alterius voluisset intelligi. Verum in hac parte contentiosum funem non traho, alia fuerit Maria Cleophae, alia Maria Iacobi et Iosetis, dummodo constet, non eamdem Mariam Iacobi et Iosetis \* esse, quam matrem Domini. Et unde ais, fratres Domini dicti sunt, qui non erant fratres? Iam nunc doceberis, quatuor modis in Scripturis divinis fratres dici, natura, gente, cognatione, affectu. Natura, Esau, Iacob, duodecim patriarchae, Andreas et Petrus, Iacobus et \* Ioannes. Gente, qua omnes iudei inter se fratres vocantur, ut in Deuteronomio: *Si autem emeris fratrem tuum, qui est Hebraeus, vel quae est Hebraea, serviet tibi sex annis; et septimo anno dimittes eum liberum abs te.*<sup>1</sup> Et in eodem: *Constituendo constituves super te principem, quem elegerit Dominus Deus tuus, eum qui ex fratribus tuis sit. Non enim poteris constituere super te hominem alienigenam, quia [Fort. qui] non est frater tuus.*<sup>2</sup> Et rursum: *Ne viso vitulo fratri tui, vel ove eius errantibus per viam, negligas ea: reversione reduces ea fratri tuo. Quod si non appropinquat tibi frater tuus, neque noveris eum, colliges ea intra domum tuam; et erunt tecum donec quaerat ea frater tuus, et reddes ei.*<sup>3</sup> Et apostolus Paulus, *Optabam, inquit, ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, cognatis secundum carnem, qui sunt Israëlitae.*<sup>4</sup> Porro cognatione fratres vocantur, qui sunt de una familia, id est, *patria*: quas latini *paternitates* interpretantur: cum ex una radice multa generis turba diffunditur, ut in Genesi. *Dixit autem Abraham ad Lot: Non sit rixa inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos, quia homines fratres nos sumus.* Ibique, *Et elegit sibit Lot regionem Iordanis, et elevavit Lot ab Oriente, et discesserunt unusquisque a fratre suo.*<sup>5</sup> Et certe Lot non est frater Abrahæ, sed filius fratris eius Aram. Thara quippe genuit Abraham et Nachor et Aram: et Aram genuit Lot. Et rursum: *Abraham autem erat annorum septuaginta quinque, cum exiret de Charan. Et sumpsit Abraham Saram uxorem suam, et Lot filium fratris sui.*<sup>6</sup> Quod si adhuc dubitas fratrem fratris filium nuncupari, accipe exemplum. *Cum autem audisset Abraham, quia captivus ductus est Lot frater suus, numeravit vernaculos suos trecentos*

<sup>1</sup> Deut. XV, 12.

<sup>2</sup> Deut. XVII, 14-15.

<sup>3</sup> Deut. XXII, 1-2.

<sup>4</sup> Rom. IX, 3, 4.

<sup>5</sup> Gen. XIII, 8, 11.

<sup>6</sup> Gen. XII, 4, 5.

\*197

(\*207)

*decem et octo.*<sup>1</sup> Et cum caedem nocturni impetus descripsisset, adiecit: *Et reduxit omnem equitatum Sodomorum, et Lot fratrem suum reoveavit.*<sup>2</sup> \* Sufficiant haec ad ea quae diximus approbanda. Sed ne in aliquo cavilleris, et te quasi lubricus anguis evolvas, testimoniorum \* stringendus es vineulis, ne querulus sibiles, et dicas, te magis argumentationibus tortuosis, quam Scripturarum veritate superatum. Iacob, Isaac filius ac Rebeccae, cum fratribus insidias metuens, Mesopotamiam perrexisset, accessit et devolvit lapidem ab ore putei, et adaquavit oves Labam fratris matris suae.<sup>3</sup> *Et osculatus est Iacob Rachel, et exclamans voce sua, ploravit, et indicavit Rachel, quia frater est patris eius, et quia filius Rebeccae est.*<sup>4</sup> Ecce et hic eadem lege qua supra, frater, sororis filius appellatur. Et iterum; *Dixit autem Laban ad Iacob: Quoniam frater meus es, non servies mihi gratis.*<sup>5</sup> Dic mihi, quae sit merces tua. Expletis itaque viginti annis, cum ignorantе socero, uxoribus filiisque comitatus reverteretur ad patriam, consecutus est cum Laban in monte Galaad. Et cum idola quae Rachel occultabat quae sit invenisset in sareinis, respondebat Iacob, et dixit ad Laban: *Quae culpa mea est, et quod delictum meum, quod persecutus es me? Et quare scrutatus es omnia vasa mea? Quid invenisti de omnibus tuis? Pone hic in conspectu fratrum tuorum et fratrum meorum: et redarguent inter nos duos.*<sup>6</sup> Responde qui sint isti fratres Iacob et Laban, qui tunc fuerant in praesenti. Esau certe frater Iacob absens erat et Laban filius Bathuel fratres, excepta sorore Rebeccae, non habuit.

15. Innumerabilia sunt istiusmodi libris inserta divinis. Sed ne longum faciam, ad extremam divisionis partem revertar, id est, et affectu fratres dici, qui in duo scinditur, in spiritale et in commune. In spiritale, quia omnes Christiani fratres vocamur, ut ibi: *Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum.*<sup>7</sup> Et in alio psalmo Salvator: *Narrabo, inquit, nomen tuum fratribus meis.*<sup>8</sup> Et alibi: *Vade, dic fratribus meis.*<sup>9</sup> Porro in commune, quia omnes ex uno patre nati, pari inter nos germanitate coniungimur. *Dicite, ait, his qui oderunt vos, fratres nostri estis.*<sup>10</sup> Et apostolus ad Corinthios:

<sup>1</sup> Gen. XIV, 14.

<sup>2</sup> Gen. XIV, 16.

<sup>3</sup> Gen. XXVIII et XXIX.

<sup>4</sup> Gen. XXIX, 11, 12.

<sup>5</sup> Gen. XXIX, 15.

<sup>6</sup> Gen. XXXI, 36, 37.

<sup>7</sup> Ps. CXXXII, 1.

<sup>8</sup> Ps. XXI, 23.

<sup>9</sup> Io. XX, 17.

<sup>10</sup> Isa. ult. cap. sec. LXX.

(\*209)  
\*199 *Si quis frater nominatur fornicator, \* aut avarus, aut idolis \* serviens, aut maledicuſ, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere,<sup>1</sup> et caetera his similia. Interrogo nunc, iuxta quem modum fratres Domini in Evangelio intelligas appellari. Iuxta naturam! Sed Scriptura non dicit, nec Mariae eos vocans filios, nec Ioseph. Iuxta gentem? Sed absurdum est, ut pauci ex iudeis vocati sint fratres cum omnes qui ibi erant hac lege iudei, fratres potuerint appellari. Iuxta affectum humani iuris ac spiritus? Verum si sic, qui magis fratres quam apostoli, quos docebat intrinsecus, quos matres vocabat et fratres? Aut si omnes quia homines, fratres stultum fuit nuntiari quasi proprium, Ecce fratres tui quaerentes [al. quaerunt] te, cum generaliter omnes homines hoc iure sint fratres. Restat igitur, ut iuxta superiorem expositionem fratres eos intelligas appellatos, cognatione, non affectu; non gentis privilegio, non natura. Quomodo Lot Abrahae, quomodo Iacob Laban est appellatus frater, quomodo et filiae Salphaad accipiunt Clerum inter fratres suos, quomodo et Abraham ipse Saram sororem suam habuit uxorem. Etenim ait: *Vere soror mea est de patre, sed non de matre,*<sup>2</sup> id est, fratriſ est filia, non sororis. Alioqui quale est, ut Abraham vir iustus, patris sui filiam coniugem sumpserit, cum in primis hominibus propter aurium sanctitatem idipſum Scriptura non nominet, malens intelligi, quam proferri; et Deus lege postea sanciat, ac minetur: *Qui acceperit sororem suam de patre suo, vel de matre sua, et viderit turpitudinem eius, ipsa viderit turpitudinem illius, opprobrium est: et exterminabuntur coram filiis generis sui. Turpitudinem sororis suae detexit, peccatum suum recipiet.*<sup>3</sup>*

(\*210) 16. Imperitissime hominum, ista non legeras, et toto Scriptura-  
rum pelago derelicto, ad iniuriam \* Virginis tuam rabiem contulisti,  
\*200 in exemplum eius \* quem fabulae ferunt, cum vulgo esset ignotus, et nihil boni posset facinoris excogitare, quo nobilis fieret, Dianaē incendisse templum: et nullo prodente sacrilegium, fertur ipse in medium processisse, clamitans sese incendium subieciſſe: sciscitan-  
tibus Ephesi principibus, quam ob causam hoc facere voluisset, respondisse: Ut quia bene non poteram, male omnibus innotesce-  
rem. Et hoc quidem graeca narrat historia. Tu vero templum Do-  
minici corporis succendisti, tu contaminasti sanctuarium Spiritus  
sancti, ex quo vis quadrigam fratrum, et sororum processisse con-  
geriem. Denique cum iudeis voce sociata, dicis: *Nonne hic est fabri  
filius? Nonne mater eius dicitur Maria, et fratres eius Iacobus, et Io-*

<sup>1</sup> I Cor. V, 11.

<sup>2</sup> Gen. XX, 12.

<sup>3</sup> Levit. XVIII, 9.

*ses, et Simon, et Iudas, et sorores omnes apud nos sunt?*<sup>1</sup> Omnes, nisi de turba, non dicitur. Quis, te oro, ante hanec blasphemiam noverat, quis dupondii suppeditabat? Consecutus es quod volebas, nobilis es factus in sceleto. Ego ipse qui contra te scribo, cum in eadem tecum urbe consistam albus, ut aiunt, aterve sis, nescio. Praetermitto vitia sermonis, quibus omnis liber tuus scatet. Taceo ridiculum exordium. O tempora! O mores! Non quaero eloquentiam; quam ipse non habens, in fratre Craterio requisisti. Non, inquam, flagito linguae nitorem, animae quaero puritatem. Apud Christianos enim soloecismus est magnus et vitium, turpe quid vel narrare, vel facere. Ad calcem venio, et te cornuta interrogatione concludo, sive tecum agam, quasi superius nihil egerim: eodem modo dictos esse fratres Domini, quo Ioseph dictus est pater, *Ego, inquit, et pater tuus, dolentes quaerebamus te.*<sup>2</sup> Mater haec loquitur, non iudei. Et ipse evangelista referens: *Et erant pater et mater illius admirantes super his \* quae dicebantur de eo,*<sup>3</sup> et his similia, quae iam enumeravimus, in quibus parentes vocantur. Ac ne forte de exemplariorum \* varietate causeris, quia tibi stultissime persuasisti graecos codices esse falsatos, ad Ioannis Evangelium venio, in quo planissime scribitur: *Invenit Philippus Nathanael, et ait illi: Quem scripsit Moyses in lege et prophetae, invenimus Iesum filium Ioseph a Nazareth.*<sup>4</sup> Certe hoc in tuo codice continetur. Responde mihi, quomodo Jesus sit filius Ioseph, quem constat de Spiritu sancto esse procreat? Vere Ioseph pater fuit? Quamvis sis hebes, dicere non audebis? An putabatur? Eodem modo aestimentur et fratres, quo aestimatus est et pater.

(\*211)

\*201

789

17. Sed quoniam iam e cautibus et confragosis locis enavigavit oratio, pandenda sunt vela, et in epilogos illius irruendum, in quibus sciolus sibi visus, Tertullianum in testimonium vocat, et Victorini Petovionensis episcopi verba proponit. Et de Tertulliano quidem nihil amplius dico, quam Ecclesiae hominem non fuisse. De Victorino vero id assero, quod et de evangelistis, fratres eum dixisse Domini, non filios Mariae. Fratres autem eo sensu, quem superius exposuimus, propinquitate, non natura. Verum nugas terimus, et fonte veritatis omisso, opinionum rivulos consectamur. Nunquid non possum tibi totam veterum scriptorum \* seriem commovere: Ignatium, Polycarpum, Irenaeum, Iustinum martyrem, multosque alios apostolicos et \* eloquentes viros, qui adversus Ebionem, et

PL  
23, 201  
(211)

(\*212)

\*202

<sup>1</sup> Matth. XIII, 55; Marc. VI, 3.<sup>2</sup> Lc. II, 48.<sup>3</sup> Lc. II, 33.<sup>4</sup> Io. I, 45.

Theodotum, Byzantium, Valentimum, haec eadem sentientes, plena sapientiae volumina conscripserunt? Quae si legisses aliquando, plus saperes. Sed melius puto breviter ad singula respondere, quam diutius immorando, volumen extendere.

18. In illud nunc impetum facio, in quo tu virginitatem et nuptias comparando, disertus esse voluisti. Risimus in te proverbium, *Camelum videmus saltitantem*. Dicis: «Nunquid meliores sunt virginis Abraham, Isaac, et Iacob, qui habuere coniugia? Nunquid non quotidie Dei manibus parvuli finguntur in ventribus, ut merito erubescere debeamus, Mariam nupsisse post partum? Quod sic illis turpe videtur, superest ut non credant, etiam Deum per genitalia virginis natum. Turpius est enim iuxta eos, Deum per virginis pudenda genitum, quam virginem suo viro nupsisse post partum». Iunge, si libet, et alias naturae contumelias, novem mensibus uterum insolescentem, fastidia, partum, sanguinem, pannos. Ipse tibi describatur infans, tegmine membranorum solito convolutus. Ingerantur dura praecepsa, vagitus parvuli, octavae diei circumcisio, tempus purgationis, ut probetur immundus. Non erubescimus, non silemus.

(\*213)

Quanto sunt humiliora quae pro me passus est, tanto plus \* illi debo. Et cum omnia replicaveris, cruce nihil contumeliosius proferes,

\* quam profitemur, et credimus, et in qua de hostibus triumphamus.

19. Sed ut haec quae scripta sunt, non negamus, ita ea quae non scripta, renuimus. Natum Deum esse de Virgine credimus, quia legimus. Mariam nupsisse post partum, non credimus, quia non legimus. Nec hoc ideo dicimus, quo nuptias condemnemus, ipsa quippe virginitas fructus est nuptiarum: sed quod nobis de sanctis viris temere aestimare nihil liceat. Possumus enim hac aestimatione possibilitatis contendere, plures quoque uxores habuisse Ioseph, quia plures habuerit Abraham, plures habuerit Iacob; et de his esse uxoribus fratres Domini, quod plerique non tam pia quam audaci temeritate configunt. Tu dicis Mariam virginem non permansisse: ego mihi plus vindico etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali coniugio virgo filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, et aliam eum uxorem habuisse non scribitur: Mariae autem quam putatus est habuisse, custos potius fuit, quam maritus: relinquitur, virginem eum mansisse cum Maria, qui pater Domini meruit appellari.

20. Et quia de comparatione virginitatis et nuptiarum sum aliqua dicturus, obsecro lecturos ne me putent nuptiis detraxisse in virginum laude, et aliquam fecisse distantiam inter sanctos veteris Testamenti et novi, id est, inter eos qui habuere coniugia, et hos qui a complexu mulierum penitus recesserunt, verum pro conditione

temporum alii eos tunc subiacuisse sententiae, et alii nos, in quos fines saeculorum decurrerunt. Quandiu lex illa permansit: *Crescite, et multiplicamini, et replete terram;*<sup>1</sup> et, *Maledicta sterilis, quae non parit semen in Israël,*<sup>2</sup> nubebant omnes, et nubebantur, et derelictis parentibus, fiebant una caro. Quando vero vox illa pertonuit: *Tempus breviatum est: reliquum est, ut et qui habent uxores, sic sint, quasi non habeant: adhaerentes Domino, unus cum eo efficimur spiritus.*<sup>3</sup> Et quare? *Quia qui sine uxore est, cogitat ea quae Dei sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quae sunt huius mundi, quomodo placeat uxori. Et divisa est mulier, et virgo, quae non est nupta, cogitat quae sunt Dei, ut sit sancta corpore et spiritu. Nam quae nupta est, cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro.*<sup>4</sup> Quid oblatras? Quid repugnas? Vas electionis haec loquitur, *Divisa est, dicens, \* mulier, et virgo.* Vide quantae felicitatis sit, quae et nomen sexus amiserit. Virgo iam mulier non vocatur. *Quae non est nupta, cogitat quae sunt Domini, ut sit sancta corpore et spiritu.* Virginis definitio, sanctam \* esse corpore et spiritu; quia nihil proposit carnem habere virginem, si mente quis nupserit. *Quae vero nupta est, cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro.* Idem tu putas esse diebus et noctibus vacare orationi, vacare ieiuniis; et ad adventum mariti expolire faciem, gressum frangere, simulare blandicias? Illa hoc agit, ut turpior appareat, et naturae bonum infuscat iniuria. Haec ad speculum pingitur, et in contumeliam artificis conatur pulchrior esse quam nata est. Inde infantes garriunt, familia perstrepit, liberi ab oculis et ab ore dependent, computantur sumptus, impendia praeparantur. Hinc cocorum accincta manus carnes terit, hinc textricum turba commurmurat: nuntiatur interim vir venisse cum sociis. Illa ad hirundinis modum lustrat universa penetralia, si totus rigeat, si pavimenta verrerint, si ornata sint pocula, si prandium praeparatum. Responde, quaeso, inter ista ubi sit Dei cogitatio? Et hae felices domus? Caeterum ubi tympana sonant, tibia clamitat, lyra garrit, cymbalum concrepat, quis ibi Dei timor? Parasitus in contumeliis gloriatur: ingrediuntur expositae libidinum victimae, et tenuitate vestium unde impudicis oculis ingeruntur. His infelix uxor, aut laetatur, et perit: aut offenditur, et maritus in iurgia concitatur. Hinc discordia, seminarium repudii. Aut si aliqua invenitur domus, in qua ista non fiant, quae rara avis est: tamen ipsa dispensatio domus, liberorum educatio, necessitates mariti,

(\*214)

\*204

<sup>1</sup> Gen. I, 28.<sup>2</sup> Exod. XXIII, 26.<sup>3</sup> I Cor. VII, 29.<sup>4</sup> I Cor. VII, 32, 33 ss.

correctio servorum, quam a Dei cogitatione non avocent? *Defecerunt*, inquit Scriptura, *Sarae muliebria*:<sup>1</sup> post quod dicitur ad Abraham: *Omnia quaecumque dicit tibi Sara, audi vocem eius.*<sup>2</sup> Quae non est in partus anxietatibus et dolore, quae deficientibus menstrui cruris officiis, mulier esse desiit, a Dei maledictione fit libera: nec est ad virum conversio eius, sed e contrario vir subiicitur ei, et Domini ei voce praecipitur, *Omnia quaecunque tibi dicit Sara, audi vocem eius*: et sic incipiunt vacare orationi. Quia quandiu in coniugio debitum solvit, orandi praeterit instantia.

21. Non negamus viduas, non negamus maritatas [al. maritas], sanctas mulieres inveniri; sed quae uxores esse desierint, quae in ipsa necessitate coniugii virginum imitentur castitatem. Hoc est,

(\*215) quod \*Apostolus breviter, Christo in se loquente, testatus est: *Innupta cogitat quae Dei sunt, quomodo placeat Deo: nupta vero cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro:*<sup>3</sup> nobis super hoc campum intelligentiae derelinquens. Neque tamen alicui necessitatem imponebit aut laqueum, sed id quod honestum est suadet, volens omnes esse sicut \*seipsum. Et quanquam de virginitate praeceptum Domini non habeat: quia ultra homines est; et quodammodo impudentis erat, adversum naturam cogere, aliquo modo dicere. Volo vos esse, quod angeli sunt: unde et virgo maioris est mercedis, dum id contemnit, quod si fecerit, non delinquit; nihilominus in cohaerentibus infert: *Consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quia bonum est homini sic esse.* Quae est ista necessitas? *Vae praegnantibus et nutrientibus in illa die.*<sup>4</sup>

Ideo silva succrescit, ut postea recidatur. Ideo ager seritur, ut metatur. Iam plenus est orbis, terra nos non capit. Quotidie bella nos secant, morbi subtrahunt, naufragia absorbent, et nihilominus de terminis litigamus? De hoc numero sunt illi, qui Agnum sequuntur,<sup>5</sup> qui vestimenta sua non coinquinaverunt, \*virgines enim permanerunt. Observa quid significet, *coinquinaverunt*. Ego non audeo

(\*216) exponere, ne Helvidius calumnietur. Quod autem ais \*quasdam esse virgines tabernarias, ego tibi plus dico, esse in his et adulteras, et, quo magis mireris, clericos esse caupones, et monachos impudicos. Sed quis non statim intelligat, nec tabernariam virginem, nec adulterum monachum, nec clericum posse esse cauponem? Nunquid vir-

<sup>1</sup> Gen. XVIII, 11.

<sup>2</sup> Gen. XXI, 12.

<sup>3</sup> I Cor. VII, 34.

<sup>4</sup> Matth. XXIV, 19; Marc. XIII, 17.

<sup>5</sup> Apoc. XIV, 4.

ginitatis [*al.* virginitas] est culpa, si simulator virginitatis in crimen est? Ego certe, ut aliis personis praetermissis ad Virginem veniam: quae institorias exerceat artes, nescio an corpore quod scio, spiritu virgo non permanet.

22. Rhetorici sumus, et in morem declamatorum, paululum lusimus. Tu nos, Helvidi, coëgisti, qui iam Evangelio coruscante, eiusdem vis esse gloriae virgines et maritatae [*al.* maritas]. Et quia arbitror te veritate superatum, ad detractionem vitae meae et ad maledicta converti (solent enim hoc et mulierculae facere, quae victoribus dominis male optant in angulis), illud dico præveniens, gloriae mihi fore tua convicia, cum eodem quo Mariae detraxisti, ore me laceres, et caninam facundiam servus Domini pariter et mater.

#### EPISTOLA XXII (384)

- 790** 19. [...] *Exiet virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.*<sup>1</sup> PL 22, 406 Virga Mater est Domini, simplex, pura, sincera, nullo extrinsecus germine cohaerente, et ad similitudinem Dei unione foecunda. Virgae flos Christus est, dicens: *Ego flos campi, et lilyum convallium.*<sup>2</sup> Qui et in alio loco, lapis praedicatur abscissus de monte sine manibus,<sup>3</sup> significante Propheta, virginem nasciturum esse de Virgine. Manus quippe accipiuntur pro opere nuptiarum, ut ibi: *Sinistra eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.*<sup>4</sup>
- 791** 21. [...] Postquam vero Virgo concepit in utero, et peperit nobis puerum, *cuius principatus in humeros eius,*<sup>5</sup> Deum, fortem, patrem futuri saeculi, soluta maledictio est. Mors per Evam: vita per Mariam. Ideoque et ditius virginitatis donum fluxit in feminas, quia coepit a femina.
- 792** 38. [...] Propone tibi beatam Mariam, quae tantae exstitit puritatis, ut Mater Domini esse mereretur. Ad quam cum Angelus Gabriel in viri specie descendisset, dicens: *Ave gratia plena, Dominus tecum,*<sup>6</sup> consternata et perterrita, respondere non potuit. Nunquam enim a viro fuerat salutata. Denique nuntium discit et loquitur. Et quae hominem formidabat, cum Angelo fabulatur intrepida. Potes et tu esse Mater Domini.

<sup>1</sup> Isa. XI, 1.

<sup>2</sup> Cant. II, 1.

<sup>3</sup> Dan. II, 34.

<sup>4</sup> Cant. II, 6.

<sup>5</sup> Isa. IX, 6.

<sup>6</sup> Le. I, 28.

## EPISTOLA XLVI (386)

<sup>PL 22, 484</sup> 2. [...] Haec terra montuosa, et in sublimi sita: quantum a de-  
liciis saeculi vacat, tantum maiores habet delicias spiritus. Denique  
et Maria mater Domini, postquam ad eam Angeli est facta promis-  
sio, et uterum suum intellexit esse domum filii Dei, derelictis cam-  
pestribus ad montana perrexit. <sup>793</sup>

## COMMENTARIUS IN ECCLESIASTEN (388-389)

<sup>PL 23, 1098 (1154)</sup> [...] Beata terra Ecclesiae, cuius rex est Christus Filius inge-  
nuorum; de Abraham, Isaac, et Iacob, prophetarum quoque et  
sanctorum omnium stirpe descendens, quibus peccatum non fuit  
dominatum; et ob id vere fuerunt liberi. Ex quibus nata est Virgo  
liberior sancta Maria, nullum habens fruticem, nullum germen ex  
latere; sed totus fructus eius erupit in florem, loquentem in Cantico  
canticorum: *Ego flos campi, et lily convallium.*<sup>1</sup> <sup>794</sup>

## COMMENTARIUS IN EPISTOLAM AD GALATAS (ca 388)

<sup>PL 26, 372 (398)</sup> Lib. II, cap. IV, 4, 5. *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus*  
*Filium suum factum ex muliere, factum sub lege: ut eos qui sub lege*  
*erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Diligenter at-  
tendite quod non dixerit, *factum per mulierem:* quod Marcion et  
caeterae haereses volunt, quae putativam Christi carnem simulant:  
sed *ex muliere,* ut non per illam, sed ex illa natus esse credatur.  
Quod autem sanctam et beatam Matrem Domini, mulierem, non  
Virginem nominavit, hoc idem et in Evangelio κατὰ Ματθαῖον scrip-  
tum est, quando uxor appellatur Ioseph,<sup>2</sup> et ab ipso Domino quasi  
mulier increpatur.<sup>3</sup> Non enim necesse erat semper quasi caute et  
timide Virginem dicere, cum mulier sexum magis significet quam  
copulam viri: et secundum intelligentiam graecitatis, γυνὴ tam  
uxor quam mulier valeat interpretari. Sed ut euncta praeteream:  
quomodo sub lege factus est, ut eos qui sub lege erant, redimeret:  
sic propter illos qui nati erant ex muliere, ex muliere nasci voluit.

<sup>PL 26, 414 (442)</sup> Lib. III, Cap. V, 18. [...] Et quomodo in caenum et barathrum  
mortis propter nos descendit, qui orabamus dicentes: *Quis me libe-* <sup>796</sup>

<sup>1</sup> CCL LXXII, 341; Cant. II, 1.

<sup>2</sup> Matth. I, 19.

<sup>3</sup> Io. II, 4.

*rabit de corpore mortis huius?*<sup>1</sup> ita et ex muliere nasci voluit, et esse sub lege, ut eos qui nati erant de muliere, et sub lege, salvaret. Et certe non est natus de muliere, id est, de nupta, sed de virginē. Verum abusive virgo mulier appellata est, propter eos qui illam fuisse virginem nesciebant. Ut itaque propter illos, qui sanctam Mariam arbitrabantur maritum habere, mulier pro virgine posita est: sic propter eos qui aestimabant Christum esse sub lege, nescientes quia factus esset his qui erant sub lege, quasi sub lege<sup>2</sup> dicitur et ipse factus esse sub lege.<sup>3</sup>

#### HEBRAICAE QUAESTIONES IN GENESIM (389-392)

- 797 Cap. XXIV, 43. «Ecce ego sto super fontem aquae, et filiae hominum civitatis egredientur ad hauriendam aquam: et erit virgo, cui ego dixero, da mihi bibere paululum aquae de hydria tua», etc. In hebraeo scriptum est: «Ecce ego stans iuxta fontem aquae, et erit adolescentula, quae egredietur ad hauriendum: et dixero ei: Da mihi bibere paululum aquae de hydria tua», et caetera. *Pro adolescentula* quoque, quae graeco sermone *νεανίς* dicitur ibi legimus ALMA (*הַלְמָעֵל*), quod quidem et in Isaia habetur. Nam in eo loco ubi in nostris codicibus scriptum est: *Ecce virgo concipiet, et pariet.*<sup>4</sup> Aquila transtulit: *Ecce adolescentula concipiet, et pariet.* In hebraeo legitur: *Ecce alma concipiet, et pariet.* Notandum ergo, quod verbum *alma*, nunquam nisi de virgine scribitur, et habet etymologiam ἀπόκρυφως, id est *abscondita*. \* Scriptum siquidem est in Iob: *Sapientia unde invenietur? Et quis locus intellectus? Et abscondetur ab oculis omnis viventis.*<sup>5</sup> Ubi nunc diximus, *abscondetur*, in hebraeo propter declinationem verbi aliter figuratum, NAALMA (*נַאֲלָמָה*) dicitur. Huic quid simile, licet masculino genere declinetur, et in Regnorum libris scriptum est, ex persona Elisaei loquentis ad Giezi: *Et Dominus abscondit a me.*<sup>6</sup> Ergo ALMA, quod interpretatur *abscondita*, id est, virgo, nimia diligentia custodita, maioris mihi videtur laudis esse, quam virgo. Virgo quippe iuxta Apostolum potest esse corpore, et non spiritu. Abscondita vero, quae virgo est, *ἐπίτασιν* (incrementum) virginitatis habet, ut et virgo sit, et abscondita. Et quae abscondita est, iuxta idioma linguae hebraeae,

PL  
23, 973  
(1023)

\* 1024

<sup>1</sup> Rom. VII, 24.

<sup>2</sup> I Cor. IX, 21.

<sup>3</sup> Gal. IV, 5.

<sup>4</sup> Isa. VII, 14.

<sup>5</sup> Iob XXVIII, 20-21.

<sup>6</sup> IV Reg. IV, 27.

consequenter et virgo est; quae autem virgo, non statim sequitur, ut abscondita sit. Hoc idem verbum et in Exodo de Maria sorore Moysi virginem legimus.<sup>1</sup> Ostendant igitur iudei in Scripturis alicubi positum ALMA, ubi *adolescentulam* tantum, et non *virginem* sonet: et concedimus eis, illud quod in Isaia apud nos dicitur: *Eece virgo concipiet, et pariet,* non absconditam virginem, seu adolescentulam significare iam nuptam.<sup>2</sup>

### COMMENTARIUS IN SOPHONIAM PROPHETAM (392)

<sup>PL</sup>  
<sup>25, 1337</sup> Prologus. [...] Taceo de Anna et Elisabeth, et caeteris sanctis 798 mulieribus, quarum velut siderum igniculos, clarum Mariae lumen abseondit.

### EPISTOLA XLVIII (393)

<sup>PL</sup>  
<sup>22, 510</sup> 21. Christus virgo, Mater virginis nostri Virgo perpetua, mater, 799 et virgo. Iesus enim clausis ingressus est ostiis, et in sepulcro eius, quod novum, et in petra durissima fuerat excisum, nec antea quis, nec postea positus est. Hortus conclusus, fons signatus: <sup>3</sup> de quo fonte ille fluvius manat iuxta Ioel,<sup>4</sup> qui irrigat torrentem, vel funium, vel spinarum: funium peccatorum, quibus ante alligabantur [al. alligabamur]; spinarum, quae suffocabant [al. suffocant] semen patrisfamilias. Haec est porta orientalis, ut ait Ezechiel, semper clausa, et lucida, et operiens in se, vel ex se proferens Sancta sanctorum; per quam Sol iustitiae, et Pontifex noster secundum ordinem Melchisedech ingreditur, et egreditur. Respondeant mihi, quomodo Iesus ingressus est clausis ostiis, cum palpandas manus, et latus considerandum, et ossa carnemque monstraverit, ne veritas corporis, phantasma putaretur; et ego respondebo, quomodo sancta Maria sit et mater, et virgo. Virgo post partum, mater ante quam nupta. Igitur ut dicere coeperamus, Christus virgo, virgo Maria, utrique sexui virginitatis dedicavere principia.

### ADVERSUS IOVINIANUM (393)

<sup>PL</sup>  
<sup>23, 221  
(232)</sup> Lib. I, 8. [...] *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum.*<sup>5</sup> 800 Beatus qui Pauli similis erit. Felix qui audit Apostolum praecipien-

<sup>1</sup> Exod. II, 8.

<sup>2</sup> CCL LXXII, 29, 30.

<sup>3</sup> Cant. IV, 12.

<sup>4</sup> Ioél III, 18.

<sup>5</sup> I Cor. VII, 7.

tem, non ignoscentem. Hoc, inquit, volo, hoc desidero, ut imitatores mei sitis, sicut et ego Christi. Ille virgo de Virgine, de incorrupta incorruptus.

- 801 31. Sequitur: *Hortus conclusus, soror mea sponsa: hortus conclusus, fons signatus.*<sup>1</sup> Quod clausum est atque signatum, similitudinem habet Matris Domini, matris et virginis. Unde et in sepulcro Salvatoris novo, quod in petra durissima (*al. purissima*] fuerat excisum, nec ante, nec postea quisquam positus est. Et tamen haec virgo perpetua multarum est mater virginum.

PL  
23, 254  
(265)

- 802 32. Loquitur Isaia spei nostrae fideique mysterium: *Ecce virgo in utero concipiet et pariet filium et vocabis nomen eius Emmanuel.*<sup>2</sup> Scio iudeos opponere solere, in hebraeo verbum ALMA [עלמה] non virginem sonare, sed adolescentulam. Et revera virgo proprie BETHULA [בֵתּוֹלָה] appellatur, adolescentula autem vel puella, non ALMA dicitur, sed NAARA (נָאָרָה). Quid est igitur quod significat ALMA? Absconditam virginem, id est, non solum virginem, sed cum ἐπιτάσσει virginem; quia non omnis virgo abscondita est nec ab hominum fortuito separata conspectu. Denique et Rebecca in Genesi ob nimiam castitatem et Ecclesiae typum, quem in sua virginitate signabat, ALMA scribitur, non BETHULA, sicut manifestum esse poterit ex sermonibus pueri Abraham, quos loquitur in Mesopotamia: *Et dixit: Domine Deus domini mei Abraham, si tu \* diriges viam meam per quam ego ingredior, ecce dum stetero super fontem aquae, virgo quae egredietur ut hauriat aquam, et dixerim ad eam: Da mihi paululum aquae ut bibam de hydria tua; ei responderit: Et tu bibe, et camelis tuis hauriam: haec erit uxor, quam praeparavit Dominus filio domini mei.*<sup>3</sup> In eo enim loco, in quo ait: *Virgo quae egredietur, ut hauriat aquam* in hebraico scriptum est ALMA, id est virgo secreta, et nimia parentum diligentia custodita. Aut certe ostendant mihi ubi hoc verbo appellantur et nuptiae et imperitiam confitebor. *Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium.* Si non praeferuntur nuptiis virginitas, Spiritus sanctus cur maritam, cur viduam non elegit? Nam illo tempore erat Anna filia Phanuelis de tribu Aser, insignis pudicitiae, et semper vacans orationibus et ieuniis in templo Dei. Si conversatio tantum et bona opera et ieunia absque virginitate, Spiritus sancti ad se merentur adventum, potuit et ista mater esse Domini. Curramus ad reliqua: *Sprevit te, inquit, et despexit, virgo filia Sion.*<sup>4</sup> Quam filiam dixerat, appellavit et virginem:

PL  
23, 254  
(266)

<sup>1</sup> Cant. IV, 12.

<sup>2</sup> Isa. VII, 14.

<sup>3</sup> Gen. XXIV, 12 ss.

<sup>4</sup> Isa. XXXVII, 22.

\*255

ne si tantum filiam nominasset, arbitrareris et nuptam. Haec est  
 \*(267) virgo \* filia ad quam alibi dicitur: *Laetare, sterilis, quae non paris, erumpe et clama, quae non parturis, quoniam multi filii desertae magis quam eius quae habet virum.*<sup>1</sup> Ista est de qua per Ieremiam loquitur Deus, dicens: *Numquid obliviscetur sponsa ornamenti sui, aut virgo fasciae pectoralis sua?*<sup>2</sup> De hac in eadem prophetia grande miraculum est, quia femina circumdederit virum, et universitatis parentem virginis venter incluserit.

## EPISTOLA LII (394)

PL 22, 530 4. [...] Amplexetur me modo sapientia, et Abisag nostra, quae nunquam senescit, in meo requiescat sinu. Impolluta enim est, virginitatisque perpetuae, et quae in similitudinem Mariae, cum quotidie generet, semperque parturiat, incorrupta est. 803

## EPISTOLA LXV (397)

PL 22, 628 9. [...] Nam et sancta Maria, quia conceperat eum, in quo omnis plenitudo divinitatis habitat corporaliter, plena gratia salutatur.<sup>3</sup> 804

## COMMENTARIUS IN EVANGELIUM MATTHAEI (398)

PL 26, 23 (24) Lib. I, cap. I, 17. [...] *Virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Cum virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum; sed recordare consuetudinis Scripturarum, quod sponsi viri, et sponsae vocentur uxores. 805

PL 26, 24 (Vers. 18). *Christi autem generatio sic erat.* Quaerat diligens lector et dicat: Cum Ioseph non si pater Domini Salvatoris, quid pertinet ad Dominum generationis ordo deductus usque ad Ioseph? Cui respondebimus primum, non esse consuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo texetur. Deinde ex una tribu fuisse Ioseph et Mariam: unde ex Lege eam accipere cogebatur ut propinquam, et quod simul censemur in Bethleem, ut de una videlicet stirpe generati. *Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph.* Quare non de simplici Virgine, sed de desponsata concipitur? Primum, ut per generationem, Ioseph, origo Mariae monstraretur. Secundo, ne lapidaretur a iudeis ut adultera. Tertio, ut in Aegyp-

<sup>1</sup> Isa. LIV, 1.

<sup>2</sup> Ierem. II, 32.

<sup>3</sup> Le. I, 28.

tum fugiens haberet solatium mariti. Martyr Ignatius etiam quartam addidit causam, cur a despontata conceptus sit: ut partus, inquiens, eius celaretur diabolo, dum eum putat non de Virgine, sed de uxore generatum. *Antequam convenientient, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Non ab alio inventa est nisi \* a Ioseph, qui pene licentia maritali futurae uxoris omnia noverat. Quod autem dicuntur, *Antequam convenientient:* non sequitur, ut postea convenerint; sed Scriptura quod factum non sit, ostendit.

(Vers. 19, 20). *Ioseph autem vir eius cum esset iustus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Haec autem eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens:* Si quis fornaciae coniungitur, unum corpus efficitur.<sup>1</sup> Et in lege praeceptum est, non solum reos, sed et conscientes criminum obnoxios esse peccati;<sup>2</sup> quomodo Ioseph cum crimen celet [al. celaret] uxoris, iustus scribitur? Sed hoc testimonium Mariae est, quod Ioseph sciens illius castitatem, et admirans quod evenerat, celat silentio, cuius mysterium nesciebat. *Ioseph fili David noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.*

(Vers. 21). *Pariet autem filium.* Iam et supra diximus sponsas uxores appellari, quod plenius \* liber adversus Helvidium docet: et blandientis affectu ei per somnum angelus loquitur, ut iustitiam silentii comprobaret. Simulque notandum, quod Ioseph filius esse dicatur [al. dicitur] David, ut Maria quoque de stirpe David monstraretur. *Et vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum,* IESUS hebraico sermone *Salvator* dicitur.

807 (Vers. 24, 25). *Et accepit coniugem suam, et non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum: et vocavit nomen eius Iesum* Ex hoc loco quidam perversissime suspicantur, et alias filios habuisse Mariam, dicentes primogenitum non dici, nisi qui habeat et fratres: cum hic mos sit divinarum Scripturarum, ut primogenitum non eum vocent, quem fratres sequuntur, sed eum qui primus natus sit.

\* Lege supradictum libellum adversus Helvidium.<sup>3</sup>

PL  
26, 25  
(26)

808 Lib. II, cap. XII. (Vers. 49, 50). *Ecce mater mea, et fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.* Isti sunt mater mea, qui me quotidie in credentium animis generant. Isti sunt fratres mei, qui faciunt opera Patris mei. Non ergo iuxta Marcionem et Manichaeum

\*26

PL  
26, 84  
(87)

<sup>1</sup> I Cor. VI, 16.

<sup>2</sup> Levit. V.

<sup>3</sup> Cf. n. 787-788.

matrem negavit, ut natus de phantasmate putaretur; sed apostolos cognationi praetulit, ut et nos in comparatione dilectionis carni spiritum praferamus. *Ecce mater tua, et fratres tui foris stant, quaerentes te.*<sup>1</sup> Quidam fratres \* Domini de alia uxore Ioseph filios suspicuntur, sequentes deliramenta apocryphorum,<sup>2</sup> et quamdam Melcham vel Escham mulierculam \* configentes. Nos autem sicut in libro, quem contra Helvidium scripsimus, continetur, fratres Domini, non filios Ioseph, sed consobrinos Salvatoris, Mariae liberos intelligimus materterae Domini quae esse dicitur mater Iacobi Minoris et Ioseph et Iudae, quos in alio Evangelii loco fratres Domini legimus appellatos.<sup>3</sup> Fratres autem consobrinos dici, omnis Scriptura demonstrat.

<sup>PL 26, 215  
(223)</sup> Lib. IV, cap. XXVII. (Vers. 60). *Et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra, et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit.* In novo ponitur monumento, ne post resurrectionem, caeteris corporibus remanentibus, resurrexisse alius fingeatur. Potest autem et novum sepulcrum Mariae virginalem uterum demonstrare.

## CONTRA RUFINUM (402)

<sup>PL 23, 427 (446)</sup> Lib. II, 4. [...] Trinitatem dicis unius esse Deitatis. Hoe toto credente iam mundo, puto quod et daemones confiteantur Filium Dei natum de Maria Virgine, et carnem naturae humanae, atque animam suscepisse. Si arctius quid rogavero, contentiosum vocabis. Si dicis Filium Dei humanae naturae carnem atque animam suscepisse, oro te, ut absque stomacho respondeas; anima ista, quam suscepit Iesus, eratne antequam nasceretur ex Maria? An in origine virginali, quae de Spiritu sancto nascebatur, cum corpore simul creata est, vel iam in \* utero corpore figurato, statim facta et missa est de coelo? Et tribus unum quid sentias scire desidero. Si fuit (*al.* non fuit) antequam nasceretur ex Maria, necdum ergo erat anima Iesu, et agebat aliquid, ac propter merita virtutum postea facta est anima eius. Si cepit ex traduce, humanarum igitur animalium, quas aeternas fatemur, et brutorum animantium, quae cum corpore dissolvuntur, una conditio est. Sin autem figurato corpore statim creature et mittitur, fatere simpliciter, et nos scrupulo libera.

809

810

<sup>1</sup> Matth. XII, 47.<sup>2</sup> Scilicet protoevangelii Iacobi.<sup>3</sup> Marc. VI, 3.

## EPISTOLA XCVIII (402)

811     8. [... Salvator] habens nostri consortium, qui de terra conditi sumus, nec carnem deduxit de coelo, nec animam, quae prius substiterat, et ante carnem eius condita erat, suo corpori copulavit, sicut Origenis nituntur docere discipuli. Si enim anima Salvatoris, antequam ille humanum corpus assumeret, in coelorum regionibus morabatur, et neendum erat anima illius: impiissimum est dicere, ante corpus eam fuisse Domini, agentem aliquid et vigentem, et postea in animam illius commutatam. Aliud est, si possunt de Scripturis docere, antequam nasceretur ex Maria, habuisse hanc animam Deum Verbum, et ante carnis assumptionem animam illius nuncupatam. Quod si et auctoritate Scripturarum, et ipsa suscipere ratione coguntur, Christum non habuisse animam, antequam de Maria nasceretur (in assumptione enim hominis et anima eius assumpta est) perspicue convincuntur eamdem animam et illius, et non illius \*fuisse dicere. Sed cessent illi a novorum dogmatum impietate furibundi. Nos Scripturarum normam sequentes, tota cordis audacia praedicemus, quod nec caro illius, nec anima fuerint priusquam de Maria nasceretur. Nec ante anima in coelis sit commorata, quam eam postea sibi iunxerit: nihil enim nostrae conditionis e coelo veniens secum Dominus deportavit. Unde quidquid contrarium est veritati, evangelica falce succidens, loquitur: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur.*<sup>1</sup>

PL  
22, 798

\*799

## EPISTOLA CVII (403)

812     3. [...] Ioannes Baptista [Ms. propheta] ad introitum Mariae exultavit, et lusit.<sup>2</sup> Audiebat enim verba Domini per os Virginis, pertonantis: et de utero matris in occursum ei gestiebat erumpere. Igitur quae de reprobatione nata est, dignam habeat ortu suo institutionem parentum.

PL  
22, 870

## EPISTOLA CVIII (404)

813     [...] *Ecce audivimus illum in Ephrata, invenimus eum in campis sylvae.*<sup>3</sup> ZO quippe sermo hebraicus, ut te docente didici, non Mariam matrem Domini, hoc est, αὐτῆν, sed ipsum id est, αὐτὸν si-

PL  
22, 885<sup>1</sup> Matth. XV, 13.<sup>2</sup> Lc. I, 44.<sup>3</sup> Ps. CXXXI, 6.

gnificat. Unde loquitur confidenter: *Introibimus in tabernaculum eius; adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius.*<sup>1</sup> Et ego misera atque peccatrix, digna sum iudicata deosculari praesepe, in quo Dominus parvulus vagiit? Orare in spelunca, in qua virgo puerpera Dominum fudit infantem? Haec requies mea, quia Domini mei patria est.

## COMMENTARIUS IN OSEE PROPHETAM (406)

<sup>PL 25, 939</sup> Lib. III, cap. XIV, 15. [...] Sive desertum intelligimus sanctae Mariae uterum virginale, quod absque semine humano nullo (*al. nulla*) frutice pullulaverit: sed virga simplex atque purissima et unione fecunda ediderit eum florem qui dicit in Cantico Canticorum: *Ego flos campi et lilyum convallium.*<sup>2</sup>

## COMMENTARIUS IN ISAIAM PROPHETAM (408-410)

<sup>PL 24, 109</sup> Lib. III, cap. VII, 14 [...] Ergo iste puer qui nascetur ex Virgine, o domus David, nunc a te appelletur *Emmanuel*, id est, *nobiscum Deus*, quia rebus ipsis probabis a duobus inimicis regibus liberata, Deum te habere praesentem: et qui postea vocabitur Iesus, id est, *Salvator*, eo quod universum hominum genus salvaturus sit, nunc a te Emmanuelis appelletur vocabulo. Verbum CARATHI (כָּרָתִי), quod omnes interpretati sunt *vocabis*, potest intelligi et *vocabit*: quod ipsa scilicet Virgo quae concipiet et pariet, hoc Christum appellatura sit nomine. In multis testimoniorum quae Evangelistae vel Apostoli de libris veteribus assumpserunt, curiosius attendum est, non eos verborum ordinem secutos esse, sed sensum. Unde et in praesenti loco, pro *concipiet in utero*, Matthaeus posuit, *in utero habebit*:<sup>3</sup> et pro *vocabis*, *vocabunt*.<sup>4</sup>

<sup>PL 24, 114</sup> Cap. VIII, 4. [...] Primum Propheta missus est ad Achaz,<sup>5</sup> ut ei praediceret quae Scriptura commemorat: quo audire nolente, ipse Dominus loquitur ad Achaz, et praecepit ei, ut petat sibi signum in profundum, sive in excelsum. Quo respondente: *Non petam, et non tentabo Dominum*, dimisso rege impio, ad domum David Dei verba vertuntur, et promittitur ei Virgo paritura filium, cuius nomen sit *Emmanuel*, hoc est, *nobiscum Deus*. Qui si crebro fuerit invocatus, Samaria subvertatur et Syria: subvertatur autem

<sup>1</sup> Ps. CXXXI, 7.

<sup>2</sup> Cant. II, 1.

<sup>3</sup> Matth. I, 23.

<sup>4</sup> CCL LXXIII, 104.

<sup>5</sup> Isa. VII.

a rege assyriorum, qui et ipsum Iudam postea capturus sit; ita ut omnis terra Iudee vertatur in solitudinem. Rursum ergo sub alia figura partus describitur virginalis. Et dixit Dominus ad Prophetam, ut nequaquam in populos proferat novae nativitatis arcanum, sed scribat eam in isto grandi volumine, quod nunc legimus. Et quo sit mirabilius, humanis verbis, et stylo, quo homines scribere consueverunt, Dei sacramenta comprehendat. Quid est autem illud quod scribitur humano stylo? Ut puer natus velociter spolia detrahat, et cito praedetur, hoc est, ne ultra patiatur regnare diabolum: nec mittat Angelos, nec Prophetas; sed ad salvandas creaturas suas ipse descendant. Facit ergo Propheta quod iussum est, et adhibet sibi duos testes fideles, Uriam sacerdotem, qui legis doctor est, dicente Malachia: *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est:*<sup>1</sup> et Zachariam filium Barachiae, quem Prophetam fuisse, dubium non est. Legimus, quod regnante Achaz, Urias sacerdos fuerit Templi Domini,<sup>2</sup> \* cui praecepit Achaz, ut altare simile altaris Damasci faceret. Et Dierum narrat liber,<sup>3</sup> quod Ezechias filius Achaz quaequerit Dominum in diebus Zachariae eruditus in timore Dei. Exhibit autem se Isaia dignum spiritu prophetali, et praebuit prophetissae, id est, Spiritui sancto, qui sermone hebraico vocatur genere feminino RUа (הָרָא), iuxta illud quod scriptum est: *Accedite ad Dominum, et illuminamini.*<sup>4</sup> Spiritu itaque sancto conceptus est Dominus. Et licet humanus sermo nativitatis eius nequeat explicare mysteria, tamen Gabriel ipsi Virgini loquitur, quae concepit: *Spiritus sanctus veniet super te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: propterea quod nasceretur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>5</sup> Quidam prophetissam sanctam Mariam interpretantur, quam prophetin fuisse, non dubium est: ipsa enim loquitur in Evangelio: *Ecce enim amodo beatam me dicent omnes generationes: quoniam fecit mihi magna qui potens est,*<sup>6</sup> et reliqua. Praecipiturque Isaiae, ut ipsum puerum, qui prius vocabatur Emmanuel, nunc appellat, *accelera, spolia detrahe, festina praedari.* Ascendens enim in altum, captivam duxit captitatem; accepit dona hominibus.<sup>7</sup> Et antequam humanum corpus assumaret: et iuxta infantiam patrem vocaret Deum, et matrem Mariam,

<sup>1</sup> Malach. II, 7.

<sup>2</sup> IV Reg. XVI.

<sup>3</sup> II Paral. XXIX.

<sup>4</sup> Ps. XXXIII, 6.

<sup>5</sup> Lc. I, 35.

<sup>6</sup> Lc. I, 48, 49.

<sup>7</sup> Ps. LXVII; Ephes. IV, 8.

auferetur Damasci fortitudo, et spolia Samariae per regem assyriorum: ut needum natus populum suum, domum David, sola invocatione salvaret. *Urias* interpretatur *lux Domini*; *Zacharias, memoria Domini*; et *Barachias, benedictio Domini*: quibus testibus Christi nativitas comprobatur. Ipse enim in Evangelio duobus euntibus in Emmaus,<sup>1</sup> incipiens a Mose et Prophetis, edisseruit quod de se omnia prophetassent. Iuxta tropologiam, in anima virginali, et nulla sorde maculata, de Spiritu sancto Dei sermo conceptus, velociter de adversariis potestatibus spolia detrahit, et sibi facit universa servire. Cumque ex parte nunc videat, et ex parte prophetet,<sup>2</sup> priusquam possit esse perfectus, et merito vocare Deum Patrem, et matrem suam coelestem Ierusalem, adhuc in infantia et in profectu positus, vincet fortitudinem Damasci, doctrinam videlicet sapientiae saecularis: et auferet spolia Samariae, quibus Ecclesiam haeretici spoliaverunt, dicentes: *Non est nobis portio in David, neque haereditas in filio Iesse*,<sup>3</sup> praesente rege ipso assyriorum, diabolo, qui eis non poterit auxiliari. Tales autem filios non solum Maria prophetis, Virgo perpetua, sed et sanctae mulieres patriarchis generant. *Sara*, quae interpretatur ἔρχουσα, id est, *princeps*, et *Rebecca*, quae in lingua nostra *patientiam* sonat.<sup>4</sup>

<sup>PL 24, 127</sup> Cap. IX, 6. [...] Ideo diabolus, et omnis eius violenta praedatio, qua humanum oppresserat genus, et sanguinem sanguini misuerat, erit in combustionem, et cibus ignis aeterni: quia natus est nobis de Virgine puer, de quo supra dictum est: *Antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum*:<sup>5</sup> et postea in generatione Prophetissae: *Antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam*.<sup>6</sup> Iste igitur puer, qui natus est de Virgine, appellatur *Emmanuel*, id est, *nobiscum Deus*: et de Prophetissa, hoc est, de Sancto generatus Spiritu, nuncupatus est, *accelera, spolia detrahe, festina praedari*: nunc multis nominibus appellatur.<sup>7</sup>

<sup>PL 24, 144</sup> Lib. IV, cap. XI, 1-2. *Et egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet: Et requiescat super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus: spiritus consilii et fortitudinis: spiritus scientiae et pietatis: et replebit eum spiritus timoris Domini.* Usque ad principium Visionis, vel ponderis Babylonis, quod vidit

<sup>1</sup> Le. XXIV.

<sup>2</sup> I Cor. XIII.

<sup>3</sup> III Reg. XII, 16.

<sup>4</sup> CCL LXXIII, 110-112.

<sup>5</sup> Isa. VII, 16.

<sup>6</sup> Isa. VIII, 4.

<sup>7</sup> CCL LXXIII, 126.

Isaias filius Amos, omnis haec prophetia de Christo est, quam per partes volumus explanare, ne simul proposita atque disserta lectoris confundat memoriam. Virgam et florem de radice Iesse, ipsum Dominum iudei interpretantur: quod scilicet in virga regnantis potentia, in flore pulchritudo monstretur. Nos autem virgam de radice Iesse, sanctam Mariam Virginem intelligamus, quae nullum habuit sibi fruticem cohaerentem; de qua et supra legimus: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium.*<sup>1</sup> Et florem Dominum Salvatorem, qui dicit in Canticō Canticorum: *Ego flos campi et lily convallium.*<sup>2</sup> Pro *radice*, quam soli LXX transtulerunt, in hebraico scriptum habet (גֶּזָה) GEZA, quod Aquila et Symmachus et Theodotio κορμὸν interpretati sunt, id est, *truncum*. Et pro flore qui hebraice dicitur (בְּצִיר) NESER, *germen* transtulerunt, ut ostenderent, quod multo post tempore Babylonicae captivitatis, nullo de stirpe David antiqui regni gloriam possidente, quasi de trunco Maria, et de Maria Christus exortus sit.<sup>3</sup>

- 819 Lib. V, cap. XIX, 1. *Onus Aegypti. Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Aegyptum, et movebuntur simulacra Aegypti a facie eius, et cor Aegypti tabescet in medio eius.* [...] PL 24, 181

Quidam totam hanc prophetiam ad Salvatoris tempora referunt, quando ingressus est super nubem levem, id est, corpus humanum, quod ex Virgine assumpserat, nullo humanae commixtionis semine praegravatum: sive quod a nube levi portatus sit, id est, corpore Virginali, et ad ingressum eius omnes daemones contremuerint, tuncque prima idolorum ruina fuerit, praesentiam Domini ferre non sustinens.<sup>4</sup>

- 820 Lib. XIII, cap. XLV, 10. [...] Qui autem coeptam ad Christum refert intelligentiam, sic explanationis suae verba moderatur: Vae eis qui contradicunt Deo, et Christum non putant esse venturum; quasi lutum et testa de testis contradicat figulo suo. Vae qui dicit omnipotenti Patri, quare tu generas Filium, et mulieri sanctae Mariae, quid parturis? De qua seribit et Apostolus: <sup>5</sup> Quod Christus factus sit de muliere, factusque sub lege. Haec ergo dicit Dominus Sanctus Israel, qui plasmavit in virginali utero Salvatorem, dicens per Gabrielem: *Spiritus sanctus veniet super te: et virtus Altissimi obumbrabit tibi:* <sup>6</sup> quod autem nascetur in te sanctum, voca-
- PL 24, 445

<sup>1</sup> Isa. VII, 14.

<sup>2</sup> Cant. II, 1.

<sup>3</sup> CCL LXXIII, 147.

<sup>4</sup> CCL LXXIII, 192.

<sup>5</sup> Gal. IV, 4.

<sup>6</sup> Lc. I, 35.

*bitur Filius Dei: interroget me testa, et futurorum secreta perquirat.*<sup>1</sup>

<sup>PL 24, 464</sup> Cap. XLIX, 1 ss. [...] *Dominus, inquit, ab utero vocavit me, et de ventre matris meae recordatus est nominis mei.* Quod nunc interim audientibus videtur obscurum, postea autem cunctis gentibus notum fiet, quando Gabriel Ioseph de partu dixerit virginali: *Et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum.*<sup>2</sup>

<sup>PL 24, 506</sup> Lib. XIV, cap. LIII, 1 ss. [...] *Ascendet sicut virgultum coram eo;* pro quo LXX transtulerunt, *Annuntiavimus sicut parvulum coram eo:* pro *virgulto*, Symmachus, *ramum* interpretatus est, ut assumptum ostenderet hominem qui processit de utero virginali. De quo infert: *Sicut radix de terra sitienti.* Pro *sitienti*, Aquila interpretatus est, *invia*, ut virginitatis privilegium demonstraret, quod absque ullo humano semine de terra prius invia sit creatus. Iste est de quo et supra legimus: *Exiit virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet;*<sup>3</sup> ut nativitatem eius et ascensum significet in mundo.<sup>4</sup>

#### COMMENTARIUS IN IEREMIAM PROPHETAM (414-416)

<sup>PL 24, 868</sup> Lib. VI, cap. XXX, 8-9. *Et erit in die illa, ait Dominus exercituum, conteram iugum eius de collo tuo, et vincula illius disrumpam: et non dominabuntur eis [Vulg. ei] amplius alieni, sed servient (sive operabuntur) Domino Deo suo, et David regi suo, quem suscitabo eis.* Iste est David, cuius et Evangelium meminit,<sup>5</sup> daturum se nobis, ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi; in sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Quomodo enim primus Adam, et secundus Adam scribuntur iuxta corporis veritatem; sic et David Dominus atque Salvator: quia iuxta carnem ex David, totum in eo sancta Maria conferente, quidquid fuit ex stirpe David, et habente originem atque conceptum de Spiritu sancto.<sup>6</sup>

<sup>1</sup> CCL LXXIII<sup>A</sup>, 509.

<sup>2</sup> Matth. I, 21; CCL LXXIII<sup>A</sup>, 534.

<sup>3</sup> Isa. XI, 1.

<sup>4</sup> CCL LXXIII<sup>A</sup>, 588.

<sup>5</sup> Le. I, 32.

<sup>6</sup> CCL LXXIV, 292.

## DIALOGUS CONTRA PELAGIANOS (415)

- 824 Lib. I, 16. [...] Elisabeth et Zacharias, quo testimonio quasi im-  
penetrabili uteris clypeo, nos docere possunt, quanto inferiores sunt  
beatae Mariae matris Domini sanctitate, quae conscientia in se ha-  
bitantis Dei libere proclamat: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent  
omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum  
nomen eius. Et misericordia eius a progenie in progenies timentibus  
eum. Fecit potentiam in brachio suo.*<sup>1</sup> In quo animadverte, quod  
beatam se esse dicat non proprio merito atque virtute, sed Dei in  
se habitantis clementia. PL  
23, 510  
(533)
- 825 Lib. II, 4. [...] Alienati (al. abalienati) sunt peccatores a vulva,  
erraverunt ab utero, locuti sunt falsa.<sup>2</sup> Vel statim ut nati sunt, subia-  
cuere \*peccato in similitudinem praevacationis Adae, qui est forma  
futuri; vel certe statim ut de utero virginali natus est Christus de  
quo scriptum est *Omnis qui aperit vulvam sanctus Domino vocabi-  
tur;*<sup>3</sup> omnes haeretici erraverunt, non intelligentes mysterium nati-  
vitatis eius. Magisque ad specialem nativitatem Salvatoris, quam  
ad omnium hominum referri potest hoc quod dicitur, *Qui aperit  
vulvam, sanctus vocabitur Domino.* Solus enim Christus clausas por-  
tas vulvae virginitatis aperuit, quae tamen clausae iugiter perman-  
serunt. Haec est porta orientalis clausa, per quam solus Pontifex  
ingreditur et egreditur, et nihilominus semper clausa est. PL  
23, 538  
(562)  
(\*563)

## HOMILIAE

- 826 Homilia in Iohannem [I, 1-14]. [...] Dicit Esaias: *Generationem  
eius quis enarrabit?*<sup>4</sup> Et quomodo ipse dixerat *Ecce virgo in utero  
concipiet et pariet?*<sup>5</sup> Dicit quid factum sit: quando autem dicit,  
*Generationem eius quis enarrabit?* hoc nobis ostendit, quoniam na-  
tus quidem sit, sed quomodo natus sit ignoramus. Sancta Maria,  
beata Maria, mater et virgo, virgo ante partum, virgo post partum.  
Ego hoc miror, quomodo de virgine virgo natus sit, et post natio-  
nem virginis mater virgo sit. Vultis scire quomodo de virgine natus  
sit, et post nativitatem mater ipsa sit virgo? Clusa erant ostia, et  
ingressus est Iesus. Nulli dubium quin clausa sint ostia. Qui intra-
- PLS  
II, 186

<sup>1</sup> Lc. I, 48 ss.<sup>2</sup> Ps. LVII, 4.<sup>3</sup> Exod. XIII, 2; XXXIV, 19.<sup>4</sup> Isa. LIII, 8.<sup>5</sup> Isa. VII, 14.

\*<sup>187</sup> vit \* per ostia clausa, non erat phantasma, non erat spiritus, vere corpus erat. Quid enim dicit? *Respicite et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, quae me habentem videtis.*<sup>1</sup> Habebat carnes, habebat ossa: et clausa erant ostia. Quomodo clausis intraverunt ossa et caro? Clausa sunt ostia, et intrat quem intrantem non videmus. Unde intravit? Omnia clausa sunt, locus non est per quem intret: et tamen intus est qui intravit, et non paret quomodo intravit. Nescis quomodo factum sit, et das hoc potentiae Dei. Da potentiae Dei, quia de virgine natus sit, et tamen ipsa virgo fuerit virgo post partum. Legimus in Iezechiel, in templi aedificatione: *Porta, inquit, haec orientalis, quae respicit ad orientem, semper clausa erit; et nemo, inquit, intrabit per eam, nisi solus pontifex.*<sup>2</sup> Clausa est porta, et nemo intrat per ipsam portam, nisi solus pontifex.<sup>3</sup>

PLS II, 188 Homilia de Nativitate Domini. *Et reclinavit eum in praesepio,* 827

*quia non erat eis locus in diversorio.*<sup>4</sup> Et reclinavit eum mater. Ioseph autem non audebat adtingere, quem sciebat de se non esse generatum: mirabatur, gaudebat natum, et natum non audebat adtingere. Et reclinavit eum in praesepio. Quare in praesepio? Ut conpleretur vaticinium Esaiae prophetae: \* *Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepium domini sui.*<sup>5</sup> Scriptum est in alio loco: *Homines et iumenta salvos facies, Domine.*<sup>6</sup> Si homo es, panem comedere: si animal es, ad praesepe accede. *Quia non erat eis locus in diversorio.* Pulchre dixit, *Non erat eis locus in diversorio:* omnia enim iudaica infidelitas inpleverat. Non invenit locum in sancta sanctorum, quae auro, gemmis, serico et argento fulgebat: et tamen non nascitur inter aurum et divitias, sed in stercore nascitur, hoc est, in stabulo (ubicumque enim stabulum, ibi et stercus est), ubi erant spurcitora peccata nostra. Propterea in stercore nascitur, ut eos qui sunt de stercore sublevet. *Levans de stercore inopem.*<sup>7</sup> In stercore nascitur, ubi et Iob sedebat, et postea coronatus est. Quia non erat eis locus in diversorio. Quicumque pauper est, accipiat consolationem. Ioseph et Maria mater Domini non habebant servulum, non ancillam: de Galilaea, de Nazareth soli veniunt, non habebant iumentum: ipsi sunt domini et famuli.<sup>8</sup>

<sup>1</sup> Le. XXIV, 39.

<sup>2</sup> Ezech. XLIV, 2-3.

<sup>3</sup> CCL LXXVIII, 521.

<sup>4</sup> Le. II, 7.

<sup>5</sup> Isa. I, 3.

<sup>6</sup> Ps. XXXV, 7.

<sup>7</sup> Ps. CXII, 7.

<sup>8</sup> CCL LXXVIII, 524.

828 [... Pastores] venerunt festinantes. Quia tanto ardore currebant, propterea inveniunt quem quaerebant. Videamus quid inveniunt. *Mariam et Ioseph.* Si vere uxor erat, utique iniuriae erat dicere, «Invenerunt uxorem, invenerunt maritum»: nunc vero primum feminam ponunt, postea virum. Et quid dicitur? *Invenerunt Mariam et Ioseph:* invenerunt Mariam matrem, invenerunt Ioseph nutricium. *Et infantem positum in praesepio.* Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero. *Maria autem conservabat omnia verba haec conferens in corde suo.*<sup>1</sup> Quid vult hoc quod dicit, conferens? Debuit dicere, ponens in corde suo: debuit dicere, considerabat in corde suo, et notabat sibi. Aliquis dicit, «Conferens in corde suo»: quoniam sancta erat, et sanctas scripturas legerat, et sciebat prophetas, recordabatur quod angelus Gabrihel sibi dixerat illa, quae dicta sunt in prophetis. Cum his videbat conferens in corde suo si staret *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit te: propterea quod nasceretur de te sanctum, vocabitur filius Dei.*<sup>2</sup> Hoc Gabrihel dixerat. Praedixerat Esaias: *Eece virgo concipiet et pariet.*<sup>3</sup> Hoc legerat, illud audierat. Videbat iacentem puerum, videbat in praesepe puerum vagientem, iacentem Dei filium, suum filium, unum filium: videbat iacentem, et conferebat quae audierat, quaeque legerat, cum his quae videbat.<sup>4</sup>

## TRACTATUS IN LIBRUM PSALMORUM

829 In Ps. LXVI. [...] *Terra dedit fructum suum.*<sup>5</sup> Terra, sancta Maria, de nostra terra, de nostro semine, de hoc luto, de hoc limo, de Adam. *Terra es, et in terram ibis.*<sup>6</sup> Terra ista dedit fructum suum: quod perdidit in paradyso, invenit in Filio. *Terra dedit fructum suum.* Primum dedit florem. Dicit in Cantico canticorum: *Ego flos campi et lilium convallium.*<sup>7</sup> Iste igitur flos fructus factus est, ut nos illum comederemus, ut nos manducaremus carnes ipsius. Vultis scire quid sit iste fructus? Virgo de virgine, Dominus de ancilla, \*Deus ex homine, filius ex matre, fructus ex terra.<sup>8</sup>

830 In Ps. XCVIII. [...] *Et adorate scabillum pedum eius, quoniam*

PLS  
II, 100

\*101

PLS  
II, 111<sup>1</sup> Lc. II, 12, 17 et 19.<sup>2</sup> Lc. I, 35.<sup>3</sup> Isa. VII, 14.<sup>4</sup> CCL LXXVIII, 526-527.<sup>5</sup> Ps. LXVI, 7.<sup>6</sup> Gen. III, 19.<sup>7</sup> Cant. II, 1.<sup>8</sup> CCL LXXXVIII, 545.

*sanctum est.<sup>1</sup>* [...] Legi in cuiusdam libro: « Adsumptio, inquit, humani corporis; hoc est, hominem quem Deus de Maria est dignatus adsumere, ipsum, inquit, dicit scabillum pedum eius ». Licet quidem adsumptus sit homo, et ad conparationem Dei omnis creatura scabillum pedum eius est, tamen hoc ipsum scabillum sociatum est <sup>\*112</sup> Deo et sedenti suo. Videte quam rem audeam loqui. Ego \* ita adoro scabillum quod quondam fuit, sicut thronum.

## LIBER DE NOMINIBUS HEBRAICIS

- |                                     |  |     |
|-------------------------------------|--|-----|
| <small>PL 23,<br/>789 (833)</small> | Mariam, illuminatrix mea, vel illuminans eos, aut smyrna maris,<br>vel stella maris. <sup>2</sup>  | 831 |
| <small>PL 23,<br/>842 (886)</small> | Mariam plerique aestimant interpretari, illuminant me isti, vel<br>illuminatrix, vel smyrna maris, sed mihi nequaquam videtur. Me-<br>lius autem est, ut dicamus sonare eam stellam maris, sive amarum<br>mare: sciendumque quod Maria, sermone syro domina nuncupetur. <sup>3</sup> | 832 |

## COMMENTARIOLI IN PSALMOS

- |                               |  |     |
|-------------------------------|--|-----|
| <small>PLS<br/>II, 52</small> | LVII. <i>Alienati sunt peccatores a vulva.</i> <sup>4</sup> Quidam putant de de-<br>scensu animae in corpus: alii vero de iudeis intellegunt, quod<br>abalienati sunt a Deo, ex quo Maria genuit Salvatorem. | 833 |
|-------------------------------|--|-----|

## TRACTATUS IN PSALMOS 14

- |                                |   |     |
|--------------------------------|---|-----|
| <small>PLS<br/>II, 258</small> | De Ps. XCVI. Titulus psalmi ita praescribitur: <i>Quando terra eius restituta est.</i> Quando dicitur, restituta est, ostenditur quod ante fuerat, et postea non fuerit, et iterum constituta sit. Quae est ergo terra ista David quae restituta est? David terra sancta Maria est, mater Salvatoris. <i>Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.</i> <sup>5</sup> Quod David re promissum fuit, in Mariae virginitate partuque completum est, ubi virgo de virgine procreatur. Atque ita factum est, quod in evangelio dicitur, <i>Verbum caro factum est, et habitavit in nobis:</i> <sup>6</sup> ut quod David fuerat re promissum, per sanctam Mariam | 834 |
|--------------------------------|---|-----|

<sup>1</sup> Ps. XC VIII, 5.

<sup>2</sup> CCL LXXII, 76.

<sup>3</sup> CCL LXXII, 137.

<sup>4</sup> Ps. LVII, 4.

<sup>5</sup> Rom. I, 3.

<sup>6</sup> Io. I, 14.

nobis restitueretur. \* [...] Esaia dicit: *Dominus veniet in Aegyptum* \*<sup>259</sup>  
*in nube levi*,<sup>1</sup> hoc est, in sancta Maria. In nube levi, quia humano.  
 semine non gravabatur.

835 De Ps. XCVI. [...] Unus per mulierem deiectus est, et nunc per PLS  
 mulierem totus mundus salvatus est. In mente tibi venit Heva, sed  
 considera Mariam: illa nos eiecit de paradiſo, ista reducit ad caelum.<sup>2</sup> II, 262

### IN DIE DOMINICA PASCHAE<sup>3</sup>

836 [...] *Haec dies quam fecit Dominus: exsultemus et laetemur in ea.*<sup>4</sup> AM  
 \* Quomodo Maria virgo mater Domini inter omnes mulieres principia- III, 41  
 tum tenet, ita inter ceteros dies haec omnium dierum mater est. \*<sup>414</sup>  
 Rem novam dico, sed quae scripturarum vocibus conprobetur: haec  
 dies et una de septem et extra septem est. Haec est dies, quae ap-  
 pellatur octava; unde et in quibusdam psalmorum titulis super-  
 scribitur « pro octava ». Haec est dies, in qua synagoga finitur, et  
 ecclesia nascitur.

<sup>1</sup> Isa. XIX, 1.

<sup>2</sup> CCL LXXVIII, 445.

<sup>3</sup> Est reapſe S. Hieronymi. Cf. Lau 125. PL 30, 224 (231).

<sup>4</sup> Ps. CXVII, 24.

PL 22, 405, 424, 472, 476, 525, 605, 611, 627, 628, 629, 691, 822, 884,  
 890, 998, 1029, 1066, 1200, 1214. PL 23, 171 (179), 248 (259), 255 (267), 273  
 (286), 328 (342), 427 (447), 432 (452), 435 (455), 459 (491), 497 (519), 570  
 (597), 1159 (1213), 1160 (1214), 1163 (1217), 1164 (1218), 1191 (1229), 1192  
 (1230), 1235 (1293), 1236 (1294), 1293 (1323), 1294 (1324). PL 25, 430, 1136,  
 1174, 1444, 1458, 1477, 1483. PL 26, 98 (99), 169 (176), 214 (223), 330 (354),  
 386 (417), 499 (531), 506 (538), 587 (622), 621 (658), 691 (731), 692 (732),  
 742 (785), 752 (796). PLS II, 54, 105.

■ PL 30, 534, 535, 536, 557, 567, 568, 569, 592, 593, 640.

Epistola IX (PL 30, 122 [126]) non est Hieronymi. Attribuitur Ambrosio  
 Antperto (saec. VIII) vel Paschasio Radberto (saec. IX); cf. PLS II, 265;  
 Lau 125.

Epistola X, quae legitur in PL 30, 143 (147), invenitur etiam inter op.  
 S. Maximi T. (Sermo XI) PL 57, 865, inter op. S. Ildefonsi (Sermo VIII)  
 PL 69, 269, in Ps. Augustini op. (Sermo 208) PL 39, 2129, PLS II, 855, in  
 Homiliario Alani Farfensis (Ignoti Auctoris saec. VIII), neenon in op. Am-  
 brosii Antperti, PL 141, 336. Cf. PLS II, 265 et 855.

Epistola 50, quae invenitur in PL 30, 297, est Paschasi Radberti; cf.  
 PLS II, 278; Lau 125.

DE PHYSICIS LIBER<sup>1</sup>

**214** XVII. Humana insipientibus impossibile videtur esse quod dicitur, ut qui nasci debuit, contra naturam nasci praedicetur ex virgine; cum hoc in humanam rationem non cadat, ut praeter caeteros ita nasceretur, et sit ex matre filius sine patre: cum tamen maxime hoc ei conveniat, ne terrenum patrem habeat qui habet patrem coelestem. Nec negare patrem suum venerat, ut ex alio nasceretur; sed quod deerat in natura gignentis, mater ei sit virgo. Nec sub ista conditione nostrae generationis teneri debebat omnium procreator; cum etiam primi auctores non ex coitu sint generati. Multa quoque genera sunt in saeculo gignentium quae sine coniugio clam multis modis generantur. Conceptus vero ratio, caste insipienti, possibilis. Ex Spiritu sancto praedicatur natus esse qui sanctus est; nihil incredibile. Sed inquinari sanctitas eius videtur ex permixtione; cum non sit permixtio. Interroganti enim virgini et causas conceptionis requirenti, angelus Gabriel ait: *Spiritus sanctus superveniet super te, et virtus Altissimi obumbrabit te:* nec utroque commixtionem nominans; sed superventu Spiritus, virtute Altissimi, coagulatur natura; ut quod in aliis semen efficit, adiungendo sanctius, \*ut decet Deo, per incontaminatum corpus virginis nasceretur.

PL  
8, 1304

\*1305

## S. HILARIUS Pictaviensis (ca 315 † 367/368)

## COMMENTARIUM IN MATTHAEUM (354?)

**215** Cap. I, 1. [...] Quod vero Ioseph potiusquam Mariae nativitas recensetur, nihil refert: eadem enim est totius tribus atque una cognatio. Exemplum autem etiam Matthaeus et Lucas dederunt, patres invicem appellantes, non tam genere quam gente: quia ab uno tribus coepta, sub unius successionis et originis familia continetur. Cum enim filius David atque Abrahae esset ostendendus, quia ita Matthaeus coepit: *Liber generationis Iesu Christi, filii David, filii Abrahae:*<sup>2</sup> non differt quis in originis numero atque ordine collectetur, dummodo universorum familia coepta esse intelligatur ab uno. Ita cum eiusdem tribus sit Ioseph et Maria; dum profectus esse ex Abrahae genere Ioseph ostenditur, profecta quoque docetur et Maria.

PL  
9, 919

<sup>1</sup> Opus attributum Victorino Petoviensi (Woehrer); vel euidam autem Anonymo Afro saec. IV (Clavis 100).

<sup>2</sup> Matth. I, 1.

PL 921

2. [...] Quod vero usque ad Mariam generationes quatuordecim esse scribuntur, cum in numero tredecim reperiantur; nullus error esse poterit scientibus non eam solum esse Domino nostro Iesu Christo originem, quae coepit ex Maria; sed in procreatione corpora-rea, nativitatis aeternae significantiam comprehendendi.

3. Generationis autem ratio simplex est. Nam conceptum ex Spiritu sancto, natum ex Maria virgine, omnium opus prophetarum est. Sed plures irreligiosi, et a spirituali doctrina admodum alieni, occasionem ex eo occupant turpiter de Maria opinandi, quod dictum sit, *Priusquam convenientire, inventa est in utero habens:*<sup>1</sup> et illud, *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam;*<sup>2</sup> et illud, *Non cognovit eam donec peperit;*<sup>3</sup> non recordantes desponsatam fuisse, et dictum hoc Ioseph volenti eam abiicere; quia iustus ipse nolle in eam lege decerni. Igitur ne qua de partu eius ambiguitas existeret, ipse concepti ex Spiritu sancto Christi testis assumitur: dehinc quia desponsata esset, in coniugem recipitur. Cognoscitur itaque post partum id est, transit in coniugis nomen. Cognoscitur enim, non admiscetur. Denique cum transire Ioseph ad Aegyptum admonetur, ita dicitur: *Accipe puerum et matrem eius;* et, *Revertere cum puero et matre eius;*<sup>4</sup> et rursum in Luca: *Et erat Ioseph et mater eius.*\* Et quotienscumque de utroque fit sermo, mater potius Christi, quia id erat; non uxor Ioseph est nuncupata, quia non erat. Sed haec quoque ab angelo ratio servata est: ut cum desponsatam cum iusto Ioseph significabat, coniugem nuncuparet. Nam ita ait: *Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Ergo et coniugis nomen sponsa suscepit, et post partum in coniugem recognita tan-tum Iesu mater ostenditur: ut quemadmodum iusto Ioseph depu-taretur eiusdem Mariae in virginitate coniugium, ita venerabilis eius ostenderetur in Iesu matre virginitas.

\*922

## DE TRINITATE (356-359)

PL 10, 66

Lib. II, 24. Iam in caeteris dispensatio voluntatis paternae est. Virgo, et partus, et corpus; postque crux, mors, inferi, salus nostra est. Humani enim generis causa Dei filius natus ex virgine est et

<sup>1</sup> Matth. I, 18.<sup>2</sup> Ibid. 20.<sup>3</sup> Ibid. 25.<sup>4</sup> Matth. II, 13 et 20.<sup>5</sup> Lc. II, 33.

216

Spiritu sancto, ipso sibi in hac operatione famulante; et sua, Dei videlicet inumbrante virtute, corporis sibi initia consevit, et exordia carnis instituit; ut homo factus ex virginе naturam in se carnis acciperet, perque huius admixtionis societatem sanctificatum in eo universi generis humani corpus exsisteret: ut quemadmodum omnes in se per id quod corporeum se esse voluit conderentur, ita rursum in omnes ipse per id quod eius est invisibile referretur. Dei igitur imago invisibilis pudorem humani exordii non recusavit, et per conceptionem, partum, vagitum, cunas, omnes naturae nostrae contumelias transecucurrit.

- 218     25. Quid tandem dignum a nobis tantae dignationis affectui re-  
pendetur? Inenarrabilis a Deo originis unus unigenitus Deus, in  
corpusculi humani formam sanctae Virginis utero insertus accrescit.  
Qui omnia continet, et intra quem et per quem cuncta sunt, hu-  
mani partus lege profertur, et ad cuius vocem Archangeli atque  
Angeli tremunt, coelum et terra et omnia mundi huius resolvuntur  
elementa, vagitu infantiae auditur.
- 219     26. [...] Videamus igitur quae sunt ministeria conceptus. Ange-  
lus Zachariae loquitur, sterili partus affertur, de incensi loco sacer-  
dos mutus egreditur, Ioannes in vocem adhuc utero matris detentus  
erumpit, Mariam angelus benedit, matrem filii Dei virginem pol-  
licetur. Illa virginitatis suaे conscientia difficultate facti commovetur,  
angelus efficientiam divinae operationis exponit; ait enim, *Spiritus  
sanctus de super veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.*<sup>1</sup> Spi-  
ritus sanctus de super veniens virginis interiora sanctificavit, et in  
his spirans [quia ubi vult, Spiritus spirat]<sup>2</sup> naturae se humanae  
carnis immiscuit; et id, quod alienum a se erat, vi sua ac potestate  
praesumpsit: atque ut ne quid per imbecillitatem humani corporis  
dissideret, virtus Altissimi virginem obumbravit, infirmitatem eius  
veluti per umbram circumfusa confirmans, \* ut ad sementivam in-  
euntis Spiritus efficaciam substantiam corporalem divinae virtutis  
inumbratio temperaret. Haec conceptionis est dignitas.
- 220     27. Videamus partum, vagitum et cunas dignitas quae sequar-  
tur. Loquitur ad Ioseph angelus parituram Virginem, et eum qui  
natus fuerit vocandum Emmanuel, id est, nobiscum Deum. [...] Aliud intelligitur, aliud videtur; aliud oculis, aliud animo conspi-  
citur. Parit virgo: partus a Deo est. Infans vagit: laudantes angeli  
audiuntur. Panni sordent: Deus adoratur.
- 220     Lib. III, 16. [...] Operibus ergo Filii clarificatus est Pater: dum

PL  
10, 66PL  
10, 67

•68

<sup>1</sup> Le. I, 35.<sup>2</sup> Io. III, 8.PL  
10, 85

Deus esse intelligitur, dum Dei unigeniti pater manifestatur, dum ad salutem nostram filium suum etiam ex virgine natum esse hominem voluit, in quo explentur ea omnia in passione, quae de partu virginis coepta sunt.

<sup>PL 10, 87</sup> 19. Quaeris quomodo secundum Spiritum natus sit Filius: ego te de corporeis rebus interrogo. Non quaero quomodo natus ex virginie sit; an detrimentum sui caro perfectam ex se carnem generans perpessa sit. Et certe non suscepit quod edidit, sed caro carnem sine elementorum nostrorum pudore provexit, et perfectum ipsa de suis non imminuta generavit. Et quidem fas esset, non impossibile in Deo opinari, quod per virtutem eius possibile fuisse in homine cognoscimus.

<sup>PL 10, 197</sup> Lib. VI, 50. [... Iudaei] neque interrogant an Christus Dei filius sit, sed an hic sit Christus filius Dei. Error in homine est, non in Dei filio. Nam non quod Christus Dei filius sit ambigitur: atque ita dum interrogatur an hic sit, tamen quod Christus sit Dei filius non negatur. Et qua tandem, rogo, tu<sup>1</sup> istud fide denegas, quod ne ipsi quidem negant qui nesciunt? Cum enim perfecta scientia sit, Christum Dei filium ante saecula manentem, etiam ex virgine nosse natum; ipsi quoque, qui de Maria natum nesciunt, Dei tamen filium esse non nesciunt. Et vide in quod te, negando filium Dei, iudaicae impietatis consortium miscuisti. Quam enim illi damnationis in eum causam attulerint testantur, dicentes: *Et secundum legem debet mori, quoniam filium Dei se fecit.*<sup>2</sup> Anne non hoc etiam impiae tuae vocis opprobrium est, cur se filium dicat, quem tu esse asseras creaturam? Ille, Dei confitendo se filium, reus mortis ab his iudicatur: tu, cum Dei filium negando, quaero quid iudices? Professio enim eius ita iudeis, ut tibi displicet. Interrogo an diversae ab eis sententiae maneas, a quibus non versus sis voluntate? Eadem enim filium Dei eum esse impietate tu denegas. Illi tamen eo crimen minore, quod nesciunt. Nesciunt enim de Maria Christum, sed Christum Dei filium esse non ambigunt. Tu quia Christum non potes nescire de Maria, Christum tamen Dei filium esse non praedicas.

<sup>PL 10, 302</sup> Lib. IX, 26. [...] Hoc ideo, ut se Scriba, secundum carnem et partum Mariae quae ex David esset solum eum intelligens, Dominum potius, secundum Spiritum, David meminisset esse, quam filium.<sup>3</sup>

<sup>1</sup> Ariano loquitur.

<sup>2</sup> Io. XIX, 7.

<sup>3</sup> Marc. XII, 35.

- 224** Lib. X, 15. Si igitur homo Iesus Christus per initia corporis atque animae nostrae vixit in corpore, et non ita ut corporis sui, sic et animae suae princeps Deus, in similitudinem hominis constitutus, et habitu repertus ut homo natus est; dolorem senserit corporis nostri, animae nostrae et corporis, ut conceptu, ita et initio animatus in corpore. Quod si assumpta sibi per se ex Virgine carne, ipse sibi et ex se animam concepti per se corporis coaptavit; secundum animae corporisque naturam, necesse est et passionum fuisse naturam. Evacuans se enim ex Dei forma, et formam servi accipiens, et filius Dei etiam filius hominis nascens, ex se suaque virtute non deficiens, Deus Verbum consummavit hominem viventem. \* Nam quo modo filius Dei hominis filius erit natus; vel manens in Dei forma, formam servi acceperit: si non potente Verbo Deo ex se et carnem intra Virginem assumere, et carni animam tribuere, homo Christus Iesus ad redemptionem animae et corporis nostri perfectus est natus; et corpus quidem ita assumpserit, ut id ex Virgine conceptum, formam eum esse servi effecerit? Virgo enim non nisi ex suo sancto Spiritu genuit quod genuit. Et quamvis tantum ad nativitatem carnis ex se daret, quantum ex se foeminae edendorum corporum susceptis originibus impenderent; non tamen Iesus Christus per humanae conceptionis coaluit naturam. Sed omnis causa nascendi inventa per Spiritum, tenuit in hominis nativitate quod matris est; cum tamen haberet in originis virtute quod Deus est.
16. Hinc igitur maximum illud ac pulcherrimum suscepit hominis sacramentum Dominus ipse ostendit, dicens: *Nemo ascendit in coelum, \* nisi qui de coelo descendit, filius hominis qui est in coelo.*<sup>1</sup>
- Quod de coelo descendit, conceptae de spiritu originis causa est. Non enim corpori Maria originem dedit: licet ad incrementa partumque corporis omne, quod sexus sui est naturale, contulerit. Quod vero hominis filius est, susceptae in Virgine carnis est partus. Quod autem in coelis est, naturae semper manentis potestas est: quae initiata conditaque per se carne, non se ex infinitatis suae virtute intra regionem definiti corporis coartavit.
- 225** 17. Absolute autem beatus Apostolus etiam huius inenarrandae corporeae nativitatis sacramentum locutus est, dicens: *Primus homo de terrae limo, secundus homo de coelo.*<sup>2</sup> Hominem enim dicens, nativitatem ex Virgine docuit: quae officio usa materno, sexus sui naturam in conceptu et partu hominis exsecuta est. Et cum ait secundum hominem de coelo, originem eius ex supervenientis in

PL  
10, 353

\*354

\*355

<sup>1</sup> Io. III, 13.<sup>2</sup> I Cor. XV, 47.

Virginem sancti Spiritus aditu testatus est; atque ita cum et homo est, et de coelis est; hominis huius et partus a Virgine est, et conceptus ex Spiritu est. Et haec quidem Apostolus ait.

<sup>PL 10, 356</sup> 18. Ipse autem Dominus huius nativitatis suae mysterium pandens sic locutus est: *Ego sum panis vivus qui de celo descendit: si quis manducaverit de pane meo, vivet in aeternum,*<sup>1</sup> se panem dicens; ipse enim corporis sui origo est. Ac ne Verbi virtus atque natura defecisse a se existimaretur in carnem, panem suum rursus esse dixit: ut per hoc, quod descendens de coelis panis est, non ex humana conceptione origo esse corporis \* existimaretur, dum coeleste esse corpus ostenditur. At vero cum suus panis est, assumpti per Verbum corporis est professio; subiecit enim: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et sanguinem eius bibetis, non habebitis vitam in vobis:*<sup>2</sup> ut quia id, quod filius hominis est, et panis de coelis ipse descendit: per panem suum de celo descendenter, et per carnem ac sanguinem filii hominis, et conceptae ex Spiritu sancto, et natae ex Virgine carnis intelligatur assumptio.

<sup>PL 10, 357</sup> 20. Quamquam multi confirmandae \* haereseos suae arte, ita aures imperitorum soleant illudere, ut quia et corpus et anima Adae in peccato fuit, carnem quoque Adae atque animam Dominus ex Virgine acceperit, neque hominem totum ex Spiritu sancto Virgo conceperit. Qui si inteligerent sacramentum carnis assumptae, intelligerent etiam sacramentum eiusdem et hominis filii et Dei filii. Quasi vero si tantum ex Virgine assumpsisset quoque ex eadem et animam: cum anima omnis opus Dei sit, carnis vero generatio semper ex carne sit.

<sup>PL 10, 359</sup> 22. Sed ut per se sibi assumpsit ex Virgine corpus, ita ex se sibi animam assumpsit; quae utique numquam ab homine gignentium originibus praebetur. Si enim conceptum carnis nisi ex Deo Virgo non habuit; longe magis necesse est, anima corporis, nisi ex Deo, aliunde non fuerit. Et cum ipse ille filius hominis ipse sit qui et filius Dei, quia totus hominis filius totus Dei filius sit; quam ridicule praeter Dei filium, qui Verbum caro factum est, alium nescio quem tamquam prophetam Verbo Dei animatum praedicabimus, cum Dominus Iesus Christus et hominis filius et Dei filius sit? Per id vero, quod tristis est anima sua usque ad mortem, et quod potestatem habet animae suae ponendae et resumendae, volunt extrinsecus animam, non ex Spiritu sancto, ut et corpus ex eo conceptum est, deputare: cum Verbum Deus, in sacramento naturae

<sup>1</sup> Io. VI, 51, 52.

<sup>2</sup> Ibid. 54.

suae manens, homo natus sit. Natus autem est, non \* ut esset alius atque alius: sed ut ante hominem Deus, suscipiens hominem homo et Deus posset intelligi. Nam quo modo Iesus Christus Dei filius natus ex Maria est, nisi quod Verbum caro factum est: scilicet quod filius Dei, cum in forma Dei esset, formam servi accepit? Accepisse autem formam servi eum, qui esset in Dei forma, de contrariis comparatur: ut quanta veritas est manere in Dei forma, tanta veritas sit accepisse formam servi.

- 229 25. Habuit enim corpus, sed originis suae proprium; neque ex vitiis humanae conceptionis existens, sed in formam corporis nostri virtutis suae potestate subsistens: gerens quidem nos per formam servi, sed a peccatis et a vitiis humani corporis liber; ut nos quidem in eo \* per generationem Virginis inessemus, sed nostra in eo per virtutem profectae ex se originis vitia non inessent: dum homo natus, non vitiis humanae conceptionis est natus. PL 10, 364
- 230 35. [...] Quamvis forma corporis nostri esset in Domino, non tamen in vitiosae infirmitatis nostrae esset corpore, qui non esset in origine, quod ex conceptu Spiritus sancti Virgo progenuit: quod licet sexus sui officio genuerit, tamen non terrenae conceptionis suscepit elementis. Genuit etenim ex se corpus, sed quod conceptum esset ex Spiritu; habens quidem in se sui corporis veritatem, sed non habens naturae infirmitatem: dum et corpus illud corporis veritas est quod generatur ex virgine; et extra corporis nostri infirmitatem est, quod spiritalis conceptionis sumpsit exordium. PL 10, 371
- 231 Lib. XII, 48. Beatam autem illam et veram conceptae intra virginem carnis nativitatem, quia tum creaturae nostrae et naturae et species nascebatur, creaturam et facturam Apostolus nominavit.<sup>1</sup> 50. [...] Apostolus enim videtur, unius ex uno nativitatem, id est, Domini ex virgine sine passionum humanarum conceptu praedicaturus, non extra rationem *factum de muliere* locutus esse, quem natum sciebat, frequenterque dixisset: ut et nativitas veritatem generationis ostenderet, et factura unius ex uno nativitatem protestaretur; quia humanae permixtionis conceptum facturae nomen excluderet, cum factus esse ex virgine disceretur, qui natus magis esse non ambigebatur. At vide tu, quam sis impius, o haeretice. PL 10, 464  
465

<sup>1</sup> Galat. IV, 4.

## DE SYNODIS (359)

<sup>PL 10, 513</sup> IV. « Si quis innascibilem Deum, vel partem eius, de Maria natum esse audet dicere: anathema sit ».<sup>1</sup> 232

<sup>\*514</sup> 42. Ne quod nuncupatae essentiae in Patre et Filio, per indis similem naturam, nomen unum \* est, occasionem haereticis praestaret, ut innascibilem Deum, vel partem eius, nasci de Maria praedicarent; occursum est salutaris definitione sententiae, ut anathema esset hoc confitens. Non enim religiosa unitas nominis, ex indiffer entis naturae essentia constituta, personam genitae ademit essentiae, ut unici ac singularis Dei substantia per unionem nominis intelligatur: cum utriusque essentiae nomen unum, id est, Deus unus, ob indiscretae in utroque naturae indissimilem substantiam praedicetur.

V. « Si quis secundum praescientiam et praedestinationem ante Mariam dicit Filium esse, non ante saecula ex Patre natum apud Deum esse, et per eum facta esse omnia: anathema sit ».

43. Deum omnium nostrum Dei filium, ante quam corporeus nascitur, negaturi tamen secundum praescientiam et praedestinationem, non secundum naturae subsistentis essentiam, fuisse confirmant: id est, ut per praescientiam Patris, quia eum praedestinavit ut esset aliquando, scilicet gignendus ex virgine, nuntiatus nobis fuerit potius, quam ante saecula in naturae divinae substantia natus exstiterit: utque omnia, quae ipse in prophetis de corporationis suae ac passionis sacramentis locutus est, ipsa illa secundum praescientiam de eo a Patre sint dicta. Itaque doctrinae huius perversitas condemnatur: ut cognitus nobis unigenitus Dei filius, natus potius ex Patre ante saecula, et ipsa saecula cum creaturis omnibus condens, quam praedestinatus sit esse gignendus.

<sup>515</sup> IX. « Si quis hominem solum dicat de Maria Filium: anathema sit ».

Filium Dei de Maria non praedicamus, nisi et hominem et Deum praedicemus. Sed ne id, quod Deum et hominem praedicamus, fraudis habeat occasionem, continuo subiecit.

X. « Si quis Deum et hominem de Maria natum dicens, Deum innascibilem sic intelligit: anathema sit ».

47. Conservatur substantiae et nomen et virtus. Cum enim in anathemate sit, qui ex Maria Dei filium hominem sine Deo dixerit; et in eodem iudicio sit, qui in homine innascibilem Deum dixerit:

<sup>1</sup> Ex professione fidei *Sirmien.* (a. 351).

non Deus is, qui in homine est, non esse Deus dicitur; sed Deus innascibilis abnegatur, Patre a Filio non naturae nomine, quia nec diversitate substantiae, sed sola innascibilitatis auctoritate discreto.

### TRACTATUS SUPER PSALMOS (365)

- 233** In psalmum LI, 16. Evulsi autem sunt non ex hoc terreno tantum tabernaculo, sed ex illo de quo dictum est: *Elevabo tabernaculum David quod cecidit:*<sup>1</sup> sanctum illud scilicet et venerabile nati ex Virgine Dei corpus et templum, in quo qui crediderit, tamquam consors dominicae carnis habitabit. Omnis autem infidelis a cognatione hac non crediti corporis, id est, Dei tabernaculo evelletur et emigrabitur, spiritualis huius tabernaculi indignus habitaculo: quod significare Dominus intelligitur, cum ait: *Ego sum vitis vera, vos estis propagines, pater meus agricola est. Omnis propago in me non manens, neque ferens fructum, eradicabitur. Et omnem propaginem in me manentem emundabit pater meus ut fructum ampliorem ferat.*<sup>2</sup> Si qui igitur per fidem corporati Dei manere in natura assumpti a Deo corporis merebuntur, hi emundantur in fructus aeternos ex se afferendos: quia necesse est, ut naturam verae vitis propago intra vitem manens teneat. At vero qui incredulus nati in corpore Dei fuerit, vel si et credens maneat, fructibus tamen fidei suae careat, eradicabitur, aut ob infidelitatem, aut ob inutilitatem fructuum negatorum. Natus enim ex Virgine Dei filius, non tum primum Dei filius cum filius hominis, sed in filio Dei etiam filius hominis, ut et filius hominis esset filius Dei, naturam in se universae carnis assumpsit, per quam effectus vera vitis, genus in se universae propaginis tenet.
- 234** In psalmum LXV, 12. [...] Potestas Christi] enim ut semper est dominans, ita et dominabitur semper: sed in aeternam gloriam eius assumpta ex Virgine carnis natura transfertur. Iesus enim eius hominis qui ex Maria natus est, nuncupatio est; et Iesu nomen, quod super omne nomen, est donatum.
- 235** In psalmum CXXVI, 16. [...] *Ecce hereditas Domini filii (viol.) merces fructus ventris.* Ea ergo in filiis Domini hereditas est, quam ex mercede fructus ventris acceperit. Non enim inanis hic fructus est cum ex virginali ventre manens antea Deus nascitur. Nam merces eius hereditas est, et hereditas filii sunt. *Quotquot, inquit, eum*

<sup>1</sup> Amos IX, 11.

<sup>2</sup> Io. XV, 1, 2.

PL  
9, 317

PL  
10, 429

PL  
10, 700

*recepérunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri,<sup>1</sup> et rursum: *Filioli, adhuc pusillum vobiscum sum.*<sup>2</sup> Hi ergo filii hereditas est, et haec hereditas *merces fructus ventris.* Est ergo Dominus fructus ventris, quem ex se in vitae nostrae fructum pariens Virgo progenuit. Et haec eius merces est, qui ex Virgine nascendo \* fructum ventris esse se voluit: ut ei gentes, quas in filios per fidem generaret, haereditas sit.*

<sup>PL</sup>  
<sup>I, 733</sup> In psalmum CXXXI, 8. [...] Ex hac enim Iudae tribu Maria <sup>236</sup> est, quae Domino nostro secundum carnem mater fuit.

## HYMNI

<sup>PLS</sup>  
<sup>I, 274</sup>

## Hymnus I.

237

[...] Bis nobis genite Deus,  
Christe! Dum innato nasceris a Deo  
vel dum corporeum et Deum  
mundo te genuit Virgo puerpera:  
Credens te populus rogat [...]

## FORTUNATIANUS Aquileiensis († ante 371)

## FRAGMENTUM

<sup>PLS</sup>  
<sup>I, 239</sup>  
<sup>\*240</sup>

[...] Sed et virga Aaron, qui in sancta sanctorum floruit, in typum \* Domini flos et fructus ipse virgae accipere potest. In virga quippe Mariam genetricem Domini nostri Iesu Christi, in flore vero ipso Domino praefigurasse accipiendum est. Sicut scriptura ait: *Egredietur virga de radice Iesse.*<sup>3</sup> Hinc de Domino Salomon ait: *Ego sum flos campi et lilia convallium.*<sup>4</sup>

238

## LUCIFER Calaritanus († 370/371)

## DE NON CONVENIENDO CUM HAERETICIS

<sup>PL</sup>  
<sup>13, 779</sup>  
<sup>\*780</sup>

[...] Sic, inquam, sectus est, atque projectus tuus magister Arius, ut est sectus et reiectus Sabellius, \* qui fuerit ausus unam esse personam Patrem et Filium et Spiritum sanctum defendere; quia fuerit

239

<sup>1</sup> Io. I, 12.<sup>2</sup> Io. XIII, 33.

● PL 9, 340, 342, 348, 592, 616, 735, 793, 849, 927.

● PL 10, 10, 65, 81, 91, 98, 152, 165, 172, 192, 201, 222, 230, 246, 284, 322, 347, 348, 378, 381, 383, 384, 386, 395, 403, 411, 455, 489, 507, 509, 512, 521, 522, 526, 655, 675, 717, 725, 735.

● PLS I, 91, 103, 122, 177, 222, 233, 247, 256, ■ 278.

<sup>3</sup> Isa. XI, 1.<sup>4</sup> Cant. II, 1.

tem serenitatemque maria transfretantibus largire. | Aegrotis medere aegros sana, esurientes satia | et pater orphanis esto, quos mors spoliavit. | Pro clementia tua daemonia detrude, quae homines vexant, | et ecclesiam tuam in quatuor (orbis) partibus extolle, ut tibi canat. | Sacerdotes custodi et diaconos munda | et iuventuti dux et custos esto. | Sponse interfecite tibi (sit) glorificatio ex omnibus oribus | et super nos misericordia tua omnibus temporibus. Amen et Amen.

## DE S. VIRGINE DEI GENITRICE MARIA

<sup>BO</sup>  
<sup>I,</sup> 310 21. Si qua macula, aut defectus animae eius inesset, [Filius Dei] aliam utique sibi matrem quaevisisset, quae omnis labis expers esset. 1495

<sup>BO</sup>  
<sup>I,</sup> 311 22. Filius Dei factus est filius hominis absque conversione. Filius Dei, Filiusque hominis, unus idemque est. Ex summo, et ex infimis unus Unigenitus. In Mariae sinu naturas ad unionem adduxit, ambasque unum fecit, sicut scriptum est. Corpus sibi assumpsit, filiusque hominis ex ventre factus est, et corpore cuncta sustinuit, quum Deus esset. Noli duos numerare, alterum Deum, et hominem alterum: Unus est enim Christus, Filius hominis idemque Deus. Ipsi, et in ipso inest Divinitas, atque Humanitas, eiusque sunt tum prima, tum novissima, nec in partes, aut numeros dividitur: Unigenitus enim est, totusque Unus, si ipsum bene noveris. Non partem eius genuit Pater, et partem Maria: sed totus a Patre, totusque a filia hominis genitus est. 1496

## HORMISDA PP. († 523)

## EPISTOLAE

<sup>PL</sup>  
<sup>63,</sup> 379 V. Ad Anastasium Imperatorem. – [...] Totum pro redintegratione fidei et Ecclesiarum pace facere, libenter amplectimur: si tamen maiorum nostrorum diffinitio, et sanctorum Patrum in suis radicibus inconcussa permaneat: si anathematizetur Nestorius cum participibus suis, qui evacuans divinae sacramenta naturae, beatam virginem Mariam nudi hominis mentitur esse genitricem; oblitus angelicae annuntiationis, per quam mundo innutuit, quia quod ex ea nasceretur vocandum esset sanctum, Filius Dei. Facessat impiorum tam contumeliosa in Deo honorificentia: quoniam sic est in utero virginis operata divinitas, ut ex ea unitas ibi procederet carnis, animaeque humanae, increata quidem, sed non confusa \* connexione substantiae.

<sup>PL</sup>  
<sup>63,</sup> 514 LXXIX. Ad Iustinum Augustum. – [...] In novissimis temporibus 1498

*Verbum caro fieret, et habitaret in nobis:*<sup>1</sup> ita intra viscera sanctae Mariae Virginis genitricis Dei unitis utriusque sine aliqua confusione naturis, ut qui ante tempora erat Filius Dei, fieret filius hominis; et nasceretur ex (in) tempore hominis more, matris vulvam natus non aperiens, et virginitatem matris deitatis virtute non solvens. Dignum plane Deo nascente mysterium, ut servaret partum sine corruptione, qui conceptum fecit esse sine semine, servans quod ex Patre erat, et repraesentans quod ex matre suscepit.

### A. M. S. BOETIUS (477/480 † 524)

#### BREVIS FIDEI CHRISTIANAE COMPLEXIO

1499

[...] Dum ibi Dei populus moraretur, post iudices et prophetas, reges instituti leguntur: quorum post Saulem primatum David de tribu Iuda legitur adeptus fuisse. Descendit itaque ab eo per singulas successiones regium stemma, perductumque est usque ad Herodis tempora, qui, primus ex gentibus, memoratis populis legitimus imperasse. Sub quo exstitit beata Virgo Maria, quae de Davidica stirpe pervenerat, quae humani generis genuit Conditorem. Hoc autem ideo, quia multis infectus criminibus mundus iacebat in mortem, electa est una gens, in qua Dei mandata clarescerent; ibique missi prophetae et alii sancti viri, per quorum admonitionem ipse certe populos a tumore pervicaciae revocaretur; illi vero, eosdem occidentes, in suae nequitiae perversitate manere voluerunt.

PL  
64, 1336

Atque iam in ultimis temporibus non prophetas neque alios sibi placitos, sed ipsum Unigenitum suum Deus per virginem nasci constituit, ut humana salus, quae per primi hominis inobedientiam deperierat, per hominem Deum rursus repararetur; et quia exstiterat mulier quae causam mortis primo viro suaserat, esset haec seunda mulier quae vitae causam humanis visceribus apportaret. Nec vile videatur quod Dei Filius ex virgine natus est, quoniam praeter naturae modum conceptus et editus est. Virgo itaque de Spiritu sancto incarnatum Dei Filium concepit, virgo peperit, post eius editionem virgo permansit, atque hominis factus est idemque Dei filius; ita ut in eo et divinae naturae radiaret splendor, et humanae fragilitatis appareret assumptio.

<sup>1</sup> Io. I, 14.

• PL 63, 480, 483, 519, 535, 536.

gnum: ideo ex genere Abrahae descendens Maria virgo Deum concipit, ut supradictorum hominum soboles immortalis societatis vinculo iungeretur.

## S. OPTATUS Milevitanus (saec. IV)

### SERMO DE EPIPHANIA

- 675 [...] Accepit et Christus aurum: honorificentia erat istorum, non avaritia illius. Mater gavisura erat de auro? Totum gaudium eius erat in Christo. PLS I, 298

## IGNOTUS (saec. IV)

### TRACTATUS IN LUCAE EVANGELIUM

- 676 Cap. I. [...] Elisabeth] occultabat se mensibus quinque donec PLS I, 330 descenderet in pueru anima, et Spiritu sancto confirmaretur. Agro virginus campus eius exemplo concipiendi roboraretur flore salutis. Occultabat se et erubescet, usquequo puer velut mīlex devotus saltaret ante caelestem imperatorem, et matrem suam matris Domini faceret laudatricem. Usque tunc abscondebat se. Postquam autem salutis progenies coepit virginis pubescere utero, et ad visitandum saeculum propinquare, gloriabantur dicens *quid mihi sic fecit Dominus?*<sup>1</sup> Non Zacharias, sed Dominus, quia a nullo humano adiutorio, sed divino beneficio gaudeo. [...]

- 677 [...] Qui habitat in adiutorium altissimi;<sup>2</sup> non ut adiubet patrem, sed ut adiubet mundum. Et, Iesu fili Dei Altissimi. Erubescat Paulus, Fotinus, et Ebion, quia quem Maria concepit et peperit, non Mariae est, et homo hominis filius; sed filius Altissimi vocabitur. Ecce vocabitur Altissimi filius. PLS I, 331

- 678 [...] Dixit autem Maria ad angelum: quomodo fiet istud, quod vi- rum non novi?<sup>3</sup> Super naturam et substantiam extendis sermonem. Dictum tuum non solum me, sed totum mundum stupescere facit... PLS I, 332

... mater; vivorum Deus pater. Non debet esse ante filium pater qui vitam filio dedit, et nihil accepit a filio? Sicut de illo filius gloriat: *sicut pater habet vitam in se, sic et ego vivo propter patrem,*<sup>4</sup> non pater propter me; et vos vivitis propter me. Et ne diceret sancta

<sup>1</sup> Le. I, 25.

<sup>2</sup> Ps. XC, 1.

<sup>3</sup> Le. I, 34.

<sup>4</sup> Io. V, 26 et VI, 58.

Maria, et unde hoc manifestum et notum est tibi quod mater sum Domini? Infert Elisabeth iustissima lege — [Ecce enim ut facta est vox salutationis] tuae in auribus meis.<sup>1</sup> Devotionem honoris et \*reverentiae mihi obsequium portans, salutem mundo, de lucro iustorum, de aumento sanctorum, de fidelium incolumitate et gaudio, quod et angelis est futurum in caelo, et confessoribus victoribus praeparandum — ante regem, ut servus ante dominum, ut praeco ante imperatorem caelestem, ille exultavit in utero, et me matrem fecit, tuam et Domini laudatricem — perseverasti incredulus, ut vocis dispendium acciperes cum linguae iactura. Sed beata suscipiens a beato beatum, augeas vocem cum lingua verbo nascente. Nec times de praeterito peccatorum, nec in praesenti damnationem, sed excludes timore ut credulitate iudicium. Quapropter quoniam perficiuntur ea,<sup>2</sup> non inchoantur sed perficiuntur ea, de perfecto perfecta. Quae dicta sunt non ab angelo sed Domino. Per singula crevit mulieris fides, ut virginitatem credulitate confirmet anicula, et in angelo loquentem Dominum, et in Domino cognoscas Deum.

**LEGE.** - [Quia] de me talia beneficia et praeconia praedicaverunt, non me extollo, sed Deo gratias ago.

**PLS I, 333** *Magnificat anima mea Dominum:*<sup>3</sup> quia parvam me, magnam fecit; exiguum, eximiam; despectam, visitatione respectam. Non enim omnis anima magnificat Dominum; peccatoris et iniusti non magnificat...

**PLS I, 334** [Mansit Maria cum illa quasi mensibus] tribus.<sup>4</sup> Ut castitatem suam et pudicitiam stabiliret, et virginitatem et continentiam confirmaret: ut exemplo sterilis, gratum virgo pondus sufferret in utero: ut diligeret Christum, ut virum sponsum, ut custodem: ut ante Pauli dicta, quae sunt Pauli servaret; *anus ut adulescentulas*<sup>5</sup>...

... condonavit: ut oculus stupeat miraculum, mens intendat repentinum mysterium.

<sup>1</sup> Lc. I, 44.

<sup>2</sup> Lc. I, 45.

<sup>3</sup> Lc. I, 46.

<sup>4</sup> Lc. I, 56.

<sup>5</sup> I Tim. V, 2.

● PLS I, 343.

est iustis. Ecce hoc ut angelus edicit, pastor audit, Chaldaeus agnovit, Erodes expavit. Quid ergo cessas, lingua? Erisne tacita tui conditoris in adventu perducta? Quo reatu teneberis, si vociferantibus angelis tu tacebis? Ecce igitur descendit ros verbiale coruscans in negotio, latens in verbo. Pulsat auditos virgineos caelestis coniugii disponicator, ubi naufragia non passurus est pudor. Indicit nuptias in quibus nec divinitas patris polluitur nec genetricis integritas violatur; fit aure casta conceptus, fit plenitudo uteri et nullus est pondus; et sic intacto pudoris sigillo prosilit partus. Sed ecce quid in hac desponsatione sacer pronubus edicat, agnoscatur. *Ave*, inquit, *gratia plena*,<sup>1</sup> et illud quod sequitur. Fateor, tractans hoc ipsum obstipui, in desponsationibus suis quos ordines habeant caeli. Ecce ut video, nulla adhuc petendi fit enarratio, nulla de vocabulo sponsi cognitio, nulla de dotis \* quantitate conlatio: et gratiae fructu gravidata est virgo. Sed ecce dotis celsitudo nuper edicitur et disponicator qui fuerit declaratur. Dicit angelus: *Spiritus sanctus superueniet in te*:<sup>2</sup> ecce significatio certa vocabuli. At vero: *Regni eius non erit finis*:<sup>3</sup> quae erit ultra dos ab hac dote superior, regnandi perennitate concessa.

\*1403

### IGNOTUS (saec. V vel VI)

#### IN EVANGELIUM MATTHAEI OPUS IMPERFECTUM<sup>4</sup>

1458

*Homilia I. [...] Generatio autem Christi sic erat.*<sup>5</sup> Quoniam superius dixerat, *Iacob autem genuit Ioseph*, cui desponsata Maria genuit Iesum: ne aliquis audientium aestimaret, sic esse Christi nativitatem, quomodo praecedentium patrum, ipse ordinem suae narrationis praecidens addidit, et dicit: *Generatio autem Christi sic erat*: ac si dicat: «Generatio quidem eorum, quos exposuimus, patrum, sic fuit quemadmodum retuli: Christi autem generatio non ita, sed sic». Quomodo? *Maria cum esset desponsata Ioseph, priusquam convenienter, inventa est in utero habens*,<sup>6</sup> id est, ex virgine sine patre, ut eius

PG  
56, 630<sup>1</sup> Le. I, 28.<sup>2</sup> Le. I, 35.<sup>3</sup> Le. I, 33.<sup>4</sup> Exstat inter spuria S. Io. Chrysostomi. Cf. Cay I, 546 et Bar II, 129, Clavis 707.<sup>5</sup> Matth. I, 18.<sup>6</sup> Matth. I, 18.

● PLS IV, 907, 924, 940, 954.

● PLS III, 833, 890, 905, 956, 1135, 1139, 1140.

● Ps.-THEOPHILUS (saec. V/VI), PLS III, 1284, 1323.

generationem enumerans, de semine David eum descendisse ostendat secundum Dei promissa, et extra naturam humanam nativitatem eius exponens factam, mysterium deitatis eius aperiat. Nec enim dignum erat, ut Unigenitus Dei, non propter se, sed propter homines nascens, more nascetur humano. Homo enim in carne nascitur, ut corruptioni subiaceat: Christus autem natus est, ut sanet corruptionem. Sicut ergo non est consequens, ut corruptibilis homo nascens ex incorruptibilitate virginitatis nascatur: sic non erat consequens, ut Unigenitus Dei, qui ideo nascebatur ut corruptionem sanaret, nascetur ex corruptione coniugii. Homo ex necessitate nascitur, ut sit: Christus autem non ex necessitate naturae, ut esset, sed ex voluntate misericordiae ut salvaret. Quomodo ergo iustum est, ut unum eumdemque habeant nativitatis honorem necessitas et voluntas? Merito ergo contra naturae humanae regulam natus est, quia erat super naturam.

PG  
56, 630

1459

Vide autem novam et admirandam Christi nativitatem, id est, per homines peccatores, per mulieres meretrices, et adulteras, et gentiles. Sed talis generatio non sordidat dignitatem Christi, sed commendat misericordiam ipsius. Sic erat mirabilis, ut qui patres per adoptionem fecit et genuit, a filiis nasceretur. Facti sunt patres eius, quorum non erat filius. Iste illis beneficium praestitit, ut esset filius eorum. Illi autem nihil isti praestiterunt, ut essent patres ipsius. In hominibus patres filios sibi adoptant, quos ipsi desiderant: hic autem filius sibi adoptavit patres, quos ipse elegit. Illic filii a patribus suscipiunt generositatis dignitatem, hic autem patres a filio suscepereunt. *Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, priusquam convenienter, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Quoniam futurum erat, ut omnes sancti de virgine nascerentur Ecclesia, desponsata Christo, ideo Christus nascitur de virgine desponsata, ne dignius nascerentur servi quam Dominus. Sed ut per omnia filii paternae nativitatis perfectum imitarentur exemplum, ideo et Maria desponsata erat fabro lignario: quoniam et Christus sponsus Ecclesiae omnem salutem hominum et omne opus suum per lignum \* crucis fuerat operaturus. Ideo autem et desponsata et domi habita, ut despensatio ipsa fidelis esset, et fornicationis opprobrium a matre repelleret, et virginitatis gloriam nascituro Domino reservaret. Si enim, quia in domo sponsi peperit, infideles iudei dixerunt, *Nonne hic est Iesus filius Ioseph?* quanto magis si extra domum sponsi peperisset, dieturi fuerant: Nonne hic est Iesus filius meretricis? Nam quemadmodum in ea, quae in domo viri concipit, intelligitur conceptio maritalis: sic in ea, quae extra domum concipit, est suspecta conceptio. Magis ergo voluit Dominus, ut haberet mater eius maritalem

\*631

suspicionem, quam fornicationis opprobrium pateretur. *Antequam convenientirent, inventa est in utero habens.* Non dixit, Priusquam acciperet: sed, *Priusquam convenientirent, inventa est in utero habens:* quia iam accepta erat in domo. Virginitas enim est incorruptibilitas: incorruptibilitas autem virginitas ipsa sincera. Ideo ergo, autequam convenientirent, conceptus est Christus, ut nec de corruptione incorruptibilitas nasceretur, nec ex passione corporis utriusque templum sibi Dominus fabricaret. [...] \*Cui inventa est in utero habens de Spiritu sancto? Sine dubio a sponso suo Ioseph, qui zeloso amore semper se admonente, vitam circumspiciebat Mariae. Nam sicut Historia quae-dam non incredibilis neque irrationabilis docet, quando gesta sunt quae refert Lucas, Ioseph absens erat. Nec enim conveniens est putare praesente Ioseph introisse angelum ad Mariam, et dixisse quae dixit, et Mariam respondisse quaecumque respondit. Si concedamus, angelum potuisse intrare ad eam, et loqui, plane confessim Mariam abiisse in montana cum festinatione, et introisse domum Zachariae, et salutasse Elizabeth, et mansisse cum ea mensibus tribus, possibile non fuit praesente Ioseph: quia necesse erat, ut absentationis eius et mansionis diutinae requereret causas. Postquam autem rediit peregre post tot menses, et invenit eam gravidam manifeste, forsitan ei comminatus est, quasi sponsus, et de iudicio Dei terruit eam, quasi vir timoratus. Illa autem cum videret se innocenter in suspicionem criminis decidisse, nec posse se iam excusare, testimonio ventris convictam, cum lacrymis et suspirio clamans iuravit dicens: Vivit Dominus, nescio unde sit hoc. Quo auditu, timuit valde Ioseph et ex parte credidit in ea aliquid esse divinum. Nec enim timuisset, nisi ex parte aliquatenus credidisset. Ad haec autem fidem verborum eius commendabat conversatio eius sancta [...].

Haec et alia similia tractans, nihil horum inveniebat in ea: sed ex diverso omnia laudabilia, omnia admiranda, \*quae sine Spiritu sancto possibile non erat esse in natura humana. Omnibus igitur documentis, quibus fornicatio mulieris intelligi et argui solet, deficientibus, sola apud eam remanebat suspicio gratiae Dei. Propter haec omnia aestimavit eam habere in utero de Spiritu saneto. Nam nulla res sic castitatem mulieris viro commendat, sicut vita eius disciplinata. Ubi enim timor Dei est, ibi et castitas est: ubi autem non est timor Dei, ibi neque castitas est. Caro enim urget, securitas mulieris adiuvat carnem: si timor Dei non fuerit qui resistat, quis eam teneat indagatam? O inaestimabilis laus Mariae! Magis credebat castitati eius, quam utero eius: et plus gratiae, quam naturae. Conceptionem manifeste videbat, et fornicationem suspicari non poterat. Possibilius esse credebat mulierem sine viro posse concipere, quam

\*632

\*633

Mariam posse peccare. Et quod maius est videre, ut sponsus de sponsa sua haberet, sic habuit Ioseph apud se. Frequenter enim viri, etiam si leviter viderint mulieres suas aspicientes in alterum, mox excitantur in zelum: et quod non est illud suspicantur, quia ex magno amore nascitur zelus. Hic autem et maritalem zelum et uteri clamantis accusationem, sola praeteritae conversationis documenta vincebant. *Ioseph autem vir eius, cum esset iustus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.*<sup>1</sup> Cogitabat enim forsitan apud se: Si peccatum eius celavero, facio contra legem Dei: et si propalavero filiis Israel, lapidabunt eam. Timeo enim, ne hoc, quod est in utero eius, divinitus sit. Numquid non Sara nonaginta annorum concepit, et peperit? Si illam quasi lignum iam siccum fecit florere, quid si Divinitas partum isti voluit sine viro donare? Numquid ad virum pertinet ipsa conceptio mulieris? Nam si conceptio mulieris pertinet semper ad virum, sine dubio quando vult vir, tunc conciperet et mulier: nunc autem non quando vult vir, tunc concipit mulier, sed quando vult Deus. Si ergo conceptio mulieris non in viro posita est, sed in Deo. quid magnum, si voluit isti fructum sine viro praestare? Quid ergo faciam? Dimittam eam occulte quia in re incerta melius est, ut meretrix constituta evadat, quam ut innocens moriatur. Iustius enim est, iniustum iuste evadere, quam iustum iniuste perire: quia etsi reus semel evaserit, iterum potest perire: innocens autem si semel perierit, iam non potest revocari. Expedit ergo ut dimissa opprobrium patiatur, quam tradita morti moriatur. Haec autem talia cogitare et agere velle, non est hominis valde iusti. *Haec eo cogitante, apparuit ei angelus in somnis, dicens.*<sup>2</sup> Quoniam ergo auditio verborum Mariae, et consideratio vitae eius, mala suspicari de ea non sinebat Ioseph: consideratio autem conceptionis eius non permittebat eum ad plenum bona aestimare de ea, et sic animus eius inter utrasque partes fluctuabat, et tenere eam timebat, et tradere eam non audebat: propter hoc necessaria fuit ei revelatio illa divina. Si enim ipsa Maria, quae angelum viderat, et audierat sibi loquentem tam de sua conceptione, quam de Elizabeth, ascendit in montana, ut videret Elizabeth, et ipso confirmaretur aspectu: quanto magis Ioseph post verba conceptionis Mariae, post considerationem vitae eius, adhuc nutabundus necessariam habuit revelationem divinam? Propter tres ergo causas apparuit ei. Primum ne iustus homo ignorans faceret rem iniustum ex proposito iusto: deinde propter honorem matris ipsius. Nam si dimissa fuisset, etsi

<sup>1</sup> Matt. I, 19.

<sup>2</sup> Matt. I, 20.

non apud fideles, tamen apud infideles turpi suspicione carere non poterat. Tertio, ut intelligens Ioseph sanctam conceptionem diligentius se in futurum custodiret ab illa, quam prius. Prius enim servavit se propter disciplinam iustitiae, postea autem et propter timorem partus huiusmodi. Quare non ante conceptionem virginis venit ad Ioseph? Ut ne cogitaret quae cogitavit, ne pateretur quae passus est Zacharias, qui culpam infidelitatis incurrit de conceptione coniugis iam longaevae.<sup>1</sup> Incredibilior enim erat res \* virginem posse concipere, quam anum. Si ille sacerdos constitutus rem faciliorem fore non ereditidit, quanto magis iste popularis rem difficiliorum fieri non credidisset? Si ipsa Maria, angelo sibi dicende de conceptione sua, pene non credebat propter virginitatem suam, dicens: *Quomodo fiet hoc, quoniam virum non cognosco?*<sup>2</sup> quomodo Ioseph fuerat crediturus referenti de altera quod sine viro conciperet? *Ioseph fili David, ne timeas accipere Mariam coniugem tuam: quoniam quod nascetur ex ea, de Spiritu sancto est.* Filium David eum nominans, voluit eum adducere in memoriam promissionis Dei ad David, ut de semine eius Christus nasceretur. Dicens autem *Ne timeas*, cognitorem se cordis eius ostendere voluit, ut per haec futurorum bonorum, quae de Christo erat dicturus, faceret fidem, quia *Quod nascetur de ea, de Spiritu sancto est.* Spiritum sanctum, ipsum dicit unigenitum Deum, sicut ipse de se testatur in Evangelio: *Quia Spiritus est, inquit, qui vivificat: caro autem nihil prodest.*<sup>3</sup> Et Ioannes ait: *Dominus Spiritus est.*<sup>4</sup> Non enim Spiritus advocatus ingressus est in Mariam, ut suscipiens corpus nascatur in mundum, sed ut sanctificaret virginis vas. Dicens autem, *Quod nascetur ex ea, de Spiritu sancto est*, hoc dicere vult, quia de semine viri alicuius non fuerat nasciturus, sicut aestimans metuebat Ioseph, sed de Spiritu sancto. Sicut enim secundum praeceptum Raphaëlis angeli ad Tobiam,<sup>5</sup> viro et uxore more solito venturis ad coitum, oratio praecedere debet, ut quod concipitur, in sanctificatione concipiatur: sic unigenito Deo virginem ingressuro, Spiritus sanetus praecessit, ut paecedente Spiritu sancto, in sanctificatione nascatur Christus secundum corpus, Divinitate ingrediente pro semine. *Et pariet filium, vocabisque nomen eius Iesum.*<sup>6</sup> Non dixit «Pariet tibi filium» sicut ad Za-

\*634

<sup>1</sup> Lc. I, 20.<sup>2</sup> Lc. I, 34.<sup>3</sup> Io. VI, 64.<sup>4</sup> Io. IV, 24.<sup>5</sup> Tob. VI, 18.<sup>6</sup> Matth. I, 21.

chariam: *Ecce Elizabeth uxor tua concipiet et pariet tibi filium:*<sup>1</sup> quia mulier, quae ex viro concipit, marito suo filium parit: quia magis ex illo est, quam de ipsa. Haec autem, quae non de viro conceperat, non filium illi peperit, sed sibi tantummodo. Vide quo modo similitudinem ipsius rei per omnia sequitur, quae facta est in Adam. Sicut enim tunc mulier gustans de ligno, sola seducta est, et peperit mortem; Adam autem non fuit particeps in seductione illius (non enim a diabolo seductus peccavit, sed quia consensit mulieri) sic et modo accipiens Maria de Spiritu sancto, sola credidit, dicens: *Ecce iam nunc beatam me dicent omnes generationes.*<sup>2</sup> Ioseph autem tunc in fide conceptionis illius nihil habuit commune, sed postea tacendo et consentiendo tantum salvatus est. Ideo et in somniis adstitit ei, non palam: ut quemadmodum dormiente Adam creavit mulierem, sic et isti dormienti divinitus consignaret uxorem. Ipse autem evangelista interpretatur quod intelligitur Iesus hebraica voce, dicens: *Ipse salvabit populum suum a peccatis eorum.* Si ergo medicus, qui nullam potestatem habet salutis humanae, propter solam confectionem herbarum non erubescit medici sibi nomen imponere: quanto dignius iste vocatus est Salvator, per quem totus salvatus est mundus? *Hoc autem totum factum est.* Quid totum? Ut virgo propinquo suo desponsaretur, ut casta servaretur, ut angelus per somnium Ioseph loqueretur, ut sponsam eam accipere iuberetur, ut pueri nomen Iesus vocaretur, ut virgo mundi Salvatorem generaret. *Ut impleretur quod dictum est a Domino per prophetam, dicentem: Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium.*<sup>3</sup> Gratia a prophetis testimonium habet, vel ideo ut Vetus et Novum consonet Testamentum, vel ut infirmitati eruditorum satisfaciat, vel ut non mox temere videretur erumpere, quod tanto ante tempore praedictum est.

Prophetia autem alia est ex praescientia, et haec immutabilis: ut haec, *Ecce virgo concipiet.* Alia ex iudicio operum, et haec solet mutari secundum quod verba sonant, non secundum intellectum, ut, *Adhuc quadraginta dies, et Ninive \* subvertetur:*<sup>4</sup> subintelligimus, nisi poeniteat. Item quae est ex praescientia, illa impletur Dei solummodo operatione, ut quod virgo pareret. Alia impletur hominum administratione, ut de aliquo, ut sit iustus. Admiratus itaque tanti mysterii dignitatem propheta, quasi omnes de somno suscitans, ait: *Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen eius*

<sup>1</sup> Lc. I, 13.

<sup>2</sup> Lc. I, 48.

<sup>3</sup> Isa. VII, 14; Matth. I, 22, 23.

<sup>4</sup> Ion. III, 4.

*Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.* Multis praetermissis uno utitur nomine, quod praesenti utile est negotio. Quamvis enim nobis sit praesens semper gubernando, tamen praesentior essentialiter ex unitate personae factus est. *Verbum enim caro factum est, et habitavit in nobis.*<sup>1</sup> *Exsurgens autem Ioseph a somno, accepit Mariam coniugen suam.*<sup>2</sup> Non in domo accepit eam; nec enim adhuc dimiserat eam de domo, sed de animo suo deposuerat eam, et iterum in animum suum eam recepit.

1460

*Et non cognovit eam, donec peperit.*<sup>3</sup> Vere enim non cognovit eam ante, cuius fuerat dignitatis, quae unigeniti Dei facta fuerat mater: sed postquam peperit, tunc cognovit eam: quia speciosior et dignior facta fuerat, quam totus mundus. Nam quem totus mundus non capere poterat, nec merebatur accipere, quasi in angustum cubiculum uteri sui sola suscepit. Vedit Ioseph enim virginem permanere post partum. Vedit mysterium stellae quo modo stans super caput pueri, venientibus magis puerum demonstrabat. Stans testimonium dabat, quia loqui non poterat. Ipsos denique magos vedit adorantes, et divina dona eorum praesentantes. Audivit sermones ipsorum, quo modo ab oriente usque Ierosolymam stella praecedente venerant, quae non dignata est hominibus ministrare, ut Dei gloriam revelaret. Ergo incomparabilis nativitas, totius humanae nativitatis mensuram excedens, et divinitatem nascentis pueri ostendebat, et dignitatem Mariae parentis Ioseph demonstrabat. Ideo dicit, *Et non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Cognovit autem eam quae esset, post partum ipsius.

PG  
56, 635

Quidam ex hoc verbo, secundum Eunomium, putant, quod Ioseph donec peperit quidem non illam habuit in conscientia<sup>4</sup> postea autem cognovit eam, et filios peperit. Unde et Christum primogenitum dicit: quia ille dicitur primogenitus, quem alii fratres sequuntur. Insanus neminem intelligit esse sanum: quia illi ausi sunt hoc dicere de illa, putant quia et Ioseph hoc ausus fuit facere. Hoc enim quod fieri potuit, dicit evangelista quia factum non est: illud autem quod nec fieri potuit, quid necessarium habuit dicere: «Factum non est?» Nam sunt quaedam, quae naturaliter possunt fieri: sunt autem quae impossibilia sunt per ipsam naturam. Volo tibi referre. Ille, nescio quis, cum illo litem commisit: et donec vixit, non est ei loquutus. Numquid ex hoc quod dixi, «Donec vixit, non est ei loquutus», ex eo

<sup>1</sup> Io. I, 14.<sup>2</sup> Matt. I, 24.<sup>3</sup> Matt. I, 25.<sup>4</sup> Editi in margine, *in concupiscentia*. Codex V. D., *in conscientia*, sed altera manu ibidem scribitur, *vel concupiscentia*; et haec videtur esse vera lectio.

\*636

signavi, quia post mortem illi loquutus est, quod fieri non potest? Illud enim quod fieri potest, dixi, quia factum non est: quid autem opus habui exponere, quia nec post mortem illi loquutus est, quod fieri non poterat? Sic et Ioseph ante partum credibile fuit ut cognosceret eam, quia nondum cognoscebat mysterii dignitatem: postquam vero cognovit, quia facta est unigeniti Dei templum, quo modo poterat hoc usurpare? Quod antea facere noluit vir religiosus, exspectans nuptias suas postea facturus fuerat, ut habitationem Dei carnalibus concupiscentiis sordidaret? Haec secundum rationem. Veniamus autem ad auctoritatem Scripturae. Dicit enim Apostolus secundum exemplum prophetae de Christo: *Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus eius.*<sup>1</sup> Ergo Paulus hoc significavit, ut tamdiu regnet \* Christus, quamdiu fiant omnia sub pedibus eius, postea autem cesseret regnare? Stulte! Qui regnat, antequam omnia illi subiecta sint, multo magis regnat et postquam fuerint ei omnia subiecta. Item alibi dicit: *Donec venio, attende lectioni.*<sup>2</sup> Numquid significavit: Donec venio quidem, attende; cum venero autem, neglige? De primogenito autem quod dieo, usus est Scripturis, non solum illum primogenitum dicere, qui primus nascitur, sed etiam illum qui solus est natus. Quando dicebat Dominus ad Pharaonem: *Primogenitus meus Israel:*<sup>3</sup> numquid iam alium populum habebat? Si autem dicis, quia secundum praescientiam dicebat primogenitum populum Iudaicum, sciens quia ex gentibus alium populum erat facturus: dico tibi, quantum ad praescientiam suam, semper duos populos habuit: sed tam de iudeis, quam de gentibus unum populum fuerat habiturus, sicut et habet.

PG  
56, 645

Homilia II. [...] *Defuncto Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto, dicens: Accipe puerum et matrem eius.*<sup>4</sup> Vides quia Ioseph non ad coniugium Mariae erat electus, sed ad ministerium eius? Eunte autem illa in Aegyptum et redeunte, nisi desponsata illi fuisset, quis ministerium ei tantae necessitatis impleret? Nam in prima quidem facie Maria puerum nutriebat, Ioseph conservabat. Revera autem puer matrem nutriebat, et Ioseph tutabatur. Ideo non dicit «Accipe matrem, et puerum eius»: sed, *Accipe puerum, et matrem eius:* quia non propter illam matrem iste filius natus est, sed propter illum filium illa praeparata est mater. Nec pueri erat gloria habere illam matrem, sed illius erat beatitu-

1461

<sup>1</sup> I Cor. XV, 25.<sup>2</sup> I Tim. IV, 13.<sup>3</sup> Exod. IV, 22..<sup>4</sup> Matt. II, 19, 20.

do, istum habere filium. Sicut ipsa dicebat: *Ecce nunc beatam me dicent omnes generationes.*<sup>1</sup>

1462 Homilia XXX. [...] *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ille mater mea et frater est.*<sup>2</sup> In qua cognatione spirituali nihilominus est haec Maria, quae non per coitum carnis, sed per gratiam fidei credendo facta est mater Christi. PG 56, 791

### Ps.-DIONYSIUS Areopagita (saec. V-VI)

#### DE COELESTI HIERARCHIA

1463 Cap. IV, IV. [...] Οὗτω γοῦν δὲ θειότατος Γαβριὴλ Ζαχαρίαν μὲν τὸν ἱεράρχην ἐμυσταγάγει, τὸ προφήτην ἔσεσθαι τὸν ἐξ αὐτοῦ παρ' ἐλπίδα χάριτι θείᾳ γεννησόμενον παῖδα, τῆς ἀγαθοπρεπῶς καὶ σωτηρίως τῷ κόσμῳ ἐπιφανησομένης ἀνδρικῆς τοῦ Ἰησοῦ Θεουργίας· τὴν δὲ Μαριάμ, ὅπως ἐν αὐτῇ γεννήσεται τὸ θεαρχικὸν τῆς ἀφθέγκτου θεοπλαστίας μυστήριον. PG 3, 181

Idem, in paraphrasi Pachymerae. – Γαβριὴλ τὸν Ζαχαρίαν ἐμυσταγάγει, διὰ προφήτης ἔσται δὲ ἐξ αὐτοῦ παρ' ἐλπίδα γεννησόμενος παῖς. Προφήτης δὲ ποίας ὑποθέσεως; τῆς κατὰ σάρκα ἐπιφανείας τοῦ Γενοῦ τοῦ Θεοῦ. Ἀνδρικὴν γάρ Θεουργίαν, τὴν τοῦ Δεσπότου Χριστοῦ ἐνανθρώπησιν λέγει, καθ' ἣν, Θεὸς ὁν, ἐν σαρκὶ τὰ θεῖα εἰργάζετο. Τὴν δὲ Παρθένον θεοτόκον, ὅπως ἐν αὐτῇ γενήσεται τὸ ἀρρένον τῆς θεοπλαστίας μυστήριον. Θεοπλαστίαν δὲ λέγει, διὰ, Θεὸς ὁν, ἐπλάσθη ἐν τῇ νηδύι τῆς πανάγου Θεομήτορος, καθὼδι γέγονεν ἄνθρωπος.

1463 Cap. IV, IV. [...] Ita divinissimus ille Gabriel Zachariam quidem pontificem docuit, quod puer ex ipso praeter spem divina gratia nasciturus, propheta foret humanae divinaeque Iesu dispensationis benigne simul ac salubriter mundo appariturae: Mariam vero erudivit, quomodo in ipsa divinum illud ineffabilis Dei formationis mysterium consummaretur. PG 3, 182

Idem, in paraphrasi Pachymerae. – Gabriel Zachariam docuit, prophetam fore puerum illum, qui ex ipso praeter spem nasceretur. Sed qualis argumenti propheta? Apparitionis Filii Dei secundum carnem. Virilem enim Dei operationem vocat Christi Domini incarnationem, secundum quam, cum Deus esset in carne, divina gessit. Deiparam vero virginem instruxit, quomodo in ipsa fieret ineffabile Dei formationis mysterium. Porro Dei formationem vocat, quod cum Deus esset, formatus sit in utero castissimae Dei Matris, in quantum homo factus est. 194

<sup>1</sup> Lc. I, 48.

<sup>2</sup> Matth. XII, 50.

● PG 3, 647, 682. Secundum paraphr. *Pachymerae*, 162, 671, 690.

τῶν ἄλλων αὐτῷ ἐξακολουθησάντων, ἀφ' οὗ τὰ τοιαῦτα ἤρξατο λαλεῖν, ἡ ἀκοινώνητος ἐγένετο, ἡ ἐγυμνώθη τῆς τοῦ ἱερέως ἀξίας, ἡ τῆς τοῦ κληροικοῦ, τοῦτον ἐν τῇ ἡμετέρᾳ κοινωνίᾳ καὶ μεμενηκέναι, καὶ μένειν εἰς τὸ ἔξῆς ὥμολόγηται· καὶ οὐδὲ λέγομεν αὐτὸν ἀποκεινῆσθαι· ἐπειδήπερ οὐδὲ ἡδύνατό τινα ἡ τούτου ἀπόφασις ἀποκινεῖν, ὅστις ἔαυτὸν παρέσχεν ἡδη ἀποκινητέον.

Nestorio, aut ab iis qui eum sequuntur, ex quo talia praedicare coeperunt, vel excommunicatus, vel exutus est seu antistitis, seu clericorum dignitate, hunc in nostra communione et durasse, et durare manifestum est; nec iudicamus remotum: quia non poterat quemquam eius removere sententia, qui se iam praebuerat ipse removendum.

### JOANNES CASSIANUS (ca 360 † 430/435)

#### DE INCARNATIONE CHRISTI (429/430)

PL  
50, 31  
\*32  
\*35

1060

Lib. II, cap. II. Dicis itaque, quisquis es ille haeretice, qui Deum \* ex Virgine natum negas, Mariam matrem Domini nostri Iesu Christi Θεοτόκον, id est, matrem Dei, appellari non posse, sed Χριστοτόκον, hoc est, Christi tantum matrem, non Dei; nemo enim, inquis, \* anti-quiorem se parit. Ac de hoc quidem tam stulto argumento, quo nativitatem Dei carnali intelligentia aestimandam putas, et mysterium maiestatis humanis credis censemendum esse rationibus, postea, si Deus annuet, disputabimus; nunc interim et Christum Deum, et Mariam matrem Dei divinis testibus approbemus. Audi itaque loquentem ad pastores de Dei ortu angelum Dei: *Natus est*, inquit, *vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.*<sup>1</sup> Ne solum utique in Christo hominem intelligeres, et Domini tibi et Salvatoris nomen adiecit, scilicet ut quem Salvatorem esse cognosceres, Deum nequaquam esse dubitares; et cum salvandi virtus non nisi divinae competenter potestati, divinae esse eum potentiae non ambigeres, in quo potentiam salvandi esse didicisses. Sed hoc incredulitati tuae parum fortasse videatur, quia cum angelus Dominum potius et Salvatorem quam Deum aut Dei Filium nominavit, eum utique impiissime Deum neges quem Salvatorem esse fatearis. Audi quoque archangelum Gabrielem Mariae virginis praedicantem: *Spiritus*, inquit, *sanctus veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideo et quod nascetur in te sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>2</sup> Vides quem-

• PL 50, 438-618 continet tabulas Coelestini I PP., Xisti III PP., necnon monumenta Concilii Ephesini de Nestorii haeresi.

<sup>1</sup> Lc. II, 11.

<sup>2</sup> Lc. I, 35.

admodum nativitatem Dei indicaturus, Divinitatis opera praemiserit? *Spiritus enim sanctus*, inquit, *veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Pulcherrime loquens angelus, divinitate verborum, maiestatem divini operis explicuit. Spiritus enim sanctus Virginis interiora sanctificans, et in his potentia divinitatis sua spirans, humanae se inseruit miscuitque naturae, atque id quod alienum a se fuerat suum fecit, virtute id sua, scilicet, ac maiestate praesumens. Ac ne ad introitum divinitatis humana fortasse infirmitas non subsisteret, venerandam omnibus Virginem virtus Altissimi roboravit, ut corpoream imbecillitatem circumfusa umbrae sua protectione firmaret, et ad consummandum conceptus sacri inenarrabile sacramentum humana infirmitas non deficeret, quam divina obumbratio sustineret. *Spiritus ergo*, inquit, *sanctus veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Si nasciturus itaque de sana Virgine homo tantummodo solitarius erat, quid tanto agebatur sacri adventus nuntio? Quid tanto divinitatis ipsius apparatu? \* Si utique homo ex homine, et caro tantummodo nascebatur ex carne, iussio quippe tantum ad id potuerat aut voluntas divina sufficere. Si enim ad fabricandos coelos, fundandam terram, creandum mare, sedes denique et thronos, et angelos, et archangelos, et principatus, et potestates, si ad creandam postremo omnem coelestem militiam, et ad illa innumera divinorum exercituum millium millia, sola sibi tantum voluntas Dei imperiumque suffecit (quia *ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt,*)<sup>1</sup> cur id ad conceptionem (ut tu aies) unius hominis parum visum est, quod satis ad procreationem divinorum omnium fuit? Et id potentia ac maiestas Dei in ortu unius infantuli parum credidit, quod ad conditionem terrenorum omnium coelestiumque suffecit. Sed illud utique est, quod illa omnia opera acta fuerant per iussionem Dei; nativitas autem agenda non erat nisi per adventum, quia et concipi ab homine Deus nisi se donante, et nasci nisi se illabente, non poterat; et ideo archangelus superventuram Virgini maiestatem sacram indicabat, videlicet ut quia agi tanta res per hominum officium non valebat, ipsius ad futuram deceret [*Lips. in marg. diceret*] maiestatem in conceptu, qui erat futurus in partu. Et ideo descendit Verbum Filius, adest maiestas Spiritus sancti, virtus obumbravit Patris, utique ut in sacramento sacrae conceptionis omnis esset cooperatio Trinitatis. Ideo inquit: *Et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Bene addidit, ideo, ut ostenderet scilicet ideo haec secutura, quia fuerant illa praemissa; et quia Deus supervenisset in conceptione, ideo Deus futurus esset in partu. Rationem ergo tantae rei

<sup>1</sup> Ps. XXXII, 9.

puellae reddidit nescienti, dicens: Utique quia *Spiritus sanctus superveniet, et quia virtus Altissimi obumbrabit, ideo et quod nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Hoc est dicere: Ne ignores, inquit, hunc tantae rei apparatum, hoc tanti mysterii sacramentum, ideo in te tota veniet maiestas Dei, quia ex te nascetur Filius Dei. Quid hic ultra adhuc ambigi, aut quid amplius dici potest? Deum dixit supervenitum, Dei Filium nasciturum. Tu quaere nunc, si placet, quomodo aut Dei Filius Deus non sit; aut quomodo quae Deum edidit, Theotocos, id est, Dei \* mater esse non possit? Sufficere ergo haec tibi sola, immo sufficere haec tibi summa deberent.

\*37

PL 50, 41

1061

Cap. IV. [...] Apparuit ergo gratia Dei Salvatoris nostri. Numquid causari hic aliquid quasi de ambiguitate nominum potes, ut dicas aliud esse Christum, aliud Deum? Ut Salvatorem a maiestate nominis sui distrahas, et Dominum [*Lips. in marg. Deum*] a divinitate sacernas? Ecce hic vir Dei ex Deo loquitur, et apparuisse ex Maria gratiam Dei evidentissima praedicatione testatur. Ac ne forte non ex Maria Deum apparuisse dices, nomen statim addidit Salvatoris, scilicet ut eum natum ex Maria Deum crederes, quem Salvatorem natum negare non possis, iuxta illud: *Quia natus est vobis hodie Salvator.*<sup>1</sup> O admirabilem et vere a Deo datum gentibus magistrum!

42

[...] Non licet tibi iam ex dissimilitudine Dominicæ nuncupationis quaerere discrepantiam potestatis, et pro varietate appellationis diversitatem facere personæ. Non licet dicere: Christus ex Maria natus est, et non Deus; Apostolus enim proclamat: Deus. Non licet dicere, Iesus ex Maria natus est, et non Deus; Apostolus enim testatur: Deus. Non licet dicere: Salvator natus est, et non Deus; Apostolus enim confirmat: Deus. [...].

43

Cap. V. [...] Si autem est ille, utique ut est, Deus, ergo illa quae Deum peperit, Theotocos, id est, genitrix Dei. Nisi forte ad tam ridiculam blasphemiae contradictionem tendere velis, ut illam ex qua Deus natus est, Dei matrem neges: cum illum qui natus est, Deum negare non possis.

PL 50, 44

1062

Cap. VI. [...] Primum ergo illud a te requiro: Dominum nostrum Iesum Christum, qui ex Maria virgine natus est, hominis tantum filium, an etiam Dei dicas Filium? Nos enim, id est, catholicorum omnium fides, nos, inquam, omnes utrumque hoc et credimus, et intelligimus, et scimus, et confitemur, quod et hominis est filius, quia ex homine natus est, et Dei Filius, quia ex Divinitate conceptus. Tu ergo utrumque hoc, id est Dei Filium atque hominis, an tantum hominis esse asseris? Si tantum hominis, reclamant tibi apostoli, reclamant

<sup>1</sup> Lc. II, 11.

prophetae, reclamat \* denique ipse per quem est facta conceptio Spiritus sanctus. Obruitur impudentissimum os tuum cunctis divinorum apicum testimoniis; obruitur sacris voluminibus sanctis testibus; obruitur denique ipso Dei Evangelio, quasi divina manu. Et Gabriel ille magnus, qui in Zacharia vocem incredulam virtute verbi sui coercuit, multo magis in te blasphemam atque impiam suo ipso ore damnavit, dicens ad Mariam virginem Dei matrem: \* *Spiritus*, inquit, *sanctus venit in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideo et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>1</sup> Vides quod ut secundum carnem hominis fieret filius Iesus Christus, ante est Filius Dei praedicatus? Paritura enim Dominum virgo Maria, sancto in se Spiritu descendente et virtute Altissimi cooperante concepit. Ac per hoc intelligis quod \* Domini Salvatorisque nostri inde est origo, unde <sup>\*45</sup> conceptus; et cum descendente in Virginem totius Divinitatis plenitudine natus sit, filius esse hominis non poterat, nisi prius Dei Filius fuisse, et ideo missus ad annuntiandam sacri ortus nativitatem angelus Dei, cum sacramentum conceptionis ante dixisset, partui ipsi nomen imposuit, dicens: *Ideo et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>2</sup>

Lib. III, cap. I. [...] Christum ex Israel natum secundum carnem Deum esse Apostolus diecit. Tu doce quando non fuerit. *Ex quibus Christus*, inquit, *secundum carnem, qui est super omnia Deus.*<sup>3</sup> Vides quia hoc Apostolus unitate coniunxerit, separari omnino non potest Deus a Christo. Sicut enim ex illis Christum Apostolus praedicat, ita Deum in Christo esse confirmat. Aut utrumque hoc neges necesse est, aut utrumque fatearis. Natus secundum carnem Christus ex illis dicitur, sed idem in Christo Deus ab Apostolo praedicatur. Unde et alibi: *Deus enim erat in Christo mundum reconcilians sibi.*<sup>4</sup> Dividi hoc ab alterutro nequaquam potest. Aut Christum ex illis editum denega, aut ex Virgine Deum in Christo editum confitere: *Qui est*, inquit, *super omnia Deus benedictus in saecula.*

Cap. XII. [...] *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei vivi.*<sup>5</sup> Simplici <sup>68</sup> et rustica interrogatione ad confutandum te mihi, haeretice, uti necesse est. Dic mihi, queso, quis ille fuerit, cui Petrus ista respondit? Negare non potes Christum fuisse. Interrogo ergo, Christum quem vocas? Hominem an Deum? Hominem utique absque dubio; hinc enim omnis est tua haeresis, quia negas Christum Filium Dei. Et

<sup>1</sup> Le. I, 35.

<sup>2</sup> Le. I, 35.

<sup>3</sup> Rom. IX, 5.

<sup>4</sup> II Cor. V, 19.

<sup>5</sup> Matth. XVI, 16.

ideo etiam Mariam Christotocon esse, non Theotocon dicis, quia Christi genitrix sit, non Dei; Christum ergo tantum hominem asseris, non Deum, et ideo filium esse eum hominis, non Dei. Quid ergo ad haec respondit Petrus? *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei vivi*.

PL  
50, 76

1063

Lib. IV, cap. I. [Christum] qui in carne natus est, etiam ante carnis susceptionem Deum semper fuisse monstremus: ut intelligas consentientibus et quasi concilamantibus sibi divinorum voluminum testimoniis, eundem te in nativitate corpoream et hominem debere credere et Deum, quem ante nativitatem corpoream tantum Deum: et quem post editionem Virginis in corpore Deum, eumdem ante partum Virginis Verbum Deum. Disce ergo primum ab Apostolo totius mundi magistro, eum qui est sine exordio Deum, Filium Dei, in fine mundi, id est, in temporum plenitudine, Filium hominis factum esse. Ait enim: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, \* factum sub lege.*<sup>1</sup> Dic mihi ergo nunc, antequam Dominus Iesus Christus ex matre Maria nasceretur, habuit Deus Filium, aut non habuit? Negare non potes quin habuerit: neque enim umquam aut sine patre filius, aut sine filio pater: quia sicut ex patre filius, ita ex filio pater dicitur.

\*77

77

Cap. II. Vides ergo quod, dicente Apostolo, misit Deus Filium suum, suum utique Filium, ut ipsius verbis utar Apostoli, suum Filium Deus misit. Neque enim aut alienum aliquem filium misit, quia suum misisse dicitur: aut omnino mittere potuit, si non erat qui mitteretur. Misit ergo, inquit, Filium suum, factum ex muliere. Ergo et quia misit eum, misit qui erat: et quia suum misit, non alienum utique, sed suum misit. Ubi ergo illud est tuum calliditatis terrenae argumentum: Nemo anteriorem se parit? Numquid enim non antiquior Maria Dominus? Numquid non antiquior filia hominis, Dei Filius? Numquid non antiquior denique homine ipso Deus? Cum utique nullus hominum non ex Deo. Vides ergo quod non solum, inquam, antiquorem se Maria peperit: non solum, inquam, antiquorem se, sed auctorem sui, et procreans procreatorem suum, facta est parentis parens: quia quam promptum utique fuit Deo nativitatem homini tribuere, tam promptum sibi; quam facile ut hominem nasci faceret, tam facile ut ipse ex homine nasceretur.

PL  
50, 97

1064

\*98

Lib. V, cap. I. [...] Ait ergo, ut saepe iam diximus, nova haeresis, Dominum Iesum Christum hominem tantummodo solitarium, ex virgine \* natum esse et ideo Mariam Christotocon, non Theotocon esse appellandam, quia Christi mater, non Dei. Addit praeterea sacrilegæ assertioni quam prava argumenta, tam frivola, dicens: Nemo ante-

<sup>1</sup> Gal. IV, 4.

riorem se parit. Quasi vero unigeniti Dei nativitas a prophetis praedicta, a saeculis praenuntiata, humanis sit tractanda aut aestimanda rationibus: Aut vero ipsa, quisquis es, o haeretice, qui de partu suo calumniaris, virgo Maria propriis hoc quod actum est, egerit consummaritque virtutibus: ut ei in tanta re ac tanto opere imbecillitas obiciatur humana. Si quid itaque in hac re per hominis opus actum est, humanas quaere rationes: si autem totum quod actum est, Dei virtus est; quid impossibilitatem spectas humanam, ubi efficientiam vides esse divinam?

**1065** Cap. V. [De Christo] David propheta ex persona ipsius dicit: *De ventre matris meae Deus meus es tu*,<sup>1</sup> ostendens utique quod numquam homo ille Dominicus sine unitate Dei fuerit, in quo in ipso statim Virginis utero plenitudo divinitatis habitaret. Sicut et alibi idem propheta, *Veritas*, inquit, *de terra orta est, et iustitia de coelo prospexit*,<sup>2</sup> ut intelligeremus scilicet prospiciente e coelis Filio Dei, id est, adveniente ac descendente, iustitiam natam esse e carne Virginis; non phantasiam corporis, sed veritatem. Ipse est enim veritas, secundum illud ipsius testimonium Veritatis: *Ego sum veritas, et vita*.<sup>3</sup> Ergo quia anterioribus libris veritatem hanc, id est, Dominum Iesum Christum natum ex Virgine Deum probavimus, nunc, ut libello abhinc proximo instituimus, eum qui ex Virgine nasciturus esset semper Deum praenuntiatum esse doceamus.

**1066** Lib. VI, cap. VIII. Sed videamus caetera quae sequuntur. Dicens ergo \* symbolum: Dominum Iesum Christum, Deum verum ex Deo vero, homoousion Patri, per quem saecula compaginata sunt, et omnia facta, hoc inseparabili statim connexione subiunxit. Qui propter nos, inquit, venit, et natus est ex Maria virgine. Ille ergo, qui verus Deus, qui homoousios Patri, qui creator saeculorum, qui factor omnium; ille, inquam, venit in mundum, et natus ex Maria virgine; secundum illud scilicet Pauli apostoli: *At ubi venit plenitudo temporum, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege*.<sup>4</sup> Vides quomodo Scripturis sacris symboli sacramenta convenient? Apostolus Filium Dei missum a Patre praedicat, symbolum venisse confirmat. Hoc enim erat consequens utique, ut quem missum Apostolus edocuerat, fides confiteretur nostra venisse. Deinde Apostolus ait, *ex muliere factum*; symbolum autem, ex Maria procreaturn. Advertis itaque quod ipsa in symbolo Scriptura loquitur, a qua symbolum ipsum se descendisse testatur. Bene autem Apo-

PL  
50, 106PL  
50, 158  
\*159<sup>1</sup> Ps. XXI, 11.<sup>2</sup> Ps. LXXXIV, 12.<sup>3</sup> Io. XIV, 6.<sup>4</sup> Gal. IV, 4.

stolus, *factum*, inquiens, *ex muliere*; factum pro nato posuit, divini eloquii consuetudine, qua factus pro nato ponitur, secundum illud: *Pro patribus tuis facti sunt tibi filii.*<sup>1</sup> Vel illud: *Priusquam Abraham fieret, ego sum.*<sup>2</sup> In quo scilicet evidenter dixisse noseatur: Priusquam nasceretur, ego sum; facti nomine rem nativitatis ostendens, quia efficientiam facti habet quidquid non indiget ut fiat. Qui propter nos ergo, inquit, venit et natus est ex Maria virgine. Si homo solitarius ex Maria natus est, cur venisse dicitur? Neque enim venit nisi qui habet id ipsum in essentia ut venire possit.

<sup>165</sup> Cap. X. [...] Quid ergo inquit symbolum? Vel quid tu in symbolo ipse dixisti? \* Dominum utique Iesum Christum, Deum verum ex Deo vero, homoousion Patri, per quem saecula creata sunt, et omnia facta, hunc eumdem propter nos venisse, et natum esse ex Maria virgine. Cum ergo Deum natum ex Maria dixeris, quomodo Mariam Dei matrem negas? Cum Deum venisse dixeris, quomodo Deum nunc negas esse qui venit? Dixisti in symbolo: Credo in Iesum Christum Filium Dei, credo in Deum verum ex Deo vero, homoousion Patri, qui propter nos venit, et natus est ex Maria virgine, et crucifixus sub Pontio Pilato, et sepultus est.

<sup>166</sup> PL 50, 170 Cap. XIII. Sed magno videlicet perfidiae atque impietatis tuae argumento ad negandum ac persequendum Dominum Deum uteris, dicens: Homoousios parenti debet esse nativitas. Nondum ad plenum dico ac profero in Dei nativitate penitus hoc non esse servandum, quia non parentis fuit nativitas ipsa, sed nati; et \* ipse natus est ut voluit, cuius fuit hoc ipsum ut nasceretur. Interim qui homoousion parenti dicis nativitatem esse debere, ego Dominum Iesum Christum homoousion dico fuisse et Patri pariter, et matri. Pro personarum enim diversitate reddidit parenti unicuique similitudinem suam. Secundum divinitatem enim homoousios Patri, secundum carnem autem homoousios matri fuit. Non quod alter qui homoousios Patri, alter qui homoousios matri, sed quia idem Dominus Iesus Christus et homo natus et Deus utriusque in se parentis habuit proprietatem, dum et in eo quod homo est humanae matris reddidit similitudinem, et in eo quod Deus Dei Patris habuit veritatem.

<sup>171</sup> Cap. XIV. Alioquin si non idem Christus ex Maria est qui ex Deo natus, duos absque dubio Christos facis, secundum illud scilicet Pelagianae impietatis scelus, quae solitarium hominem ex Virgine natum asserens, eruditorem eum dixit humani generis, magis quam redemptorem fuisse; quia non redemptionem vitae hominibus, sed vi-

1067

<sup>1</sup> Ps. XLIV, 17.

<sup>2</sup> Io. VIII, 58.

vendi dederit exemplum: videlicet ut sequentes eum homines dum similia agerent, ad consimilia pervenirent. Una ergo impietas vestrae origo, eadem errorum radix est. Illi solitarium hominem ex Maria natum asserunt, et tu idem.

Cap. XV. Sed tamen, dicere institueram, duos a te absque dubio Christos fieri, id ipsum dilucidandum est. Dic mihi, quae so, tu qui Christum a Filio Dei separas, quomodo in symbolo Christum ex Deo natum esse fatearis? Ais enim: Credo in Deum Patrem, et in Christum Iesum Filium Dei. Habes ergo hic Iesum Christum Filium Dei. Dicis autem ex Maria non eumdem Filium Dei natum. Ergo alter ex Deo Christus, alter ex Maria. Duo ergo in sententia tua Christi sunt. Qui cum in symbolo Christum non neges, alterum ex Maria Christum asseris quam eum quem in symbolo confiteris. Sed dicis forsitan Christum non esse ex Deo natum; et quomodo in symbolo ais: Credo in Iesum Christum Filium Dei? Aut negaturus es ergo symbolum aut confessurus \* Filium Dei Christum. Si autem confiteris in symbolo Christum Filium Dei, necesse est ut eumdem ex Maria confitearis Christum Filium Dei. Aut si alium ex Maria Christum asseris, duos utique Christos esse blasphemias [*Lips. in marg. blasphemias*].

172

\*173

PL

50, 173

**1068** Cap. XVI. Sed tamen, etiamsi perversitas ac perfidia tua hac symboli fide non concludatur, nonne, quae so, ratione ipsa ac luce veritatis obrueris? Dic mihi, quae so, quisquis ille es, haeretice. Trinitas certe est quam credimus, quam confitemur, Pater et Filius et Spiritus sanctus. De maiestate Patris ac Spiritus nulla quaestio est. Filio calumniaris, eo quod non eumdem ex Maria dicas editum quem ex Deo Patre generatum. Dic mihi ergo: cum Filium Dei unigenitum natum ex Deo non negas, hunc qui ex Maria natus \* est, quem velis esse? Dicis hominem solitarium, iuxta illud quod ipse dixit: *Quod natum est ex carne caro est.*<sup>1</sup> Sed appellari homo non potest solitarius, qui sola non est humanae creationis lege generatus. *Quod enim in ea natum est,* inquit angelus, *de Spiritu sancto est.*<sup>2</sup> Et hoc tamen etiam tu ipse, qui omnia admodum sacramenta salutis negas, negare non audes. Cum ergo ex Spiritu sancto natus sit, et dici homo non queat solitarius, qui est Deo inspirante conceptus; si ille non est, qui, iuxta Apostolum, *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens;*<sup>3</sup> et *Verbum caro factum est;*<sup>4</sup> et *humiliavit semetipsum factus obediens usque*

\*174

<sup>1</sup> Io. III, 6.

<sup>2</sup> Matth. I, 20.

<sup>3</sup> Philipp. II, 7.

<sup>4</sup> Io. I, 14.

*ad mortem;*<sup>1</sup> et qui *propter nos egenus factus est, cum esset dives;*<sup>2</sup> dic mihi ergo, quis ille est, qui et ex Spiritu sancto editus, et Deo obum-

\*175 brante conceptus? Alterum absque dubio esse dicis. Duo ergo \* sunt: id est, et ille qui est ex Deo Patre in coelo genitus, et ille qui ex Maria Deo inspirante conceptus. Ac per hoc quartus est hic, quem introducis: quem in tantum cum verbis hominem solitarium dicas, re ipsa solitarium non fuisse confirmas: ut eum, etiamsi non ita ut debes, tamen et honorabilem et venerandum et adorandum esse fatearis. Ergo cum et adorandus sit utique Dei Filius qui ex Patre natus, et adorandus qui per Spiritum sanctum ex Maria procreatus; duos ergo et honorabiles tibi et venerabiles facis, quos in tantum a se dividis, ut \* peculiарiter suo quemque honore venereris. Ac per hoc intelligis quod negando ac separando a se Filium Dei, totum, quantum in te est, sacramentum divinitatis evertis. Dum enim quartam in Trinitate personam conaris inserere, vides te totam Trinitatem penitus denegasse.

\*176

PL 50, 183

1069

Cap. XX. Sed dicis forsitan: Si eumdem in fine temporum natum dicam ex Virgine, qui ante omnia natus fuerit ex Deo Patre, carneum me etiam ante mundi initia Deum dicere: qui ipsum dicam postea hominem, quem semper Deum: ac per hoc hominem illum qui natus sit, postea semper fuisse. Nolo te hac ignorantiae caecitate atque hac errorum nocte confundi, ut putas me hominem qui ex Maria natus est, ante exordia rerum asserere, et Deum etiam ante principia mundi semper corporeum praedicare. Non ita, inquam, non ita dico, quod priusquam nasceretur homo, in Deo fuerit, sed quod postea in homine natus Deus sit. Non enim caro illa quae ex carne Virginis nata est, semper fuit, sed Deus, qui semper fuit, ex carne Virginis in carne hominis advenit. Verbum enim caro factum, non carnem secum exhibuit, sed carni se hominis dignatione divinitatis univit. Dic enim mihi quando vel ubi Verbum caro factum est, aut ubi exinanivit semetipsum formam servi accipiens, aut ubi egenus factus est, cum esset dives? Nisi in illo sacro Virginis utero, ubi, dum incarnatur, Verbum Dei caro dieitur factum; dum editur, formam servi in veritate suscepit; dum humana conditione patibulo affigitur, fit egenus, et pauper redditur passione carnali, cum esset maiestate divina dives?

\*187  
\*188

Cap. XXI. [...] Vides \* ergo quod Christus omnia est, et nomen illius significatio utriusque naturae: quia et homo et Deus natus: ita et in se cuncta complectitur, ut in eius nomine nihil deesse noseatur. Non ergo ante partum Virginis eadem in praeterito aeternitas ho-

<sup>1</sup> Philipp. II, 8.

<sup>2</sup> II Cor. VIII, 9.

minis quae Dei: sed quia in utero Virginis unitus est Deus homini, factum est ut in Christo omnino non possit alterum sine altero nominari.

1070 Lib. VII, cap. I. [...] Omnibus quorum oculos caligo haereticae perversitatis obsedit lucem misericordiae tuae ac veritatis infunde, ut Incarnationis tuae magnum ac salutiferum sacramentum reserato tandem ac puro lumine contuentes, ita te ex sacrosancto illo immaculatae Virginis utero editum mundo verum hominem esse intelligent, ut verum tamen Deum semper fuisse cognoscant. PL 50, 199

1071 Cap. XIV. [...] Audi ergo, haeretice, quod furatus es; audi plena et integra, quae debilia ac truncata posuisti. Apostolus duplificem Dei nativitatem insinuare omnibus cupiens, ut et in Deitate natum Dominum et in carne monstraret, ait, *Sine patre, sine matre*; alterum enim proprium est divinitatis nativitati, alterum carnis. Quia sicut in Deitate est sine matre generatus, ita in corpore est sine patre: ac sic cum nec sine patre, nec sine matre sit, et sine patre tamen et sine matre credendus est. Quia si dum ex patre nascitur, respicis, sine matre esse; si dum ex matre, sine patre. Ac sic in singulis nativitatibus alterum habens, alterum in utroque non habuit; quia nec divinitatis nativitas matre eguit, et ad nativitatem \* corporis sibi ipse suffecit sine patre. Ergo, inquit Apostolus, *sine matre, sine genealogia*.<sup>1</sup> PL 50, 233

1072 Cap. XVII. [...] Neque enim nos conceptam ex Spiritu sancto Domini carnem negamus; sed ita tamen conceptum corpus cooperante Spiritu dicimus, ut creatum tamen sibi a Filio Dei hominem suum esse dicamus, dicente ipso in Scriptis sacris Spiritu sancto, atque testante: *Sapientia aedificavit sibi domum*.<sup>2</sup> Vides ergo quod id quod conceptum est a Spiritu sancto, aedificatum a Filio Dei atque perfectum est? Non quia aliud opus Filii Dei, aliud Spiritus sancti; sed quia per unitatem divinitatis ac maiestatis, et operatio Spiritus aedificatio Filii Dei sit, et aedificatio Filii Dei, cooperatio Spiritus sancti. Et ideo non solum Spiritus sanctus in Virginem supervenisse, \* sed etiam virtus Altissimi obumbrasse Virginem legitur; ut quia sapientia ipsa plenitudo Divinitatis est, Sapientiae sibi domum aedificanti omnem divinitatis plenitudinem nemo ambigeret affuisse. PL 50, 236 \*234 \*237

<sup>1</sup> Hebr. VII, 3.

<sup>2</sup> Prov. IX, 1.

● PL 49, 127, 616. PL 50, 16, 26, 27, 37, 38, 65, 74, 80, 87, 92, 95, 123, 124, 125, 143, 150, 154, 160, 162, 172, 181, 182, 184, 185, 187, 201, 213, 218, 235, 251, 252, 253, 254, 258, 262, 266, 268.

● MARIUS MERCATOR (saec. IV/V); PL 48, 1045, 1047. Sermones Nestorii eiusque epistolae ad S. Cyrillum Alex., Mario Mercatore interprete, exstant in PL 48.

## IOANNES MAXENTIUS (saec. vi)

## CONTRA NESTORIANOS CAPITULA

<sup>PG 86, 87</sup> Si quis non confitetur proprie et vere sanctam Mariam Dei Genitricem, sed propter honorem tantum hoc ei nomen tribuit, quia peperit hominem qui secundum gratiam dicitur Deus, non autem quia peperit Deum incarnatum et hominem factum, anathema sit.

1616

Si quis puerum illum quem sancta Virgo Maria genuit, non confitetur naturae Deum, per ipsum facta omnia visibilia et invisibilia, coelestia, terrestria, conditionemque omnium, Deum fortem, principem pacis, patrem futuri saeculi, anathema sit.

## DIALOGI CONTRA NESTORIANOS

<sup>PG 86, 118</sup> Lib. I, cap. I. [...] N.<sup>1</sup> Volo igitur, ut mihi planum facias, 1617 quonam modo a vobis beata Virgo appellatur Theotocos, hoc est, Dei Genitrix, quam constat genuisse Emmanuelem.

C.<sup>2</sup> Ipsa prorsus tuae interrogationis principia, duos te filios credere manifestant.

N. Noli, quaeso te, antequam meorum dictorum rationem diligenter discutias, calumniosis me impetere vocibus.

C. Nemo recte sibi inferri calumniam queritur quem non aliena, sed sua potius redarguunt. Verum si ego interrogationis tuae sententiam minime intelligere potui, deputa hoc imperitiae, dummodo tu lucidius explices, qui modum de Theotocae appellatione planum tibi fieri flagitans subiecisti, quam constat genuisse Emmanuelem. Si enim modum appellationis Theotocae perquirentes, etiam Emmanuelem, quem natum dixisti ex Virgine, Dei Filium crederes, sufficeret dicere, quonam modo Theotocos beata Virgo appelletur a vobis. Adiiciendo autem, quam constat genuisse Emmanuelem, docuisti, sicut datur intelligi, Emmanuelem non te Filium Dei credere.

\*<sup>119</sup> N. Nunquam ego, ut tu asseris, Emmanuelem \* nisi Filium Dei credidi, sed scire cupio modum, qualiter Theotocos beata Virgo appelletur a vobis.

C. Si Emmanuel quem natum e beata Virgine confiteris, Filius Dei a te semper est creditus Filius autem Dei non est nisi Deus, recte omnino a nobis beata Virgo creditur Theotocos.

<sup>1</sup> Nestorianus.

<sup>2</sup> Catholicus.

N. Cito propositae quaestionis rationem te aestimas explicasse, quasi non sint ulterius, quae de hac quaestione quaerantur.

C. Die, age, quid vis nec ullas dilationis patiaris angustias.

N. Quamvis Theotocon beatam Virginem confiteri nec ego refugiam, non tamen quod Deum, sed quia hominem genuerit, Deo unitum, idecirco eam confiteor Theotocon.

**1618** Cap. II. C. Patuit omnino quod hactenus tegebatur. Si enim non Deum, sed hominem Deo unitum genuit sancta Virgo Maria, est sine dubio iuxta te Anthropotocos, hoc est, hominis genitrix, non Theotocos. Quo ergo modo Theotocon eamdem virginem profiteris, quam non Deum, sed hominem tantummodo praedicas genuisse?

PG  
86, 119

N. Unitione factum est, ut is qui ex ea natus est, Deus appelletur, propter Deum videlicet cui uniri, unamque cum eo dignitatem, et auctoritatem habere promeruit.

C. Appellatione ergo tantum et dignitate sive honore, non vere et proprie beata Virgo est secundum vos Theotocos, quae non vere et proprie genuit secundum carnem Deum Verbum, sed hominem, cui praestitum est ab eo, cui uniri meruit, ut Deus dicatur, quod non est.

**1619** Cap. III. N. Quoniam hoc est, quod nos valde permovet, eo quod vere et proprie Deum natum ex femina praedicetis, atque ob hoc vere et proprie beatam Virginem Dei fateamini Genitricem, quaero, qui vere et proprie generet, utrum eiusdem, cuius ipse est, an alterius cuiuslibet substantiae generet?

PG  
86, 119

C. Inepta nimis et fatua interrogatio, quis enim aliquando alienae generator creditur esse substantiae?

N. Si fatuum et ineptum iudicas, credere quemquam alienae generatorem esse substantiae, constat ergo Deum Verbum, non de matre, sed patre vere et proprie generatum, cum quo illi est una eademque substantia. Alioquin erit procul dubio, consubstantialis mater Domini, non solum Deo Verbo, quem vere et proprie iuxta vos creditur genuisse, verum etiam Deo Patri, cui idem Deus Verbum consubstantialis existit.

C. Consuetudinem Virgini Deum Verbum, non secundum divinitatem, quae illi una eademque cum Patre est, sed secundum carnem qui non credit, alienus a fide. Sane quia non hominem quemlibet, qui non sit natura Deus, sed Deum Verbum incarnatum, et ex se hominem factum genuit, hac de \* causa vere et proprie esse creditur Theotocos.

\*120

N. Si Deum natura genuit beata Virgo Maria, iam non carnis, sed est genitrix divinitatis; et quomodo non Deum Verbum secundum divinitatem, qua illi cum Patre communis est, secundum carnem eum natum ex virgine praedicatis?

C. Non est divinitatis Genitrix, sicut tu nos credere autemas, quamvis vere et proprie sit Dei Genitrix, quia non divinitatem Dei Verbi, sed Deum Verbum ex se hominem factum, sicut superius dictum est, genuit.

N. Si vere et proprie Deum natum ex Virgine dederimus, vereor ne sine initio Deus Verbum initium habere intelligatur ex femina.

Cap. IV. C. Et cur non demus ei ex femina secundum carnem initium, qui est secundum divinitatem a Patre sine initio?

Cap. V. N. Needum absoluta, de qua agitur, quaestione, praepropere, in aliam prorupisti, sed dilata interim inquisitione de naturali unitione, absolute, quaeaso, respondeas: Utrum Christum, quem in duabus naturis confessus es, ex Patre tantum, an etiam ex Matre natum asseras?

C. Et ex Patre et ex Matre unum eumdemque Christum natum esse confiteor.

N. Alio modo ex Matre, alio ex Patre? An uno eodemque modo ex Patre et ex Matre?

C. Alio procul dubio ex Patre, alio modo ex Matre.

\*121

\* N. Secundum quem modum ex Patre, sive ex Matre eum asseris natum?

C. Secundum divinitatem quidem ex Patre, eumdem secundum humanitatem ex Matre.

N. Cur ergo vere proprie Dei Genitrix a vobis Mater Domini praedicatur, et non magis illius naturae, cuius et Mater est, cui Dei Verbi unitio divinitatis suae contulit vocabulum et dignitatem? Cuiusnam credis naturam hanc esse humanitatis, quam vere et proprie vis esse ex Virgine?

N. Procul dubio Domini Christi.

C. Christum quid esse definis?

N. Deum et hominem.

C. Dei ergo et hominis facta est natura illa humanitatis quam vere et proprie dicis esse ex Virgine?

N. Quis hoc dubitet?

C. Et quomodo non est absurdum credere Deum et hominem ex Virgine naturam assumpsisse humanam? Quod si Deus et homo ex Virgine creditur iuxta vos naturam assumpsisse humanam, unde antequam ex Virgine Deus assumeret naturam humanam, factus homo credendus est, ut sic Deus et homo credatur assumpsisse ex Virgine naturam humanam.

N. Miror te tam temere ridere de veritate.

C. Nullatenus ego veritatem irrideo, sed responsionis tuae absurditatem verissima ratione coarguo.

N. Offenderis (ut mihi videtur) cum Christum Deum audis et hominem.

C. Non me offendit Christum Deum audire et hominem, sed te offendit, qui Christum hominem factum non credis. Nam cum ego unum eumdemque genitum, et ex Patre secundum divinitatem, et ex Matre secundum humanitatem, simpliciter tuis interrogationibus respondissem, tu Deum ex Patre, hominem vero ex Matre volens ostendere, quasi ex consequenti ratione concludis, et docere niteris, non debere vere et proprie beatam Virginem Dei credere Genitricem, sed naturae humanae cuius mater est. Si igitur Deus verbum ex maternis visceribus carnem assumens, semetipsum formavit hominem, non alterius sine dubio natura humanitatis assumpta ex Virgine, nisi illius facta est, qui se ex ipsa formavit hominem, et idcirco vere et proprie secundum carnem sancta Virgo Dei Genitrix creditur, quia non Deus in carnis naturam conversus est, ut non esset Deus qui natus est, sed manens Deus, homo factus et natus est.

N. Sursum ac deorsum nihil aliud moliris (ut video), nisi ut Deum natura doceas eum, quem Virgo enixa est: sed tibi pro me voces obviant evangelicae, quae nullatenus permittunt Deum praedicare eum, qui ex Virgine natus est.

C. Et quaenam illae voces sunt, quae me prohibent Deum ex Virgine natum praedicare?

N. Illae nimirum, quae ad Ioseph in somnis factae leguntur.

Cap. VI. C. Et quid tale dictum ad eum legitur?

N. *Tolle, puerum et matrem eius, et fuge in Aegyptum; futurum est enim, ut Herodes quaerat perdere puerum.*<sup>1</sup> Et rursus: *Defuncti sunt omnes, qui quaerebant animam pueri.*<sup>2</sup> Nunquidnam dictum est: Defuncti sunt, qui quaerebant animam Dei? Aut: Tolle Deum et fuge in Aegyptum? Vel certe futurum est, ut Herodes quaerat Deum perdere? Quo quid potest esse iniquius, quam ut credatur Deus propter hominem fugisse in Aegyptum? Unde manifestum est, vanis argumentationibus contra divinorum eloquiorum sententias laborare, qui puerum, id est, hominem docent eum, quem tu Deum natura conaris astruere.

C. Dum nimis intentus es in his Scripturae divinae vocibus, quas tuis putas competere partibus, caeteras penitus despicias. An forte vilis tibi et contemnenda videtur Veteris Testamenti auctoritas, quae puerum, quem tu Deum denegas, Deum fortem, dominatorem praedicat? Nonne clamabat ille prophetarum eximius Isaias, dicens:

<sup>1</sup> Matth. II, 13.

<sup>2</sup> Matth. II, 20.

*Puer natus est nobis, et filius datus est nobis, cuius potestas in humeris eius, et vocabitur magni consilii angelus, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Dominator, Princeps pacis, Pater futuri saeculi.<sup>1</sup> Nunquid haec te nescire credibile est? Nisi forte contrariam illis a te prolatis evangelicis testimoniis prophetae sententiam iudicas?*

### S. IUSTUS Urgellensis (saec. VI)

#### IN CANTICA CANTICORUM EXPLANATIO

PL 67, 983 Cap. VI, num. 132. *Dilectus meus descendit ad hortum:*<sup>2</sup> De- 1620  
scendit ad hortum suum, quando visitavit in adventu suo Israël populum suum, sicut ipse ait: *Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israël.*<sup>3</sup> Areolam autem aromatis, ipsam S. Mariam Virginem intelligendam accipimus: ex ea quippe nobis ordo iustitiae ortus est Dominus Iesus Christus.

### ARATOR (saec. VI)

#### DE ACTIBUS APOSTOLORUM (540)

PL 68, 93 Lib. I. [...] Virgine matre satus, calcata morte resurgens, 1621  
Coeli sceptrum petens, his nuntiat acta ministris.  
\*94 \* Nec cessant elementa suo servire Tonanti:  
Stella, comes praegressa Magos, venientis honori  
Militat: obsequio nubes famulatur euntis.  
Angelicis igitur postquam est affatibus usa,  
Liquit oliviferi veneranda cacumina montis,  
\*95 \* Ad messem praelecta manus, qui, calle citato,  
Moenia nota petunt, quo per sua sabbata mille  
Passibus ire licet, qua tunc statione sedebat  
Porta, Maria, Dei genitrix intacta creantis,  
\*96 \* A nato formata suo; mala criminis Evaë  
Virgo secunda fugat; nulla est iniuria sexus;

<sup>1</sup> Isa. IX, 6.

<sup>2</sup> Cant. VI, 1.

<sup>3</sup> Matth. XV, 24.

- PL 67, 968, 981, 989: PG 86, 776.
- EUSTATHIUS Monachus (saec. vi): PG 86, 905, 913.
- S. GREGENTIUS Tapharensis (saec. vi): PG 86, 648, 652, 656, 657, 669, 672, 681, 709.
- PG 86, 79, 81, 83, 89, 91, 122, ss., 129 ss.

SERMO IN NATALI DOMINI<sup>1</sup>

**1447** 2. [...] Dominus itaque noster Iesu Christus, ordine nativitatis excepto, homo verus procreatus ex virginе est, eodemque omnipotentiae signo conceptus et natus. Virginem habuit matrem, cum portaretur in utero virginis, et cum ex utero funderetur: nec tamen ista nativitas coniugia damnavit, sed potentiam divinitatis honoravit. PL  
39, 1981

## IOANNES Ep. Tomitanus (saec. V)

DE DUABUS HAERESISIBUS NESTORIANORUM ET EUTYCHIANISTARUM<sup>2</sup>

**1448** [...] Nestoriani, a Nestorio quondam Constantinopolitanae urbis episcopo dicti sunt, qui adserebat sanctam virginem Mariam theodochon, non theotocon, hoc est \*susceptricem Dei esse, non genitricem. Non enim unum atque eundem Deum et hominem Christum Dei filium credit, sed alterum ex Deo Patre adserit natum, alterum ex matre virgine separat procreatum; indignum namque existimat confiteri, quod ipse Dei filius in utero beatae virginis conceptus et incarnatus sit, sed hominem tantum modo formatum in utero, et postmodum Deo coniunctum Christum editum esse prouuntiat. Quem Nestorium, sancta synodus Epheso congregata, ab episcopatus honore depositum, atque in exilio relegavit, ibi suae perfidiae poenas meritas luiturum [...] Alii [Apollinaristae] autem eiusdem perfidiae sectatores dicunt quod filius Dei non de Mariae virginis carne, hoc est nostrae naturae, sed passibilem unde voluit sibi adsumpsit; alii de caelestibus eum et spiritualibus coaeternam habuisse existimant, ac per uterum Mariae virginis veluti aquam per fistulam nihil ex ea carnis adsumens transisse contendunt. PLS  
II, 1585  
\*1586

<sup>1</sup> Sermo hic fortasse Vigilii Thapsitani est (cf. PLS II, 846 et III, 1259).

<sup>2</sup> Cf. PLS II, 1584.

● PL 62, 97, 99, 100, 107, 119, 123, 124, 127, 129, 130, 131, 132, 138, 139, 140, 142, 148, 149, 151, 182, 188, 189, 190, 194, 203, 216, 230, 242, 243, 344, 348, 349, 861, 868, 906, 914, 975, 1071.

● EUTROPIUS presbyter (saec. V). Vide locum, Eutropio attributum, sub titulo « Incertus Auctor ». Cf. Al 383.

■ PL 62, 158, 163, 172, 177, 369, 373, 399; PLS III, 1260.

## S. ISIDORUS Hispalensis (ca 560 † 636)

## ETYMOLOGIAE

- 1712 Lib. VII, cap. X, 1. Maria, *illuminatrix*, sive *stella maris*; genuit <sup>PL 82, 289</sup> enim Lumen mundi. Sermone autem syro Maria *Domina* nuncupatur, et pulchre, quia Dominum genuit.

## ALLEGORIAE QUAEDAM SCRIPTURAE SACRAE

- 1713 139. Maria autem Ecclesiam significat, quae cum sit desparsa <sup>PL 83, 117</sup> Christo, virgo nos de Spiritu sancto concepit, virgo etiam parit.

## DE ORTU ET OBITU PATRUM

- 1714 Cap. LXVII, 111. Maria (quae interpretatur Domina, sive illuminatrix), clara stirps David, Virga Iesse, Hortus conclusus, Fons signatus, Mater Domini, Templum Dei, Sacrarium Spiritus sancti, Virgo sancta, Virgo feta, Virgo ante partum, Virgo post partum, salutationem ab angelo accepit, et mysterium conceptionis agnoscit: partus qualitatem inquirit, et contra legem naturae obsequii fidem non renuit, quam Dominus ipse in cruce positus, per sanguinem Testamenti virginis commendavit discipulo, ut ipsum mater haberet vitae comitem quem filius noverat integratatis esse custodem.

QUAESTIONES IN VETUS TESTAMENTUM  
IN GENESIN

- 1715 Cap. V, 6. [...] Quidam autem, quod dictum est, *inimicitias ponam inter te et mulierem*, de Virgine de qua Dominus natus est, intellexerunt, eo quod illo tempore ex ea Dominus nasciturus, ad inimicum devincendum, et mortem, cuius ille auctor erat, destruendam, promittebatur.

7. Nam et illud quod subiunctum est: *Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius*, hoc de fructu ventris Mariae, qui est Christus, intelligunt; id est: Tu eum supplantabis, ut moriatur. Ille autem, te victo, resurget, et caput tuum conteret, quod est mors.

## IN LEVITICUM

- 1716 Cap. XII, 5. [...] In matre Christus non est pollutus, cum ante <sup>PL 83, 330</sup> saecula nasceretur de patre.

6. Similiter in patre non est commaculatus, cum in saeculum nasceretur ex matre. Solus enim in saeculo mundus ingressus est, procedens ex utero virginali sine contagione virili.

## DE FIDE CATHOLICA

<sup>PL 83, 468</sup> Lib. I, cap. X, 1. Hactenus de nomine, et gente, et genere Domini nostri Iesu Christi Testamenti Veteris fidem perstrinximus: dehinc generationes eius secundum carnem de Virgine ostendamus. Isaías enim, sancto Spiritu plenus, futurae incarnationis Filii Dei sic prae-nuntiat sacramentum, sic enim dicit: *Ed adiecit loqui ad Achaz Dominus, dicens: Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.*<sup>1</sup> Et subiecit: *Audite itaque, domus David, id est, genus David.*

1717

2. Nam bene ad domum David loquebatur, id est, ad stirpem regiam, de qua stirpe descendit Maria, et adiecit: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus.*<sup>2</sup> Quia ergo ille, quem in utero Virgo concepit, et peperit, *Nobiscum Deus* vocatur, Deus itaque in utero virginis conceptus natusque cognoscitur. Erubescant itaque iudei increduli, et Christi gratiae sua colla submittant.

3. Ecce enim quem Virgo peperit *nobiscum Deus* appellatur. Quo loco argumentantur iudei quod in hebraeo non virginem, sed iuvenculam ostendat sermo propheticus paritaram. Adversus quos respondetur non esse signum, si iuvencula pariat, quod est aetatis. Sed hoc esse signum ad rei novitatem, si Virgo pariat, quod est integritatis. Dum enim dicit: *Dominus dabit vobis signum, insinuat quoddam insigne miraculum, virginem videlicet paritaram, quod procul dubio signum non esset, nisi novum existeret.* Oportebat enim Christum propter insigne miraculum secundum carnem nasci de virgine.

<sup>PL 83, 469</sup> 4. [...] *Et priusquam cognoscat puer vocare patrem aut matrem.* <sup>1718</sup> Quod enim dixit *priusquam cognoscat*, id est, priusquam cognoscere faciat divinitate Deum habere se patrem, et carnis susceptione virginem matrem, iuxta illud quod in Genesi scribitur, dicente Domino ad Abraham: *Nunc cognovi quod timeas Deum,*<sup>3</sup> id est, nunc cognoscere te feci. Absit enim apud Deum esse ignorantiam, ut tunc cognosceret quod ante nesciret.

5. Quantae autem potestatis existat idem Emmanuel, praedictus propheta frequenter annuntiat, dicens: *Et erit extensio alarum eius, implens latitudinem terrae, o Emmanuel;*<sup>4</sup> quem quia de virgine na-

<sup>1</sup> Isa. VII, 10, 11.

<sup>2</sup> Isa. VII, 14.

<sup>3</sup> Gen. XXII, 12.

<sup>4</sup> Isa. VIII, 8.

tum credimus, Patrem in Psalmis dicentem audiamus. Nam cum dixisset Propheta de Christo: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis*,<sup>1</sup> confestim vox Patris consecuta est, dicentis ad Filium: *Ante luciferum genui te, et quasi de vulva orietur tibi ros adolescentiae tuae. Iuravit Dominus, et non poenitebit eum, tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec. Dominus a dextris tuis confregit in die irae suae reges.*<sup>2</sup> Et iterum: *Ubi inhabitet, inquit, gloria in terra nostra, misericordia et veritas occurrerunt sibi, iustitia et pax complexae sunt se. Veritas de terra orta est, et iustitia de coelo prospexit.*<sup>3</sup>

6. Quae est veritas de terra orta, nisi Christus de femina natus, Filius Dei de carne procedens? Nam caro terra est; quando enim natus est Christus, iustitia de coelo prospexit. Non enim daretur e coelo iustificatio, nisi Christus in carne nasceretur, et ut ostenderet quod ipsa veritas de terra orta homo esset, sequenter adiunxit: *Iustitia ante eum praeibit, et ponet in via gressus suos.*<sup>4</sup> Item idem David: *Terra, inquit, dabit fructum suum.*<sup>5</sup> Terra, Maria, dedit fructum suum, Christum; sed quis est iste fructus? *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.*<sup>6</sup>

7. Hunc terrae fructum praedictus Isaias propheta alibi manifestius annuntiat, dicens: *Rorate, coeli, desuper, et nubes pluant iustum; aperiatur terra, et germet Salvatorem, et iustitia oriatur simul; ego Dominus creavi eum.*<sup>7</sup> Coeli ipsi qui et nubes, id est, prophetae, per quos Christus adveniens prophetabatur; terra Maria, quae, fide aperta, non corruptione, genuit Salvatorem.

### SENTENTIARUM LIBRI TRES

- |      |  |                       |
|------|--|-----------------------|
| 1719 | Lib. I, cap. XIV, 2. Ex utero Virginis minor dicitur Patre Christus, videlicet iuxta humanam assumptionem, non iuxta divinitatem.  | PL<br>83, 565         |
| 1720 | 5. Mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, quamvis aliud sit ex Patre, aliud ex Virgine; non tamen aliis ex Patre, alias ex Virgine; sed ipse aeternus ex Patre, ipse temporalis ex matre; ipse qui * fecit, ipse qui factus est; ipse de Patre sine matre, ipse de | PL<br>83, 565<br>*566 |

<sup>1</sup> Ps. CIX, 1.

<sup>2</sup> Ps. CIX, 3-5.

<sup>3</sup> Ps. LXXXIV, 10-12.

<sup>4</sup> Ps. LXXXIV, 14.

<sup>5</sup> Ps. LXVI, 7.

<sup>6</sup> Ps. LXVI, 8.

<sup>7</sup> Isa. XLV, 8.

● PL 83, 148, 149, 346, 373, 389, 470, 761, 919, 1038.

■ PL 83, 1229, 1240, 1285.

matre sine Patre; ipse conditoris templum, ipse conditor templi; ipse auctor operis, ipse opus auctoris; manens unus de utroque, et in utraque natura, nec naturarum copulatione confusus, nec naturarum distinctione geminatus.

#### DE ORDINE CREATURARUM<sup>1</sup>

- <sup>PL 83, 916</sup> Cap. I, 5. Filius ex tempore carnem suscepit humanam, quae vitio caret; humanitatis naturam habuit, animam prudentem, intellectualem, sapientem, excepta divina natura, habens, ut humanitas integra fieret; quam ideo Filius, qui sine tempore Dei Patris est, assumpsit, ut qui in divinitate erat Dei Filius, in humanitate idem esset hominis Filius. Quia humanitate natus est de Spiritu sancto, et Maria semper Virgine; non quia et Spiritus sancti sicut et Mariae, Filius esse credendus sit, sed quia ex virtute et opere Spiritus sancti conceptus, ex Virgine natus sit.

### S. SOPHRONIUS Hierosolymitanus (ca 550 † 638)

#### ORATIONES

- <sup>PG 87ter, 3201</sup> Oratio I. In Christi Natalitia.<sup>2</sup> [...] Hinc quidem ex utero virgineo <sup>1722</sup> exortus, inde vero ex aditis inferorum antris excitatus.
- <sup>\*3202</sup> \* [...] Quamobrem laetae quoque festivaeque voces praesentem hanc solemnitatem illustrant fidelesque duplici nomine ad festum hunc diem celebrandum invitant. Hic virgo, quae eum in lucem edidit, angelum non absque iustissima causa, eiusmodi oratione se compellantem accipit: *Ave, gratia plena, Dominus tecum;*<sup>3</sup> quasi dicat maledictio quae Eva iam olim irrogata fuerat, iam tandem per te finem facit.
- <sup>PG 87ter, 3207</sup> [...] Annon cum Dei Verbum esset, aeternumque ex aeterno Patre <sup>1723</sup> ortum haberet, impollutum matris Virginis uterum propter nos inhabitavit, veramque in illa, et ex illa carnem suscepit? Suscepit autem ex ea carnem non prius quidem formatam et existentem, quam indissolubili vinculo illi coniungeretur: sed una cum ipso, et in ipso Verbi complexu, existentium sortitam.
- <sup>PG 87ter, 3207</sup> [...] Christus namque salutis nostrae causa nobis per omnia assimilatus, et similis expertem conceptionem habuit (viri enim, ut nasceretur, \*synergia nulla egebat), et Virginis utero se circumscribi

<sup>1</sup> Liber certus iuxta Al et Bar III, 171; spurius videtur, hibernicae originis, iuxta B. Bischoff et M. Diaz y Diaz (Clavis 1189).

<sup>2</sup> Festum tum temporis in Dominicam diem inciderat. Vide alium locum, Sophronio attributum, sub titulo « Incertus Auctor ».

<sup>3</sup> Lc. I, 28.

*Puer natus est nobis, et filius datus est nobis, cuius potestas in humeris eius, et vocabitur magni consilii angelus, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Dominator, Princeps pacis, Pater futuri saeculi.<sup>1</sup> Nunquid haec te nescire credibile est? Nisi forte contrariam illis a te prolatis evangelicis testimoniis prophetae sententiam iudicas?*

### S. IUSTUS Urgellensis (saec. VI)

#### IN CANTICA CANTICORUM EXPLANATIO

PL 67, 983 Cap. VI, num. 132. *Dilectus meus descendit ad hortum:*<sup>2</sup> De- 1620  
scendit ad hortum suum, quando visitavit in adventu suo Israël populum suum, sicut ipse ait: *Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israël.*<sup>3</sup> Areolam autem aromatis, ipsam S. Mariam Virginem intelligendam accipimus: ex ea quippe nobis ordo iustitiae ortus est Dominus Iesus Christus.

### ARATOR (saec. VI)

#### DE ACTIBUS APOSTOLORUM (540)

PL 68, 93 Lib. I. [...] Virgine matre satus, calcata morte resurgens, 1621  
Coeli sceptrum petens, his nuntiat acta ministris.  
\*94 \* Nec cessant elementa suo servire Tonanti:  
Stella, comes praegressa Magos, venientis honori  
Militat: obsequio nubes famulatur euntis.  
Angelicis igitur postquam est affatibus usa,  
Liquit oliviferi veneranda cacumina montis,  
\*95 \* Ad messem praelecta manus, qui, calle citato,  
Moenia nota petunt, quo per sua sabbata mille  
Passibus ire licet, qua tunc statione sedebat  
Porta, Maria, Dei genitrix intacta creantis,  
\*96 \* A nato formata suo; mala criminis Evaë  
Virgo secunda fugat; nulla est iniuria sexus;

<sup>1</sup> Isa. IX, 6.

<sup>2</sup> Cant. VI, 1.

<sup>3</sup> Matth. XV, 24.

- PL 67, 968, 981, 989: PG 86, 776.
- EUSTATHIUS Monachus (saec. vi): PG 86, 905, 913.
- S. GREGENTIUS Tapharenensis (saec. vi): PG 86, 648, 652, 656, 657, 669, 672, 681, 709.
- PG 86, 79, 81, 83, 89, 91, 122, ss., 129 ss.

## L. C. F. LACTANTIUS (ca 250 † post 317)

## DIVINAE INSTITUTIONES (304-313)

- 175 Lib. IV, cap. XII. Descendens itaque de coelo sanctus ille Spiritus Dei sanctam Virginem, cuius utero se insinuaret, elegit. At illa divino Spiritu hausto repleta concepit, et sine ullo attactu viri repente virginalis uterus intumuit. Quod si animalia quaedam vento et aura concipere solere omnibus \* notum est, cur quisquam mirum putet, cum spiritu Dei, cui facile est quidquid velit, gravatam esse Virginem dicimus? Quod sane incredibile posset videri, nisi hoc futurum ante multa saecula Prophetae cecinissent. [...] Propheta Esaias, cuius verba sunt haec: *Propter hoc dabit Deus ipse vobis signum; Ecce Virgo accipiet in utero, et pariet filium, et vocabitis nomen eius Hemanuel.*<sup>1</sup> Quid hoc manifestius dici potest? Legebant ista iudeai, qui eum negaverunt. Si quis nos haec fingere arbitratur, ab his requirat, ab his potissimum sumat. Satis firmum testimonium est ad probandam veritatem, quod ab ipsis perhibetur inimicis. Hemanuel autem nunquam vocitatus est, sed Iesus, qui latine dicitur salutaris, sive salvator; quia cunctis gentibus salutifer venit. Sed propheta declaravit hoc nomine, quod Deus ad homines in carne venturus esset. Hemanuel enim significat, nobiscum Deus; scilicet quia illo per virginem nato, confiteri homines oportebat Deum secum esse, id est, in terra, et in carne mortali. Unde David in psalmo LXXXIV: Veritas, inquit, de terra orta est; quia Deus, in quo veritas est, terrenum corpus accepit.
- 176 Cap. XIII. [...] Idcirco etiam Filium bis nasci oportuit, ut et ipse fieret ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ. In prima enim nativitate spiritali ἀμήτωρ fuit, quia sine officio matris a solo Deo Patre generatus est. In secunda vero carnali ἀπάτωρ fuit, quoniam sine patris officio virginali utero procreatus est, ut medium inter Deum et hominem substantiam gerens, nostram hanc fragilem imbecillemque naturam quasi manu ad immortalitatem posset educere. Factus est et Dei Filius per spiritum, et hominis per carnem; id est, et Deus et homo.
- 177 Cap. XXV. [...] Sed tamen, ut certum esset a Deo missum, non ita illum nasci oportuit, sicut homo nascitur ex mortali utroque concretus: sed ut appareret etiam in homine illum esse coelestem, creatus est sine opera genitoris. Habebat enim spiritalem patrem Deum; et sicut pater spiritus eius Deus sine matre, ita mater cor-

<sup>1</sup> Isa. VII, 14.

poris eius virgo sine patre. Fuit igitur et Deus et homo, inter Deum atque hominem medius constitutus.

### S. ALEXANDER Alexandrinus († 328)

#### EPISTOLA

<sup>PG</sup>  
18, 568 Ad Alexandrum Constant., XII. [...] Μετὰ τοῦτο τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν οἴδαμεν· ἡς ἀπαρχὴ γέγονεν ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός, σῶμα φορέσας ἀληθῶς καὶ οὐ δοκήσει, ἐκ τῆς Θεοτόκου Μαρίας. 178

EUSEBIUS Ep. Caesariensis in Palaestina (ca 263/265 † 339/340)

#### HISTORIA ECCLESIASTICA (312-324)

<sup>PG</sup>  
20, 100 Lib. I, cap. VII. [...] Καὶ δὴ τοῦ Ἰωσὴφ ὅδέ πως γενεαλογούμένου, 179 δυνάμει καὶ ἡ Μαρία σὺν αὐτῷ πέφηνεν ἐκ τῆς αὐτῆς οὖσα φυλῆς, εἴγε κατὰ τὸν Μωϋσέας νόμον οὐκ ἔξην ἐτέραις ἐπιμίγνυσθαι φυλαῖς· ἐνὶ γάρ τῶν ἐκ τοῦ αὐτοῦ δήμου καὶ πατριᾶς τῆς αὐτῆς ζεύγνυσθαι πρὸς γάμον παρακελεύεται, ὡς ἂν μὴ περιστρέφοιτο τοῦ γένους ὁ κλῆρος ἀπὸ φυλῆς ἐπὶ φυλήν.

<sup>PG</sup>  
20, 560 Lib. VI, cap. XVII. [...] Αἱρεσίς δέ ἐστιν ἡ τῶν Ἐβιωναίων οὕτω καλουμένη, τῶν τὸν Χριστὸν ἔξι Ιωσὴφ καὶ Μαρίας γεγονέναι φασκόντων, 180

<sup>PG</sup>  
18, 567 Ad Alexandrum Constant., XII. [...] Ad haec novimus resurrectionem mortuorum; cuius primitiae fuit Dominus noster Iesus Christus, qui carnem revera gestavit, non sola specie, sumptam ex Maria Deipara. 178

<sup>PG</sup>  
20, 99 Lib. I, cap. VII. [...] Porro recensita hoc modo Iosephi stirpe, 179 simul etiam Mariae genus, quae ex eadem tribu erat oriunda, tacite expositum est, lege siquidem Moysis inter diversae tribus homines erant vetita connubia. Uni enim ex eodem populo eademque gente mulier nubere praecipitur, ne sors patrimonii in aliam tribum transferatur.

<sup>PG</sup>  
20, 559 Lib. VI, cap. XVII. [...] Est autem Ebionaeorum haeresis ita 180 dicta, eorum qui Christum ex Iosepho et Maria genitum nudumque

● PL 6, 1050, 1051.

● S. EUSTATHIUS EP. ANTIOCHENUS († 337): PG 18, 678, 679, 683. Non nulli viri docti attribuunt S. Eustathio op. « Expositio Fidei » et « Sermo maior de fide » quae exstant inter op. S. Athanasii. PG 26, 201, 205, 1265, 1269, 1272, 1273, 1276, 1277, 1284, 1285 (cf. ALTANER, 281; BARDENHEWER, II, 27).

● IUVENCUS AQUILINUS († ca 337) PL 19, 73, 83, 88, 89, 92, 101, 158, 216.

DE VOCATIONE OMNIUM GENTIUM<sup>1</sup>

**1327** Lib. II, cap. XIV. [...] Et eadem fides signaculum circumcisiois acceperat in eo corporis membro, per quod semen procreationis per venturum erat ad eam carnem, in qua sine carnali semine Dei Filius, Deus Verbum caro fieret, ac de Abrahae filia Maria Virgine nasceretur; assumptis omnibus in huius nativitatis consortium, qui in Christo per Spiritum sanetum regenerati quod Abraham credidit, eredidissent. PL 51, 699

S. LEO Magnus PP. († 461)

## SERMONES

**1328** Sermo XXI [al. XX], cap. I. [...] Alienum quippe ab hac nativitate est, quod de omnibus legitur: *Nemo mundus a sorde, nec infans, cuius est unius diei vita super terram.*<sup>2</sup> Nihil ergo in istam singularem nativitatem de carnis concupiscentia transivit, nihil de peccati lege manavit. Virgo regi Davidiae stirpis eligitur, quae sacro gravidanda fetu divinam humanamque prolem prius conciperet mente quam corpore. Et ne superni ignara consilii ad inusitatos paveret effectus, quod in ea operandum erat a Spiritu sancto, colloquio discit angelico. Nec damnum credit pudoris, Dei genitrix mox futura. Cur enim de conceptionis novitate desperet, cui efficientia de Altissimi virtute promittitur? Confirmatur credentis fides etiam praeeuntis attestatio miraculi, donaturque Elizabeth inopinata fecunditas; ut qui conceptum dederat sterili, datus non dubitaretur et virgini.

**1329** Cap. II. [...] Merito igitur virginæ integritati nihil corruptionis intulit partus salutis: quia custodia fuit pudoris, editio veritatis. Talis igitur, dilectissimi, nativitas decuit Dei virtutem et Dei sapientiam Christum, qua nobis et humanitate congrueret, et divinitate praecelleret. PL 54, 192

**1330** Sermo XXII [al. XXI], cap. II. [...] Nova autem nativitate genuit, conceptus a Virgine, natus ex Virgine, sine paternae carnis concupiscentia, sine maternae integritatis iniuria: quia futurum hominum Salvatorem talis ortus decebat, qui et in se haberet humanae substantiae naturam, et humanae carnis inquinamenta nesciret. Auctor enim Deo in carne nascenti Deus est, testante archangelo ad

<sup>1</sup> Opus hoc est S. Prosperi (cf. PLS III, 148).

<sup>2</sup> Iob XIV, 4 sec. LXX.

● PL 51, 142, 320, 518, 550.

■ PL 51, 614, 628, 790, 795, 809, 813, 819, 820.

beatam Virginem Mariam: Quia *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>1</sup> Origo dissimilis, sed natura consimilis; humano usu et consuetudine caret, sed divina postestate subnixum est, quod virgo conceperit, quod virgo pepererit, et virgo permanserit. Non hic cogitetur parientis conditio, sed nascentis arbitrium, qui sic homo natus est, ut volebat et poterat. Si veritatem quaeris naturae, humana cognosce materiam; si rationem scrutaris originis, virtutem confitere divinam. Venit enim Dominus Iesus Christus contagia nostra auferre, non perpeti; nec succumbere vitiis, sed mederi. Venit ut omnem languorem corruptionis et universa ulcera sordentium curaret animarum: propter quod oportuit ut novo nasceretur ordine, qui novam impollutae sinceritatis gratiam \* humanis corporibus inferebat. Oportuit enim ut primam genitricis virginitatem nascentis incorruptio custodiret, et complacitum sibi claustrum pudoris, et sanctitatis hospitium, divini Spiritus virtus infusa servaret, qui statuerat deiecta erigere, confracta solidare, et superandis carnis illecebris multiplicatam pudicitiae donare virtutem: ut virginitas, quae in aliis non poterat salva esse generando, fieret et in aliis imitabilis renascendo.

\*196

PL  
54, 196

Cap. III. Hoc ipsum autem, dilectissimi, quod Christus nasci elegit ex Virgine, nonne apparet altissimae fuisse rationis? Ut scilicet natam humano generi salutem diabolus ignoraret, et spiritali latente conceptu, quem non alium videret quam alios, non aliter crederet natum esse quam caeteros. Cuius enim similem cum universis advertit naturam, parem habere arbitratus est cum omnibus causam; nec intellexit a transgressionis vinculis liberum, quem ab infirmitate mortalitatis non invenit alienum. Verax namque misericordia Dei, cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppperent, hanc potissimum consulendi viam elegit, qua ad destruendum opus diaboli, non virtute uteretur potentiae, sed ratione iustitiae. Nam superbia hostis antiqui non immerito sibi in omnes homines ius tyrannicum vindicabat, nec indebito dominatu premebat, quos a mandato Dei spontaneos in obsequium suae voluntatis illexerat. Non itaque iuste amitteret originalem humani generis servitutem, nisi de eo quod subegerat vinceretur. Quod ut fieret, sine virili semine conceptus est Christus ex virgine, quam non humanus coitus, sed Spiritus sanctus fecundavit. Et cum in omnibus matribus non fiat sine peccati sorde conceptio, haec inde purgationem traxit, unde concepit. Quo enim paterni seminis transfusio non pervenit, peccati

1331

<sup>1</sup> Lc. I, 35.

se illie origo non miseuit. Inviolata virginitas concupiscentiam ne-  
scivit, substantiam ministravit.

**1332** Sermo XXIII [al. XXII], cap. I. [...] Deus itaque Dei Filius par  
atque eadem de Patre et cum Patre natura, universitatis Creator et  
Dominus, totus ubique praesens, et omnia totus excedens, in ordine  
temporum, quae ipsius dispositione decurrunt, hunc sibi diem, quo in  
salutem mundi ex beata Virgine Maria nasceretur, elegit, integro per  
omnia pudore generantis. Cuius virginitas sicut \* non est violata partu,  
sic non fuerat temerata conceptu. *Ut impleretur*, sicut ait evangelista,  
*quod dictum est a Domino per Isaiam prophetam: Ecce virgo concipiet  
in utero, et pariet filium, et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod interpretatur, Nobiscum Deus.*<sup>1</sup> Hic enim mirabilis sacrae Virginis partus,  
vere humanam vereque divinam unam edidit prole personam, quia  
non ita proprietates suas tenuit utraque substantia, ut personarum  
in eis possit esse discretio; nec sic creatura in societatem sui Creatoris  
est assumpta, ut ille habitator, et illa esset habitaculum; sed ita ut na-  
turae alteri altera misceretur. Et quamvis alia sit quae suscipitur, alia  
vero quae suscipit in tantam tamen unitatem convenit utriusque di-  
versitas, ut unus idemque sit Filius, qui se, et secundum quod verus  
est homo, Patre dicit minorem,<sup>2</sup> et secundum quod verus est Deus,  
Patri profitetur aequalem.<sup>3</sup>

PL 54, 199

\*200

**1333** Sermo XXIV [al. XXIII], cap. I. [...] *Exiet virga de radice Iesse,*  
*et flos de radice eius ascendet.*<sup>4</sup> In qua virga non dubie beata Virgo Maria  
praedicta est, quae de Iesse et David stirpe progenita, et Spiritu  
sancto fecundata, novum florem carnis humanae, utero quidem ma-  
terno, sed partu est enixa virgineo.

PL 54, 204

**1334** Cap. III. Ad hoc itaque peccati et mortis vinculum resolvendum,  
omnipotens Filius Dei, omnia implens, omnia continens, aequalis per  
omnia Patri, et in una ex ipso et cum ipso consempiternus essentia,  
naturam in se suscepit humanam, et Creator ac Dominus omnium  
rerum, dignatus est unus esse mortalium; electa sibi matre, quam  
fecerat: quae salva integritate virginea, corporeae esset tantum mi-  
nistra substantiae, ut humani seminis cessante contagio, ovo homini  
et puritas inesset et veritas. Non ergo in Christo ex utero virginis ge-  
nito, quia nativitas est mirabilis, ideo nostri est natura dissimilis. Qui  
enim verus est Deus, idem verus est homo; et nullum est in utraque  
substantia mendacium. *Verbum caro factum est* provectione carnis,  
non defectione Deitatis: quae sic potentiam suam bonitatemque mo-

PL 54, 205

<sup>1</sup> Matth. I, 22; Isa. VII, 14.<sup>2</sup> Io. XIV, 28.<sup>3</sup> Io. X, 30.<sup>4</sup> Isa. XI, 1.

derata est, ut et nostra suscipiendo proveheret, et sua communicando non perderet. In hac nativitate Christi secundum prophetiam David,  
<sup>\*206</sup> *veritas de terra orta est, et iustitia de coelo prospexit.*<sup>1</sup> \* In hac nativitate etiam Isaiae sermo completus est dicentis: *Producat terra, et germinet Salvatorem, et iustitia oriatur simul.*<sup>2</sup> Terra enim carnis humanae, quae in primo fuerat praevericatore maledicta, in hoc solo beatae virginis partu germen edidit benedictum, et a vitio suae stirpis alienum. Cuius spiritalem originem in regeneratione quisque consequitur; et omni homini renascenti aqua baptismatis instar est uteri virginalis, eodem Spiritu sancto plente fontem, qui replevit et virginem; ut peccatum quod ibi vacuavit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio.

<sup>PL 54, 206</sup> Cap. IV. Ab hoc sacramento, dilectissimi, insanus Manichaeorum error alienus est, nec ullum habent in Christi regeneratione consortium, qui eum de Maria Virgine negant corporaliter natum: ut cuius non credunt veram nativitatem, nec veram recipient passionem; et quem non confitentur vere sepultum, abnuant veraciter suscitatum.

<sup>PL 54, 209</sup> Sermo XXV [al. XXIV], cap. II. [...] Doctrina Spiritus sancti eruditi, quod didicimus credimus, quod credimus praedicamus. Dei Filium ante saecula a Patre genitum, et Patri sempiterna et consubstantiali aequalitate coaeternum, venisse in hunc mundum per uterum Virginis in hoc sacramentum pietatis electae, in qua et ex qua aedificavit sibi Sapientia domum.<sup>3</sup>

<sup>PL 54, 210</sup> Cap. IV. [...] *Cum ergo venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.*<sup>4</sup> Quid vero hoc est, nisi Verbum carnem fieri, Conditorem mundi per uterum Virginis nasci,  
<sup>\*211</sup> Dominum maiestatis \* humanis se coaptare primordiis, et licet conceptui spiritali nulla sint terreni seminis mixta contagia, ad suscipiendam tamen verae carnis substantiam solam sumere de matre naturam? Hac missione, qua Deus unitus est homini, Filius impar est Patri, non in eo quod ex Patre, sed in eo quod est factus ex homine.

<sup>PL 54, 211</sup> Cap. V. [...] Solus itaque inter filios hominum Dominus Iesus innocens natus est, quia solus sine carnalis concupiscentiae pollutione conceptus. Factus est homo nostri generis, ut nos divinae naturae possimus esse consortes. Originem quam sumpsit in utero virginis, posuit in fonte baptismatis; dedit aquae, quod dedit matri; virtus

1335

1336

1337

1338

<sup>1</sup> Ps. LXXXIV, 12.

<sup>2</sup> Isa. XLV, 8.

<sup>3</sup> Prov. IX, 1.

<sup>4</sup> Gal. IV, 4.

enim Altissimi et obumbratio Spiritus sancti,<sup>1</sup> quae fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit ut regeneret unda credentem.

**1339** Sermo XXVII [al. XXVI], cap. II. [...] Quod enim *Verbum caro factum est*, non hoc significat, quod in carnem sit Dei natura mutata, sed quod a Verbo in unitatem personae sit caro suscepta; in cuius utique nomine homo totus accipitur, cum quo intra Virginis viscera sancto Spiritu fecundata, et numquam virginitate caritura, tam inseparabiliter Dei Filius est unitus, ut qui erat intemporaliter de essentia Patris genitus, ipse sit temporaliter de utero Virginis natus. PL 54, 217

**1340** Sermo XXVIII [al. XXVII], cap. II. Celebrantes igitur, dilectissimi, natalem diem Domini Salvatoris, partum beatae Virginis integre cogitemus, ut carni animaeque conceptae virtutem Verbi nullo temporis puncto defuisse credamus, nec prius formatum atque animatum templum corporis Christi, quod sibi superveniens vindicaret habitator, sed per ipsum et in ipso, novo homini datum esse principium: ut in uno Dei atque hominis filio, et sine matre Deitas, et sine patre esset humanitas. Simul enim per Spiritum sanctum fecundata virginitas, sine corruptionis vestigio edidit et sui generis sobolem, et suae stirpis auctorem. PL 54, 222

**1341** Sermo XXIX [al. XXVIII], cap. I. [...] *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.*<sup>2</sup> Dei ergo gloria est ex matre Virgine Christi nascentis infantia, et reparatio humani generis merito in laudem sui refertur auctoris: quia et ipse beatae Mariae missus a Deo Gabriel angelus dixerat: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>3</sup> In terra autem illa pax conceditur, quae homines efficit bonae voluntatis. Quo enim Spiritu de intemeratae matris visceribus nascitur Christus, hoc de sanctae Ecclesiae utero renascitur Christianus, cui vera pax est, a Dei voluntate non dividi, et in his solis quae Deus diligit delectari.

**1342** Sermo XXX [al. XXIX], cap. II. [...] Fuit autem in quibusdam errantibus etiam illa persuasio, qua conarentur asserere ex ipsa Verbi substantia quiddam in carnem fuisse conversum, \* natumque Iesum ex Maria Virgine, nihil maternae habuisse naturae; sed et quod erat Deus, et quod erat homo, utrumque ad id pertinuisse, quod Verbum est: ut scilicet in Christo et per diversitatem substantiae falsa fuerit humanitas, et per defectum mutabilitatis non vera divinitas. PL 54, 230

\*<sup>2231</sup>

Cap. III. Has ergo, dilectissimi, aliasque impietas diabolica

<sup>1</sup> Le. I, 35.

<sup>2</sup> Le. II, 14.

<sup>3</sup> Le. I, 35.

inspiratione conceptas, et in multorum noxam per vasa perditionis effusas, olim catholica fides, cuius Deus et magister est et auxiliator, obtrivit, exhortante et instruente nos Spiritu sancto per legis testificationem, per vaticinia prophetarum, et per evangelicam tubam apostolicamque doctrinam, ut constanter intelligenterque credamus quia, sicut ait beatus Ioannes, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.*<sup>1</sup> In nobis utique, quos sibi Verbi divinitas coaptavit, cuius caro de utero Virginis sumpta nos sumus. Quae si de nostra, id est vere humana, non esset, Verbum caro factum non habitasset in nobis. In nobis autem habitavit, quia naturam nostri corporis suam fecit, aedificante sibi Sapientia domum.<sup>2</sup>

PL 54, 232 Cap. IV. [...] Nativitas autem Domini nostri Iesu Christi omnem intelligentiam superat, et cuncta exempla transcendit; nec potest ulli esse comparabilis, quae est inter omnia singularis. Electae Virgini, olimque de semine Abrahae ac de radice Iesse per propheticas voces et per mystica signa promissae, denuntiatur ab archangelo sine damno pudoris beata fecunditas, sacram virginitatem nec conceptu violatura nec partu. Superveniente quippe in eam Spiritu sancto, et Altissimi obumbrante virtute,<sup>3</sup> incommutabile Dei Verbum de incontaminato corpore habitum sibi humanae carnis assumpsit: quae et nullum contagium de concupiscentia carnis traheret, et nihil eorum quae ad animae corporisque naturam pertinent, non haberet.

PL 54, 250 Sermo XXXV [al. XXXIV], cap. I. [...] Praecesserant quidem multa documenta, quae corpoream nativitatem Domini manifestis indiciis declararent, sive cum beata Maria Virgo fecundandam se Spiritu sancto, parituramque Dei Filium audivit et credidit, sive cum ad salutationem ipsius in utero Elisabeth nondum natus Ioannes prophetica exsultatione commotus est.<sup>4</sup>

#### EPISTOLAE

PL 54, 760 Epistola XXVIII, cap. II. [...] Ὁ δὲ αὐτός τοῦ ἀιδίου πατρὸς 1345 μονογενῆς ἀιδίος ἐτέχθη ἐκ Πνεύματος ἀγίου, καὶ Μαρίας τῆς παρθένου·

PL 54, 759 Epistola XXVIII,<sup>5</sup> cap. II. [...] Idem vero sempiterni genitoris 1345 unigenitus sempiternus natus est de Spiritu sancto et Maria Virgine.

<sup>1</sup> Io. I, 14.

<sup>2</sup> Prov. IX, 1.

<sup>3</sup> Le. I, 35.

<sup>4</sup> Le. I, 44.

<sup>5</sup> Epistola haec est *Tomus ad Flavianum*, Episcopum Constantinopolitanum contra Eutychis haeresim, die 13 iunii a. 449 conscriptus.

ἢ τις γέννησις χρονικὴ τῆς θείας αὐτοῦ, καὶ ἀείδίου γεννήσεως οὔτε τι ἀπεμίωσεν, οὔτε μήν τι ταύτη προσέθηκεν ἀλλ' ὅλην ἔσυτὴν εἰς τὸ σῶσαι τὸν ἄνθρωπον πεπλανημένον ἐκένωσεν ἵνα καὶ τὸν θάνατον νικήσῃ, καὶ τὸν διάβολον τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου, τῇ οἰκείᾳ καταβάλῃ δυνάμει· οὐδὲ γάρ ἂν ἡδυνήθημεν νικῆσαι τῆς ἀμαρτίας, καὶ τοῦ θανάτου τὸν ἀρχηγόν, εἰ μὴ τὴν ἡμετέραν αὐτὸς φύσιν ἀνέλαβε, καὶ οἰκείαν εἰργάσατο· ὃν οὔτε ἀμαρτία μολῦναι, οὔτε θάνατος κατασχεῖν ἡδυνήθη. Συνελήφθη μὲν οὖν δηλονότι ἐκ Πνεύματος ἀγίου ἐν γαστρὶ τῆς παρθένου Μαρίας μητρός. "Η τις οὕτω φυλαχθείσης τῆς παρθενίας αὐτὸν ἀπεκύνησεν, ὥσπερ οὖν καὶ ἀκεραιού μεινάσης τῆς παρθενίας συνέλαβεν. 'Αλλ' εἴπερ ἐκ ταύτης τῆς ἐν τῇ πίστει τῶν Χριστιανῶν εὐαγγεστάτης πηγῆς καθαρὰν ἀρύσσασθαι διάνοιαν οὐκ ἡδύνατο, διὰ τὸ τῆς τηλαυγοῦς ἀληθείας αὐτὸν ἔσυτῷ τὸ φέγγος ἐκ τῆς οἰκείας ἐπισκοτίζειν τυφλώσεως, τῇ διδασκαλίᾳ γοῦν τῇ τῶν εὐαγγελίων ἔσυτὸν ὑπήγαγεν ἄν· καὶ λέγοντος Ματθαίου· «Βίθλος γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, οὗ οἱ Δασιδ, οὗ οἱ Ἀδραάμ»· καὶ τοῦ ἀποστολικοῦ δὲ κηρύγματος τὴν εἰσήγησιν ἄν ἐπεζήτησε.

1346

[...] Οὐδὲ ματαίως λαλῶν, οὕτως ἀν εἶπε σάρκα γεγενῆσθαι τὸν λόγον, ὡς διπερ ὁ τεχθεὶς ἀπὸ τῆς παρθένου Χριστός, εἶχε μὲν ἀνθρώπου μορφήν, οὐκ εἶχε δὲ τοῦ μητρόφου σώματος τὴν ἀλήθειαν ἢ τάχα διὰ τοῦτο τὸν δεσπότην Χριστὸν οὐκ εἶναι τῆς ἡμετέρας ἐνόμισε φύσεως, ὅτι πρὸς τὴν μα-

PL  
54, 762

Quae nativitas temporalis illi nativitati divinae et sempiternae nihil minuit, nihil contulit, sed totam se reparando homini, qui erat deceptus, impendit; ut et mortem vinceret, et diabolum, qui mortis habebat imperium, sua virtute destrueret. Non enim superare possemus peccati et mortis auctorem, nisi naturam nostram ille susciperet, et suam faceret, quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere. Conceptus quippe est de Spiritu sancto intra uterum matris Virginis, quae illum ita salva virginitate edidit, quemadmodum salva virginitate concepit.

Sed si de hoc christiana fidei fonte purissimo sincerum intellectum haurire non poterat, quia splendorem perspicuae veritatis obcaecatione sibi propria tenebrarbat; doctrinae se evangelicae subdidisset. Et dicente Matthaeo: *Liber generationis Iesu Christi filii David, filii Abraham;*<sup>1</sup> apostolicae quoque praedicationis expetisset instructum.

1346

[...] Nec frustratorie loquens, ita Verbum diceret carnem factum, ut editus utero virginis Christus haberet formam hominis, et non haberet materni corporis veritatem. An forte ideo putavit Dominum nostrum Iesum Christum non nostrae esse naturae, quia missus ad

PL  
54, 761

<sup>1</sup> Matth. I, 1.

καρίαν Μαρίαν ὁ πεμφθεὶς ἄγγελος εἶπε· «Πνεῦμα ἄγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σέ,  
καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι· διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἐκ σου ἄγιον,  
\*764 κληθήσεται υἱὸς \* Θεοῦ». ὅπως ἀν., ἐπειδήπερ ἡ σύλληψις τῆς παρθένου θείας  
ἔργον γεγένηται δημιουργίας, ἐκ τῆς φύσεως τῆς συλλαβούσης ἡ σάρξ τοῦ  
συλληφθέντος μὴ γένηται; ἀλλ’ οὐχ οὕτως νοητέον ἔκείνην τὴν γέννησιν· ἡ  
τις μονογενῶς ἔστι θαυμαστή, καὶ θαυμαστῶς ἔστι μονογενῆς· ὥστε διὰ τοῦ  
καινοπρεποῦς τῆς γεννήσεως, τὴν τοῦ γένους ἐκδάλλεσθαι κυριότητα τὸ μὲν  
γάρ γόνιμον τῇ παρθένῳ τὸ ἄγιον πνεῦμα παρέσχεν· ἡ δὲ τοῦ σώματος ἀλή-  
θεια προσελήφθη ἐκ σώματος· καὶ τῆς σοφίας οἰκοδομούσης ἔαυτῃ οἴκον,  
ὁ Λόγος σάρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, τούτ’ ἐστιν, ἐν τούτῳ τῷ σώ-  
ματι, ὅπερ ἔλαθεν ἐξ ἀνθρώπου, καὶ δὲ πνεύματι ζωῆς λογικῆς ἐνεψύχωσε.

<sup>PL</sup> Cap. IV. [...] Καὶνη δὲ τῇ γεννήσει τεχθεὶς, ἐπείπερ ἡ ἄχραντος παρ- 1347  
<sup>54, 768</sup> θενία ἐπιθυμίαν μὲν ἡγνόησε, τὴν δὲ τῆς σαρκὸς ἐχορήγησεν ὕλην. Καὶ προ-  
σελήφθη ἐκ τῆς μητρὸς τοῦ δεσπότου φύσις, οὐχ ἀμαρτίᾳ· οὐ μὴν ἐπειδήπερ  
ἐν τῷ δεσπότῃ Ἰησοῦ Χριστῷ τῷ τεχθέντι ἐκ τῆς γαστρὸς τῆς παρθένου  
θαυμαστή τίς ἔστιν ἡ γέννησις, διὰ τοῦτο ἡμῖν οὐχ ἡ φύσις ὅμοια· ὁ γάρ  
ἄνθειος ἀληθής, αὐτός ἔστι καὶ ἀνθρωπος ἀληθής. Καὶ ψεῦδος οὐδὲν ἐν  
ταύτῃ τῇ ἐνώσει τυγχάνει, ἐν ὅσῳ τὰ συναμφότερα μετ’ ἀλλήλων ἔστι· καὶ  
τοῦ ἀνθρώπου τὸ ταπεινόν, καὶ τῆς θεότητος τὸ μέγεθος· ὥσπερ γάρ τῷ

beatam Mariam semper virginem angelus ait: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei?*<sup>1</sup> ut quia conceptus virginis divini fuit operis, non de natura concipientis fuerit caro concepti. Sed non ita intelligenda est illa generatio singulariter \* mirabilis, et mirabiliter singularis, ut per novitatem creationis proprietas remota sit generis. Fecunditatē enim virgini Spiritus sanetus dedit, veritas autem corporis sumpta de corpore est; et aedificante sibi Sapientia domum,<sup>2</sup> *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis:*<sup>3</sup> hoc est, in ea carne quam assumpsit ex homine, et quam spiritu vitae rationalis animavit.

<sup>PL</sup> Cap. IV. [...] Nova autem nativitate generatus: quia inviolata 1347  
<sup>54, 767</sup> virginitas concupiscentiam nescivit, carnis materiam ministravit. Assumpta est de Matre Domini, natura, non culpa, nec in Domino Iesu Christo, ex utero virginis genito, quia nativitas est mirabilis, ideo nostri est natura dissimilis. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo, et nullum est in hac unitate mendacium, dum invicem sunt et humilitas hominis et altitudo Deitatis. Sicut enim Deum non mu-

<sup>1</sup> Lc. I, 35.

<sup>2</sup> Prov. IX, 1.

<sup>3</sup> Io. I, 14.

έλεειν δὲ Θεὸς τροπὴν οὐχ ὑφίσταται, οὔτως ἀνθρωπος τῷ μεγέθει τῆς θείας ἀξίας οὐκ ἀναλίσκεται· ἐνεργεῖ γάρ ἐκατέρᾳ μορφῇ μετὰ τῆς θατέρου κοινωνίας, ὅπερ ἔδιον ἐσχηκε, τοῦ μὲν λόγου κατεργαζομένου τοῦθ' ὅπερ ἐστὶ τοῦ λόγου, τοῦ δὲ σώματος ἐκτελοῦντος, ὅπερ ἐστὶ τοῦ σώματος· καὶ τὸ μὲν αὐτῶν διαλαμπει τοῖς θαύμασι, τὸ δὲ ταῖς ὕδρεσιν ὑποπέπτωκε. Καὶ καθάπερ ὁ λόγος ἀπὸ τῆς ἴσοτητος τῆς τοῦ πατρὸς δόξης ἐστὶν ἀχώριστος, οὔτω τὸ σῶμα τὴν φύσιν τοῦ ἡμετέρου γένους οὐκ ἀπολέλουπεν· εἰς γάρ, καὶ ὁ αὐτὸς ἀληθῶς Γεόντε Θεοῦ, καὶ ἀληθῶς υἱὸς ἀνθρώπου τυγχάνει, Θεὸς μὲν κατὰ τοῦτο, καθὸ «ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος»· ἀνθρωπος δὲ κατὰ τοῦτο, καθὸ «ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν»· καὶ Θεὸς μὲν κατὰ τοῦτο, καθὸ «δι' αὐτοῦ τὰ πάντα ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἔν»· ἀνθρωπος δὲ κατὰ τοῦτο, καθὸ «γέγονεν ἐκ γυναικός, γέγονεν ὑπὸ νόμου»· καὶ ἡ μὲν τῆς \* σαρκώσεως γένηνησις ἀνθρωπίνης ἐστὶ δήλωσις φύσεως, ὁ δὲ τοκετὸς τῆς παρθένου μήνυμα τῆς θείας ὑπάρχει δυνάμεως.

\*770

1348 Ep. XXXV, cap. III. [...] Τοιγαροῦν ἡ κατὰ σάρκα τοῦ δεσπότου PL 54, 808 γέννησις, εἰ καὶ τὰ μάλιστα ἔχει τινὰς ἰδίωτητας, δι' ὃν τὰ τῆς ἀνθρωπίνης

tatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim ultraque forma cum alterius communione, quod proprium est; Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exsequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis. Et sicut Verbum ab aequalitate paternae gloriae non recedit, ita caro naturam nostri generis non relinquit. Unus enim idemque est, quod saepe dicendum est, vere Dei Filius, et vere hominis filius. Deus per id quod *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum;*<sup>1</sup> homo per id quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.*<sup>2</sup> Deus per id quod *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil;*<sup>3</sup> homo per id quod *factus est ex muliere, factus sub lege.*<sup>4</sup> Nativitas carnis manifestatio est humanae naturae; partus virginis, divinae est virtutis indicium.

1348 Ep. XXXV,<sup>5</sup> cap. III. [...] Nativitas enim Domini secundum carnem \* quamvis habeat, quaedam propria quibus humanae conditionis PL 54, 807  
\*808

<sup>1</sup> Io. I, 1.<sup>2</sup> Io. I, 14.<sup>3</sup> Io. I, 3.<sup>4</sup> Gal. IV, 4.<sup>5</sup> Ep. ad. Julianum Episcopum Coenensem, scripta die 13 iunii a. 449.

● PL 54, 209, 212, 213, 224, 225, 227, 245, 250, 257, 293, 297, 350, 351, 356, 358, 360, 361, 371, 381, 399, 451, 452, 466, 467, 681, 691, 692, 697, 717, 718, 719, 725, 727, 730, 731, 758, 772, 805, 807, 870, 872, 873, 891, 914, 921, 928, 986.

παρόδου τῆς εἰς τὸν βίον ὑπερβαίνει προσόμια, εἴτε καθὸ μόνος ἐξ ἀγίου πνεύματος ἀπὸ ἀφθάρτου παρθένου χωρὶς ἐπιθυμίας συλληφθεῖς ἔστι καὶ τεχθεῖς, εἴτε καθὸ οὐτως ἐκ τῆς γαστρὸς τῆς μητρὸς ἀπεκυήθη, ὥστε καὶ τὴν εὐγονίαν τεκεῖν, καὶ μεῖναι τὴν παρθενίαν· ὅμως οὐχ ἐτέρας ἦν φύσεως ἡ τούτου σάρξ, ἡπερ ἐστὶν ἡ τῆς ἡμῶν οὐδὲ καθ' ἐτέραν ἀρχὴν ἐνεπεύσθη τούτῳ ἡ ψυχὴ παρὰ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους, ἡ τις ὑπερεῖχεν οὐ κατὰ τὸ τοῦ γένους διάφορον, ἀλλὰ κατὰ τὸ τῶν δυνάμεων ὑπερβάλλον.

initia transcendat, sive quod solus ab inviolata Virgine sine concupiscentia est conceptus et natus, sive quod ita visceribus matris est editus, ut et fecunditas pareret, et virginitas permaneret; non alterius tamen naturae erat eius caro quam nostrae; nec alio illi quam ceteris hominibus anima est inspirata principio, quae excelleret, non diversitate generis, sed sublimitate virtutis.

<sup>PL 54, 1068</sup> Ep. CXXIV,<sup>1</sup> cap. IX. [...] Veritatem Dei nulla res violat, sed <sup>1349</sup> Veritas nos nisi in nostra carne non salvat. *Veritas* quippe, sicut propheta ait, *de terra orta est*,<sup>2</sup> et sic Verbum Maria Virgo concepit, ut uniendam ipsi carnem de sua substantia ministraret, nec cum adiectione personae, nec cum evacuatione naturae: quoniam qui erat in forma Dei, ita accepit formam servi, ut unus atque idem in forma utraque sit Christus: inclinante se Deo usque ad infima hominis, et proficiente homine usque ad summa Deitatis, dicente Apostolo: *Quorum Patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.*<sup>3</sup>

### THEODORETUS Cyrensis (ca 393 † 458/466)

#### INTERPRETATIO IN PSALMOS<sup>4</sup>

<sup>PG 80, 1761</sup> Interpretatio in Ps. CVIII, 21. «Καὶ σύ, Κύριε, Κύριε, ποίησον μετὰ ἐμοῦ ἔνεκεν τοῦ ὀνόματός σου, ὅτι χρηστὸν τὸ ἔλεός σου». Καὶ ταῦτα ἀνθρωπίνως εἴρηκεν ὁ Δεσπότης Χριστός· πάντα γάρ τὰ ἀνθρώπεια πλὴν ἀ-

<sup>PG 80, 1762</sup> Interpretatio in Ps. CVIII, 21. *Et tu, Domine, fac tecum propter nomen tuum, quia suavis est misericordia tua.* Et haec Christus Dominus humano more dixit. Omnia enim quae humana, praeter pecca-

<sup>1</sup> Ep. ad Monachos palaestinos, scripta a. 452.

<sup>2</sup> Ps. LXXXIV, 12.

<sup>3</sup> Rom. IX, 5.

<sup>4</sup> Vide alios locos sub titulo «Incertus Auctor» Theodore attributos.

● PL 54, 1042, 1061, 1063, 1064, 1065, 1066, 1105, 1157, 1163, 1165, 1167, 1175, 1176, 1179, 1187, 1190.

■ PL 55, 44, 47, 147, 148, 150, 151 (cf. PLS III, 349).

## CORIPPUS FLAVIUS CRESCONIUS (saec. VI)

## IN LAUDEM IUSTINI

**1655** [...] Virgo creatoris genetrix sanctissima mundi,  
excelsi regina poli, specialiter una  
vera parens et virgo manens, sine semine patris  
quam Deus elegit matrem sibi, credula Verbum  
concipiens nostram genuisti feta salutem.  
O pietas miranda Dei dictaque tremenda!  
Caelorum factor Dominus Deus, unica patris  
forma Dei, verae sese velamine carnis  
\* induit et servi formam de virgine sumpsit.  
Quos tibi, quos genito dignos solvemus honores  
pro tantis, benedicta, bonis? Te, gloria matrum,  
auxiliumque imploro tuum.

PLS  
IV, 1148

\*1149

## LITURGIA GALLO-ROMANA

## MISSALE GOTHICUM SEU GOTHICO-GALLO-ROMANUM (saec. VI/VII)

**1656** Lib. III. Generosae diei dominicae Genitricis inexplicabile sacra-  
mentum, tanto magis praeconabile, quantum est inter homines Assum-  
ptione Virginis singulare: apud quem vitae integritas obtinuit Filium,  
et mors non invenit par exemplum: nec minus ingerens stuporem de  
transitu, quam exultationem ferens unico beata de partu. Non solum  
mirabilis pignore, quod fide concepit; sed translatione praedicabilis,  
qua migravit. Speciali tripudio, affectu multimodo, fideli voto, fra-  
tres dilectissimi, corde deprecemur attento, ut eius adiuti muniamur  
suffragio, quae foecunda Virgo, beata de partu, clara de merito,  
felix praedicatur abscessu: obsecrantis misericordiam Redemptoris  
nostrri, ut circumstantem plebem illuc dignetur introducere, quo bea-  
tam matrem Mariam, famulantibus apostolis, transtulit ad honorem.

PL  
72, 244

**1657** Dignum et iustum est, omnipotens Deus, nos tibi magnas merito  
gratias agere, tempore celeberrimo, die prae ceteris honorando. Quo  
fidelis Israël egressus est de Aegypto, quo Virgo Dei Genitrix de

PL  
72, 245

- PLS IV, 1137.
- LEANDER Ep. Hispalensis († 600), PLS IV, 1425, 1426, 1443.
- APRINGIUS (saec. vi), PLS IV, 1242.
- POËTAE MEROVINGICI, PLS IV, 1468, 1469, 1472.

mundo migravit ad Christum. Quae nec de corruptione suscepit contagium, nec resolutionem pertulit in sepulcro; pollutione libera, germe gloria, assumptione secura, paradiso dote praelata; nesciens damna de coitu, sumens vota de fructu; non subdita dolori per partum, non labori per transitum, nec vita voluntate, nec funus solvitur vi naturae.

**S. VENANTIUS H. C. FORTUNATUS (ca 530 † ca 600)**

CARMINA MISCELLANEA

PL  
88, 264

Lib. VIII, cap. III. De Nativitate Domini.

1658

Agnoscat omne saeculum

Venisse vitae praemium:  
Post hostis asperi iugum,  
Apparuit redemptio.

Isaias quae concinit,  
Completa sunt in Virgine,  
Annuntiavit angelus,  
Sanctus replevit Spiritus.

Maria ventre concipit  
Verbi fideli semine,  
Quem totus mundus non capit,  
Portant puellae viscera.

Radix Iesse floruit,  
Et virga fructum edidit.  
Fecunda partum protulit,  
Et virgo mater permanet.

Praeseppe poni pertulit,  
Qui lucis auctor exstitit,  
Cum Patre coelos condidit,  
Sub matre pannos induit.

PL  
88, 268

Cap. VI. De virginitate.

1659

[...] Respic qui voluit nasci se ventre puellae,

Et Domini summi qua caro carne venit.

Spiritus intactam venerabilis attigit alvum,

Virgineam cupiens inhabitare domum.

Hanc Deus ingrediens, hominis quae nesciit usum,

Sola suo nato conscientia virgo viro.

Concipiente fide, nullo se semine lusit

Et quo factus homo est, non fuit alter homo.

*recepérunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri,<sup>1</sup> et rursum: *Filioli, adhuc pusillum vobiscum sum.*<sup>2</sup> Hi ergo filii hereditas est, et haec hereditas *merces fructus ventris.* Est ergo Dominus fructus ventris, quem ex se in vitae nostrae fructum pariens Virgo progenuit. Et haec eius merces est, qui ex Virgine nascendo \* fructum ventris esse se voluit: ut ei gentes, quas in filios per fidem generaret, haereditas sit.*

<sup>PL</sup>  
<sup>I, 733</sup> In psalmum CXXXI, 8. [...] Ex hac enim Iudae tribu Maria <sup>236</sup> est, quae Domino nostro secundum carnem mater fuit.

## HYMNI

<sup>PLS</sup>  
<sup>I, 274</sup>

## Hymnus I.

237

[...] Bis nobis genite Deus,  
Christe! Dum innato nasceris a Deo  
vel dum corporeum et Deum  
mundo te genuit Virgo puerpera:  
Credens te populus rogat [...]

## FORTUNATIANUS Aquileiensis († ante 371)

## FRAGMENTUM

<sup>PLS</sup>  
<sup>I, 239</sup>  
<sup>\*240</sup>

[...] Sed et virga Aaron, qui in sancta sanctorum floruit, in typum \* Domini flos et fructus ipse virgae accipere potest. In virga quippe Mariam genetricem Domini nostri Iesu Christi, in flore vero ipso Domino praefigurasse accipiendum est. Sicut scriptura ait: *Egredietur virga de radice Iesse.*<sup>3</sup> Hinc de Domino Salomon ait: *Ego sum flos campi et lilia convallium.*<sup>4</sup>

238

## LUCIFER Calaritanus († 370/371)

## DE NON CONVENIENDO CUM HAERETICIS

<sup>PL</sup>  
<sup>13, 779</sup>  
<sup>\*780</sup>

[...] Sic, inquam, sectus est, atque projectus tuus magister Arius, ut est sectus et reiectus Sabellius, \* qui fuerit ausus unam esse personam Patrem et Filium et Spiritum sanctum defendere; quia fuerit

239

<sup>1</sup> Io. I, 12.<sup>2</sup> Io. XIII, 33.

● PL 9, 340, 342, 348, 592, 616, 735, 793, 849, 927.

● PL 10, 10, 65, 81, 91, 98, 152, 165, 172, 192, 201, 222, 230, 246, 284, 322, 347, 348, 378, 381, 383, 384, 386, 395, 403, 411, 455, 489, 507, 509, 512, 521, 522, 526, 655, 675, 717, 725, 735.

● PLS I, 91, 103, 122, 177, 222, 233, 247, 256, ■ 278.

<sup>3</sup> Isa. XI, 1.<sup>4</sup> Cant. II, 1.

ausus dicere ipsum sibi et Patrem esse, et Filium, et Spiritum sanctum; excisus est quia dicere non dubitarit, quod etiam ipse Pater in utero Virginis incarnatus sit, et fuerit passus. Sic Marcionem excisum proiecit, qui noluerit Dei Filium hominem suscepisse confiteri de utero Virginis, et per hoc hominem factum.

#### DE NON PARCENDO IN DEUM DELINQUENTIBUS

- 240 [...] Clarum est, Constanti, te esse antichristi portantem spiritum, te spiritu agi erroris. Sicut enim qui dixerunt, non suscepisse hominem de utero beatae Virginis unicum Filium Dei qui non illum crediderunt incarnatum, hominem factum, habere erroris astruantur spiritum, et antichristi nuncupantur, sic et vos Ariani cum unicum Dei Filium natum vere de Patre negatis, hoc est, de substantia Patris, verum illum esse Filium cum despuitis et semper illum cum Patre regnasse, numquam Filium fuisse sine Patre, neque Patrem sine Filio cum credere detrectatis, cum unam habere Patrem, et unicum Filium eius deitatem negatis, cuius vos spiritu esse plenos manifestatis, nisi antichristi? PL 13, 987

#### S. EUSEBIUS Vercellensis († 371)

##### DE TRINITATE<sup>1</sup>

- 241 Lib. III. [...] Nunquidnam homo Deum assumpsit, et non Deus hominem? Deus utique hominem, non homo Deum assumpsit: nam etsi assumpsit de Maria Virgine, non quod semper ante assumptionem hominis una cum Patre fuit amisit, sed neque deitas eius in homine augmentum aut detrimentum ullum sustinuit, cum talis in homine fuerit praesenti tempore, qualis et in sinu Patris semper ante assumptionem hominis una cum Patre fuisse cognoscitur. Sed e diverso dicas mihi: Quemadmodum hominem Deus assumpsit? Ignoras Isaiam prophetasse: *Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabis nomen eius Emmanuel; quod interpretatur Nobiscum Deus.*<sup>2</sup> Sed et Apostolus haec confirmat dicens formam Dei, formam servi suscepisse.<sup>3</sup>

Quapropter nobiscum Deus?

● FAUSTINUS PRESBYTER (saec. IV): PL 13, 51, 60, 67, 71; CCL LXIX, 312, 332, 335, 339.

<sup>1</sup> Libri 1-8 sunt Eusebii Vercellensis (cf. PLS III, 1258).

<sup>2</sup> Isa. VII, 14.

<sup>3</sup> Philip. II, 7.

Dominum laudavit et magnificavit *quia respexit humilitatem ancillae suae*, \*superbi autem et potentes ei non placuerunt; *et Altissimus exaltat omnes humiles.*<sup>1</sup> Vide ergo, carissime, ad humiles pacem accurrere.

208 Demonstr. XXI, 9. [...] Ioseph namque a patre suo vestitus est <sup>PS</sup><sub>I, 954</sub> tunica fimbriata; Iesum autem Pater eius corpore induit de Virgine [adsumpto].

209 10. [...] Maria stabat super ripam fluminis, Moyse aquis innatante; Maria peperit Iesum, Gabriele angelo ei annuntiante. <sup>PS</sup><sub>I, 959</sub>

210 Demonstr. XXIII, 20. [...] Iacob genuit Ioseph, et Ioseph vocatus est pater Iesu Christi; Iesus autem natus est de Maria virgine, e semine domus David, de Spiritu sancto, sicut scriptum est: *Ioseph cum Maria despōnsata sibi, ambo de domo David.*<sup>2</sup> Et Apostolus testatur *Iesum Christum fuisse ex Maria, de semine David, in Spiritu sancto.*<sup>3</sup> Ioseph pater Iesu appellatus est, licet non sit ille de ipsius semine natus; verum paternitatis nomen ab Adam usque ad Ioseph \*per sexaginta et tres generationes derivatum est. Nomen paternitatis a Ioseph sublatum est, et Christo impositum. De Ioseph igitur nomen paternitatis, de Iohanne nomen sacerdotii accepit, et de Maria corpus induit, et nomen generationis suscepit. <sup>\*66</sup>

### MARIUS VICTORINUS Afer (ca 300 † post 362)

#### ADVERSUS ARIUM

211 Lib. I, XXXV. [...] Λόγος est ad Deum, in confesso est. Quid est λόγος? Per quem omnia, et in quo omnia, et in quem omnia; istum esse et Iesum in confesso est. Quod λόγος est filius Dei, filius autem Iesus de quo dicit Paulus: *Qui nos eruit de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii charitatis suae.*<sup>4</sup> Quis igitur iste filius? Ipse, inquit, *in quo habemus redēptionem, per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum*<sup>5</sup> nostrorum. Iste qui est? Qui natus est ex Maria. Quid deinde? Istud solum? Numquid maxime quod in eo, qui ex Maria erat? Erat et ante quam ex Maria. Quid autem inducit,<sup>6</sup> qui est *imago Dei*? Numquid hoc solum, de Maria? Non:

<sup>1</sup> Le. I, 48, 51, 52.

<sup>2</sup> Le. II, 4, 5.

<sup>3</sup> Rom. I, 3, 4.

<sup>4</sup> Coloss. I, 13.

<sup>5</sup> Ibid. 14.

<sup>6</sup> Ibid. 15.

● EUSEBIUS EMESENUS († ca. 359): PG 86 513, 520, 545.

imago enim Dei ab aeterno imago. Si igitur in filio habemus spem, et ipse per sanguinem suum redemit nos; ipse autem imago est Dei; imago ergo filius est Dei. An ego dico istud? Non solus, sed et Paulus; quomodo enim dicit?<sup>1</sup> *Primogenitus omnis creaturae.* Quis primogenitus? Filius. Quis filius? Filius qui ex Maria. Quis filius ex Maria? Primogenitus totius creaturae. Quis totius creaturae primogenitus? Qui imago Dei est. Necesse est enim primogenitum esse ante omnem creaturam imaginem Dei. Quis autem est imago? Λόγος. Quis λόγος? Qui erat in principio. Sine enim imagine Deus quomodo? Et quis λόγος?<sup>2</sup> \* *Qui ad Deum erat, et per quem effecta sunt omnia, et sine quo effectum est nihil.* Quomodo imago λόγος est? Et λόγος filius? Et ipse qui de Maria? Magis autem qui in eo qui de Maria. Ex iis manifestum, si filius Dei redemit nos per sanguinem suum, qui de Maria filius est, et ipse imago est Dei; Dei est filius: si enim totius creaturae primogenitus, necessario filius, numquid alias? Absit: unigenitus enim Dei est filius. Necesse est ergo eumdem ipsum esse filium, et imaginem, et eum qui de Maria. Quomodo enim imago Dei filius, si non primogenitus totius creaturae? Et quomodo imago Dei, qui Filius de Maria post omnia facta natus est? Manifestum ergo, quod ipse primogenitus. Quid vero quod natum est de Maria? Non creatura est: sed si filius Dei, imago Dei ante omnem creaturam natus est, ipse est in eo, qui de Maria natus est. Manifestum igitur quod ipse unigenitus.

<sup>PL</sup>  
<sup>8, 1083</sup> LVI. [...] *Spiritus sanctus adveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.*<sup>3</sup> Natus est igitur Iesus Christus secundum carnem de Maria, et ex sancto Spiritu, virtute Altissimi. 212

<sup>PL</sup>  
<sup>8, 1084</sup> LVIII. [...] Respondit igitur angelus Mariae et dixit illi: *Spiritus sanctus adveniet in te, et virtus Altissimi inumbrabit tibi.*<sup>4</sup> Haec duo in motu, quae sunt λόγος et sanctus Spiritus, ad id ut gravida esset Maria, ut aedificaretur caro a carne, Dei templum et domicilium advenerunt: sanctus quidem Spiritus potentia in motu, generantis enim principium motus; virtus autem Altissimi ipse λόγος est: *Virtus enim et sapientia Dei λόγος Iesus.*<sup>5</sup> 213

<sup>1</sup> Ibid.

<sup>2</sup> Io. I, 2, 3.

<sup>3</sup> Lc. I, 35.

<sup>4</sup> Ibid.

<sup>5</sup> 1 Cor. I, 24.

• PL 8, 970, 1068, 1070, 1080, 1081, 1088, 1089, 1136, 1176, 1224, 1306, 1397. PL 8, 953: Epistolam ad Prosdocium IULII Pp. I, H. Lietzmann affirmit confectam esse a Timotheo, Apollinaris sectatore (cf. PLS I, 192).

■ PL 8, 1004 (cf. PLS I, 192, 193).

DE PHYSICIS LIBER<sup>1</sup>

**214** XVII. Humana insipientibus impossibile videtur esse quod dicitur, ut qui nasci debuit, contra naturam nasci praedicetur ex virgine; cum hoc in humanam rationem non cadat, ut praeter caeteros ita nasceretur, et sit ex matre filius sine patre: cum tamen maxime hoc ei conveniat, ne terrenum patrem habeat qui habet patrem coelestem. Nec negare patrem suum venerat, ut ex alio nasceretur; sed quod deerat in natura gignentis, mater ei sit virgo. Nec sub ista conditione nostrae generationis teneri debebat omnium procreator; cum etiam primi auctores non ex coitu sint generati. Multa quoque genera sunt in saeculo gignentium quae sine coniugio clam multis modis generantur. Conceptus vero ratio, caste insipienti, possibilis. Ex Spiritu sancto praedicatur natus esse qui sanctus est; nihil incredibile. Sed inquinari sanctitas eius videtur ex permixtione; cum non sit permixtio. Interroganti enim virgini et causas conceptionis requirenti, angelus Gabriel ait: *Spiritus sanctus superveniet super te, et virtus Altissimi obumbrabit te:* nec utroque commixtionem nominans; sed superventu Spiritus, virtute Altissimi, coagulatur natura; ut quod in aliis semen efficit, adiungendo sanetius, \*ut decet Deo, per incontaminatum corpus virginis nasceretur.

PL  
8, 1304

\*1305

S. HILARIUS Pictaviensis (ca 315 † 367/368)

## COMMENTARIUM IN MATTHAEUM (354?)

**215** Cap. I, 1. [...] Quod vero Ioseph potiusquam Mariae nativitas recensetur, nihil refert: eadem enim est totius tribus atque una cognatio. Exemplum autem etiam Mattheus et Lucas dederunt, patres invicem appellantes, non tam genere quam gente: quia ab uno tribus coepta, sub unius successionis et originis familia continetur. Cum enim filius David atque Abrahae esset ostendendus, quia ita Mattheus coepit: *Liber generationis Iesu Christi, filii David, filii Abrahae:*<sup>2</sup> non differt quis in originis numero atque ordine collocetur, dummodo universorum familia coepta esse intelligatur ab uno. Ita cum eiusdem tribus sit Ioseph et Maria; dum profectus esse ex Abrahae genere Ioseph ostenditur, profecta quoque docetur et Maria.

PL  
9, 919

<sup>1</sup> Opus attributum Victorino Petoviensi (Woehrer); vel cuidam autem Anonymo Afro saec. IV (Clavis 100).

<sup>2</sup> Matth. I, 1.

## S. MARTINUS Ep. Dumiensis (ca 515 † 580)

## DE CORRECTIONE RUSTICORUM (post 572)

**1590** 13. Pro qua etiam causa, dum vidisset Deus miseros homines ita a diabolo et angelis eius malis includi ut, obliviscentes creatorem suum, pro deo daemones adorarent, misit filium suum, id est Sapientiam et Verbum suum, ut illos ad cultum veri de diaboli errore reduceret. Et quia non poterat divinitas filii Dei ab hominibus videri, accepit carnem humanam ex utero Mariae virginis, non ex coniugio viri, sed ex Spiritu sancto conceptam.

## M. A. CASSIODORUS (485/490 † ca 583)

## HISTORIA TRIPARTITA (ante 555)

**1591** Cap. II. [...] Etiam quidam aliorum prophetarum clare Christi generationem prophetaverunt, et illum sacram ineffabilemque conceptum, et matrem post partum virginem permanentem, et genus, et patriam; alii vero passionem, et resurrectionem a mortuis, et ascensionem in coelos, et eventum singolarum praesignaverunt rerum.

## IN PSALTERIUM EXPOSITIO

**1592** Ps. VIII, 5. [...] *Aut filius hominis quoniam visitas eum?* Hac iam voce surgendum est, quia Dominum significat Salvatorem, qui non ut caeteri mortales ex duobus hominibus natus est, sed ex Spiritu sancto et beatae Mariae semper virginis utero tamquam sponsus de gloriose thalamo processit.<sup>1</sup>

**1593** Ps. XVIII, 6. [...] *Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exsultavit ut gigas ad currēdā viam. Et ipse,* Christum Dominum dicit, qui *tamquam sponsus Ecclesiae suae, processit de thalamo suo*, id est de utero virginali. Magna similitudine sacramentum eius incarnationis exposuit. Ob hoc enim de intacto utero processit dispositione mirabili, ut mundum Deitati reconcilians, Ecclesiam sibi sponsi caritate sociaret. Quapropter merito de Virgine natus est, qui Virgini erat sancta copulatione iungendus. Congrue namque *sponsus* a spondendo dicitur Christus, qui toties promissus est per prophetas.<sup>2</sup>

<sup>1</sup> CCL XCVII, 92.

<sup>2</sup> CCL XCVII, 171.

● PLS IV, 1401.

PLS  
IV, 1399

PL  
69, 884

PL  
70, 76

PL  
70, 139

## MAXIMINUS Ep. Gothorum Arianus (saec. IV-V)

## SERMO

PLS  
I, 732

I. [...] *Et verbum caro factum est et habitavit in nobis.*<sup>1</sup> Deus homo factus *Emmanuhel*, quod interpretatur *Nobiscum Deus.*<sup>2</sup> O res mirabilis! Pro nobis Dominus omnium castae virginis ubera suxit et de sancto matris pectore lactei fontis dulcia fluenta potavit, ut nos pietatis suae fontibus et caelestis doctrinae fluminibus irrigaret. Pasceatur ab ancilla sua, cuius ipsa beneficio pascebatur. *In praesepio ponitur, pannis involvitur*<sup>3</sup> [...].

1390

Ergo nascitur de virgine homo propter hominem, et filius Dei efficitur filius hominis ut filios hominum faceret filios Dei. Portat virgo mater parvulum in manibus, cuius omnis mundus virtute sustinebatur; et quae non noverat nuptias nec coniunctionem viri didicerat, didicit generare, amplectitur, osculatur, adorat potentem Dominum. Ab angelo audierat et ex ipso partu didicerat quia talem sibi, ut diximus, partum non nisi solus efficaret unigenitus in caelis unigenitus in terris, Deus ex Deo partus ex virgine, Deus sine matre homo sine patre, quia Deum habet patrem, virginem matrem, ex patre ante saecula, ex matre in saeculo.

PLS  
I, 733

[...] Dominus veniens in corpore sub silentio humilitatis ex sancta virgine carnem sibi adsumit humanam, et velut sponsus procedit de thalamo suo; sic enim scriptum est *sicut sponsus procedens de thalamo suo.*<sup>4</sup> De quo putamus thalamo? De utero scilicet virginali. Uterus virginis thalamus Christi: ibi iungitur sponsus et sponsa, ibi iungitur verbum et caro, verbum sponsus, caro sponsa. *Procedit de thalamo suo*, ut cetera membra sponsae colligat et in una gaudeat ecclesia.

1391

Quid ergo, fratres mei? Antequam Dominus Iesus in thalamo, id est in utero virginali, iungeretur sponsae, nonne *verbum erat apud Deum et Deus erat verbum?*<sup>5</sup> Ergo quando coepit esse in utero virginis, non erat apud Deum? Unde ergo gaudebant angeli, unde caeli regebantur? Ergo quando in utero virginali erat, verbum non fuit apud patrem? Immo apud patrem et in utero virginis, immo totus apud patrem et totus in utero virginis; quia Dominus noster verbum Deus totus est apud patrem, totus in caelis, totus in angelis, totus in utero,

<sup>1</sup> Io. I, 14.<sup>2</sup> Matth. I, 23.<sup>3</sup> Lc. II, 12.<sup>4</sup> Ps. XVIII, 6.<sup>5</sup> Io. I, 1.

totus in ecclesia, \* totus in carne. De ipso quodam in loco Scriptura dicebat *fraternus meus candidus et rubeus*,<sup>1</sup> *candidus* quia Verbum est Dei, *rubeus* quia partus est virginis. \*734

Ergo hodie parvulus et humilis ingressus est mundum, et hodie quidem secundum hominem homo natus est ex virgine, sed «ante omnia saecula genitus ex patre», qui matrem corpore, virtute referat patrem, unigenitus in terra unigenitus in caelo, Deus ex Deo, partus ex virgine.

### BACHIARIUS Monachus (saec. IV-V)

#### EPISTOLA AD S. MARCELLAM VIDUAM

**1392** [...] Huius ergo mysterii sacramentum in decimo mense, hoc est, trecentesimo dierum numero scimus esse completum; ubi nobis parturientis sanctae Mariae gemitus imitandi sunt, ut velut intra occultam vulvam uteri, sic intra secretam monasterii cellulam aliquid formetur in nobis, quod proficiat ad salutem, et in decimo mense novum opus ex fructibus nostris, quod mundus miretur, appareat. Si enim illa incorrupta et sancta Maria non sine gemitibus ac suspicitiis spem suae salutis effundit, qualiter nobis aestimas laborandum, quos serpentis decepere consilia, ut aliquid tale valeamus imitari? Sed forsitan dicas: Cur me vanae spei pollicitatione frustraris? Solis Christum parere virginibus licet. Nolo enim gratiam Dei intra unius personae angustias claudas. Aspice enim ubi apostolus peccatoribus et praevaricatoribus dicit: *Donec Christus formetur in vobis.*<sup>2</sup> Sed memento quia sancta Maria, cum hoc opus exercuit, valde secretum locum ac solitarium requisivit: nullus ei minister, nullus comes fuisse describitur; sed et <si> beatus Ioseph contubernium praestaret officii, tamen inter parturientis gemitus quid nisi abfuisse credatur? Exhinc autem metire, quam secretum et quietum locum debet eligere, qui Christum desiderat parere, cum etiam ille, qui adventus illius prae-dicator est, non nisi in heremo haec adnuntiasse dicatur. PLS  
I, 1040

#### PROFESSIONE FIDEI (383/384)<sup>3</sup>

**1393** [...] Filium quoque credimus in novissimis diebus natum esse de Virgine et Spiritu sancto, carnem naturae humanae et animam suscepisse. In qua carne et passum et sepultum, resurrexisse a mortuis PL  
20, 1028

<sup>1</sup> Cant. V, 10.

<sup>2</sup> Gal. IV, 19.

<sup>3</sup> Multi viri docti negant hanc professionem Bachiarii esse, alii affirmant.

● PLS I, 733, 734.

## S. MAXIMUS Taurinensis († 408/423)

## HOMILIAE

- <sup>PL</sup>  
57, 223 Homilia I. [...] Atque ideo ante complures dies castificemus 837  
corda nostra, mundemus conscientiam, purificemus spiritum, ac  
nitidi, et sine macula immaculati suscipiamus adventum: ut cuius  
nativitas per immaculatam virginem constitit, eius natalis per im-  
maculatos servos procuretur. Quisquis enim in illa die sordidus  
fuerit, ac pollutus, natalem Christi, votumque non curat.<sup>1</sup>
- <sup>PL</sup>  
57, 234 Homilia IV. [...] *Et vestimenta eius facta sunt fulgentia, candida  
nimis velut nix, qualia fullo super terram non potest facere.*<sup>2</sup> Laudatur 838  
igitur Christi vestimentum, quia nitebat, non textura, sed gratia:  
laudatur indumentum, non quod staminum subtilitate densatum  
est, sed quod corporis integritate conceptum: laudatur vestimen-  
tum, non quod mulierum manus texuit, sed quod Mariae virginitas  
procreavit. Et ideo in eo magnificatur candoris gratia, quia imma-  
culatum illud non artificis cura praestiterat.<sup>3</sup>
- <sup>PL</sup>  
57, 310 Homilia XXXVIII. [...] Erat flos natus non de spina, sed de 839  
virga, sicut ait propheta: *Exibit virga de radice Iesse et flos de radice  
eius ascendet:*<sup>4</sup> virga enim erat Maria, nitida, subtilis, et virgo, quae  
Christum veluti florem integritate sui corporis germinavit.<sup>5</sup>
- <sup>PL</sup>  
57, 330 Homilia XLV. [...] *Ego autem sum vermis et non homo.*<sup>6</sup> Cur to- 840  
tius Dominus creaturee vermiculo se voluerit comparari, possumus  
hoc quidem humilitati primitus assignare, quae sanctorum virtus  
est maxima, sicut sanctus Moyses ante Deum animal se irrationabile  
profitetur, David pulicem se saepe commemorat. Sed magis illud  
accipiendo puto: quoniam vermis nulla extrinsecus admixtione  
alieni corporis, sed de sola ac pura terra procreatur, ideo illum com-  
paratum Domino, quoniam et ipse Salvator de sola et pura Maria  
generatur. Legi etiam in libris Moysis de manna vermiculos pro-  
creatos:<sup>7</sup> digna plane et iusta comparatio; siquidem de manna ver-  
miculus gignitur, et Dominus Christus de Virgine procreatur. Quin

<sup>1</sup> CCL XXIII, 241.<sup>2</sup> Mare. IX, 2.<sup>3</sup> CCL XXIII, 250.<sup>4</sup> Isa. XI, 1.<sup>5</sup> CCL XXIII, 278.<sup>6</sup> Ps. XXI, 7.<sup>7</sup> Exod. XVI, 20.

potius ipsam Mariam manna dixerim, quia est subtilis, splendida, suavis et virgo; quae velut coelitus veniens, cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorum melle defluxit, quem qui edere et manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit, sicut ipse Dominus ait: *Nisi quis manducaverit meam carnem, et biberit meum sanguinem, non habebit vitam in semetipso;*<sup>1</sup> sed potius ipse cibus in iudicium convertetur, sicut Apostolus dicit: *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat.*<sup>2</sup>

841 Homilia LIX. [Christus] depositis enim corruptelae mortalis exuvii reddiviva carnis assumptione refloruit, sicut ipse ait per prophetam: *Et refloruit caro mea, et ex voluntate mea confitebor illi.*<sup>3</sup> Re-floruit, inquit, caro mea. Videate quo verbo usus est; non ait, floruit, sed re-floruit: non enim reflorescit, nisi quod ante floruerit. Floruit autem caro Domini, cum primum de Mariae virginis illibata vulva processit, sicut ait Isaias dicens: *Exibit virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.*<sup>4</sup> Refloruit autem, cum succiso per iudeos corporis flore, reddiviva de sepulcro resurrectionis gloria germinavit, et in floris modum odorem pariter et nitorem cunctis hominibus immortalitatis afflavit.<sup>5</sup>

PL  
57, 368

842 Homilia LXXXIV.<sup>6</sup> [...] Videamus ergo de Domini corpore, posteaquam de cruce deponitur, quid geratur. Accepit illud Ioseph ab Arimathaea, vir iustus, sicut ait evangelista, et in novo suo se-peliit monumento, in quo nondum quisquam positus erat. Beatum ergo corpus Domini Christi, quod cum nascitur, utero virginis gi-gnitur: cum recedit, iusti tumulo commendatur. Beatum plane cor-pus, quod virginitas peperit, et iustitia custodivit. Custodivit illud Ioseph tumulus incorruptum, sicut servavit illud Mariae uterus illi-batum. Hic enim viri pollutione non tangitur, ibi mortis corrup-tione non laeditur: novus illud venter concepit. Dominica ergo, et virgo vulva, et virgo est sepultura; quin potius ipsam sepulturam vulvam \*dixerim; est enim similitudo non parva. Sicut enim Domi-nus de matris vulva vivus exivit, ita et de Ioseph vivus sepultura surrexit: et sicut tunc de utero ad praedicandum natus est, ita et nunc ad evangelizandum renatus est de sepulcro. Nisi quod glo-riosior ista quam illa nativitas. Illa enim corpus mortale genuit,

PL  
57, 442

\*443

<sup>1</sup> Io. VI, 54.<sup>2</sup> I Cor. XI, 29; CCL XXIII, 113, 114.<sup>3</sup> Ps. XXVII, 7.<sup>4</sup> Isa. XI, 1.<sup>5</sup> CCL XXIII, 228.<sup>6</sup> « Cette pièce a des chances d'authenticité mais le cas est complexe » (Lau 133).

haec edidit immortale post illam nativitatem ad inferos descenditur, post hanc remeatur ad coelos. Religiosior plane ista est quam illa nativitas. Illa enim totius mundi Dominum novem mensibus in utero clausum tenuit, haec autem tridui tantum tumuli gremio custodivit; illa cunctorum spem tardius protulit, haec omnium salutem citius suscitavit.

Quae comparatio ventris et tumuli; cum illa ex intimis visceribus edidit filium, hic autem solummodo locum praestiterit sepulturae? At ego dico, non minorem Ioseph affectum fuisse quam Mariae. Siquidem illa utero Dominum, hic corde conceperit; illa Salvatori membrorum suorum secretum praestitit, hic secretum sui corporis non negavit; illa Dominum pannis involvit cum natus est, hic linteis cum recessit; illa perunxit beatum corpus oleo, hic aromatibus honoravit. Conveniunt ergo sibi obsequia, convenit et affectus; unde necesse est et meritum convenire, nisi quod angelus Mariam ad obsequium admonuit, Ioseph autem sola iustitia persuasit; Ioseph in suo sepulcro posuit Dominum.<sup>1</sup>

### SERMONES

**PL 57, 537** Sermo IV. [...] Si enim obscuratur sol cum Christus patitur, 843  
necesse est illum splendidius solito lucere cum nascitur. Et si iudeis mortem operantibus effudit tenebras, cur non Mariae parturienti vitam exhibeat claritatem?<sup>2</sup>

**PL 57, 540** Sermo IV. [...] Videamus igitur hic, sol noster novus quo fonte 844  
nascatur. Sicut est verum Deo oritur auctore. Divinitatis ergo est Filius; divinitatis, inquam, incorruptae, integrae, illibatae. Intelligo plane mysterium; ideo enim fecunda nativitas per immaculatam Mariam, quia prior per divinitatem constiterat illibata: cuius prior nativitas gloria exstitit, eius secunda contumeliosa non fieret. Hoc est, ut quemadmodum virgo illum divinitas ediderat, ita et virgo Maria generaret. Habere etiam apud homines patrem scribitur; sicut legimus in Evangelio dicentibus Phariseis: *Nonne hic est filius Ioseph fabri, et mater eius Maria?*<sup>3</sup> In hoc quoque adverte mysterium. Faber pater dicitur Christus. Et plane faber Pater Deus, qui totius mundi opera fabricatus est; est plane faber, sed qui in diluvio Noe arcam fabricare dispositus.<sup>4</sup>

<sup>1</sup> CCL XXIII, 150-152.

<sup>2</sup> CCL XXIII, 261.

<sup>3</sup> Matth. XIII, 55.

<sup>4</sup> CCL XXIII, 263.

845 Sermo VIII. De S. Epiphania II.<sup>1</sup> [...] Ratio enim exigit ut post diem natalis dominici, licet interpositis annis, eodem tamen tempore, haec festivitas sequeretur, quam et ipsam festivitatem natálem appellandam puto. Tunc enim natus hominibus, hodie renatus est sacramentis; tunc per virginem editus, hodie per mysterium generatus. Ita enim disposuit Dominus, non longe inter se hominum vota distare, ut uno tempore, quem genitum gratulabantur in terris, sanctificatum laetarentur in coelis; ut qui partum virginis, angelis annuntiantibus, possidebant Dei Filium, coelis testantibus retinerent, certique essent homines quia ipse esset Filius Dei quem virgo pepererat, Divinitas agnoscebat. Novi enim partus nova merentur obsequia. Ibi cum secundum hominem nascitur, mater eum Maria sinu circumfovet. Hic cum secundum mysterium gignitur, Pater eum Deus voce complectitur. Ait enim: *Hic est enim Filius meus, in quo bene complacui.*<sup>2</sup> Mater ergo partui molli blanditur gremio, Pater Filio pio testimonio famulatur. Mater, inquam, eum adorandum magis ingerit, Pater colendum gentibus manifestat. Sinu igitur retinetur a matre cum nascitur, sed Pater ei sinus sui fotum iugiter subministrat. Legimus enim eum sine intermissione in Patris gremio quiescentem, dicente Evangelista: *Deum nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius, qui est in \* sinu Patris.*<sup>3</sup> Libenter ergo in sinu sanctorum requiescit Dominus, unde et Ioannis evangelistae sinum, ut in eo accumberet, libenter elegit. Sinus ergo in quo Christus requiescit, non corporis gremio praeparatur, non vestimentorum ambitione componitur, sed coelestium virtutum colligitur. Nam Christi sinus erat in Ioanne evangelista fides, in Deo Patre divinitas, in Maria matre virginitas. Ibi sinus Christi est, ubi habitaculum est virtutum.<sup>4</sup>

PL  
57, 547

\*548

846 Sermo XIX. [... Christus] per omnia secundum similitudinem Adae, omnia homines peccata dissolveret. Adam enim de terra virgine natus est, et Christus de Maria virgine procreatus. Illius maternum solum nec dum rastris scissum fuerat; istius maternum secretum nunquam concupiscentia violatum. Adam Dei manibus plasmatur e limo, Christus Dei spiritu formatur in utero. Uterque ergo oritur a Deo Patre, uterque virgine nascitur matre, uterque, sicut evangelista dicit, Filius Dei est: sed Adam creatura Dei est Christus vero substantia.<sup>5</sup>

PL  
57, 571<sup>1</sup> Secundum Laurentin, sermo hic est incerti auctoris. Lau 134.<sup>2</sup> Math. III, 17.<sup>3</sup> Io. I, 18.<sup>4</sup> CCL XXIII, 398, 399.<sup>5</sup> CCL XXIII, 203.

<sup>PL 57, 738</sup> Sermo CIV. [...] Vota enim nostra celebrantur, quando Christo 847

Ecclesia copulatur, sicut ait Ioannes: *Qui habet sponsam, sponsus est.*<sup>1</sup> Propter has ergo nuptias saltare nos convenit. Siquidem David rex pariter et propheta, dum multa cecinerit, ante arcam testamenti etiam saltasse dicatur.<sup>2</sup> Elatus enim gaudio in saltationem prorupit. Praevidebat enim in spiritu Mariam de germine suo Christi thalamo sociandam. Unde ait: *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.*<sup>3</sup> Ideo ipse p[ro]ae caeteris prophetiarum auctoribus plus cantavit, quia laetior cunctis per haec gaudia suos posteros coniugabat, et ad propria vota solito dulcius invitans, docuit nos quid in ipsis nuptiis facere deberemus, cum ille ante nuptias tanta exultatione saltaverit ante arcam. Ergo \* saltavit propheta David ante arcam. Arcam autem quid nisi S. Mariam dixerimus? Siquidem arca intrinsecus portabat testamenti tabulas, Maria autem ipsius testamenti gestabat haeredem. Illa intra semet legem, haec Evangelium retinebat. Illa Dei vocem \* habebat; haec Verbum verum; tamen arca intus forisque auri nitore radiabat; sed et S. Maria intus forisque virginitatis splendore fulgebat. Illa terreno ornabatur auro, ista coelesti<sup>4</sup>.

\*739

\*740

<sup>PL 57, 863</sup>

\*864

848

Sermo X. [...] Cum enim materni uteri viscera aetatis senectute frigescerent, et fessa iam corporis membra fecunditatis gratiam perdissent, contra impossibilitatem corporis, contra sterilitatem viscerum, Zachariae precibus Elisabeth uterus intumescit, et concepit Ioannem non natura, sed gratia. Unde necesse erat sanctum nasci filium, qui non tam complexibus quam orationibus gigneretur. Minus autem mirari debemus quod tantam Ioannes gratiam in nascendo meruerit; debuit enim p[rae]cursor et p[re]evius Christi aliquid simile habere nativitati Domini Salvatoris. Siquidem Dominus de virgine gignitur, \* Ioannes de sterili procreatur; ille de adolescentula immaculata depromitur, hic de vetula iam fessa generatur. Habet ergo et huius nativitas aliquid gloriae atque miraculi. Quamvis enim vilior partus mulieris videatur esse quam virginis, tamen, sicut Mariam suspicimus, quod virgo pepererit, ita Elisabeth miramur, quod anicula procreavit. Quod quidem factum mysterium aliquando arbitror continere, ut Ioannes, qui Veteris Testamenti figuram gerebat, senis mulierculae frigido iam sanguine nasceretur; Dominus autem, qui regni colestis Evangelium praedicaret, fer-

<sup>1</sup> Io. III, 29.

<sup>2</sup> II Reg. VI, 14.

<sup>3</sup> Ps. XVIII, 6.

<sup>4</sup> CCL XXIII, 171, 172.

ventis iuvenculae flore nasceretur. Maria enim conscientia virginitatis miratur fetus visceribus involutum; Elisabeth autem conscientia senectutis erubescit partu uterum praegravaturum; dicit enim Evangelista: *occultabat se mensibus quinque.*<sup>1</sup> Illud autem quam mirandum, quod idem Gabriel archangelus utriusque nativitatis officium repreäsentat? Zachariam solatur incredulum, confidentem Mariam cohortatur. Ille quia dubitavit, vocem perdidit; haec quia statim credidit, Verbum salutare concepit.<sup>2</sup>

849 Homilia V. [...] Nascitur ergo salus omnium Christus, quem regem gentium prophetae testantur: nascitur ex virginine, sicut Isaías<sup>3</sup> declarat dicens: *Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus.* Probat ergo veritatem Domini ordo nascendi. Concepit virgo virilis ignara consortii: impletur uterus nullo libatus amplexu, et Spiritum sanctum castus venter exceperit, quem pura membra servarunt, innocens corpus gessit. Videte miraculum matris dominicae. Virgo est, cum concipit, virgo cum parturit, virgo post partum. Gloriosa virginitas, et praeclara fecunditas! Virtus mundi nascitur, et nullus est gemitus parturientis; vacuatur uterus, infans excipitur, nec virginitas violatur. Dignum enim erat ut Deo nascente meritum cresceret castitatis: nec per eius adventum violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta: nec per eum pudicitia corporis laedetur, per quem donatur virginitas baptismatis impudicis. Natus igitur puer ponitur in praesepio, et haec sunt Dei prima cunabula: nee regnator coeli has indignatur angustias, cui habitaculum fuit virgineus venter. Idoneum plane Maria Christo habitaculum, non pro habitu corporis, sed pro gratia originali. Ergo exonerata felicitate Maria matrem se laeta cognoscit; quae se nescit uxorem; et est gloriosa de sobole, \* quae est ignara de coniuge; atque infantem se genuisse miratur, cum Spiritum sanctum se suscepisse testatur; nec, quia peperit innupta, terretur, quia testimonio utitur virginitatis et sobolis. Soboles enim dominicum Patrem indicat; virginitas stupentium suspicionem excusat. Inde virginitati divinitas testimonium perhibet; hinc naturae secretum. Testimonium, inquam, perhibet divinitas partui virginali. Ut concipiatur enim Christus secundum praenuntiationem Evangelii Spiritus sancti repletur gratia; virtute Dei Patris obumbratur, sicut ad Mariam dictum est: *Spiritus*

PL  
57, 235

\*236

<sup>1</sup> Lc. I, 24.

<sup>2</sup> CCL XXIII, 18. A. Mutzenbecher attribuit hunc locum S. Maximo T. Cf. PLS III, 366.

<sup>3</sup> Isa. VII, 14.

*sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, et ideo quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>1</sup> In nativitate ergo Salvatoris completa est illa divina sententia, quae dicit: Duobus aut tribus testibus stabit omne verbum. Ecce enim Verbum Dei nascitur testimonio Trinitatis. Nam utique in utero S. Mariae cum Spiritus sanctus supervenit, cum obumbrat Altissimus, cum Christus generatur, confessio in eo fidei continetur. Dignum enim erat ut Mater salutem populis editura prius in visceribus suis confirmaret mysterium Trinitatis; et sic intelligeremus ante Salvatoris ortum confirmatum esse fidei sacramentum. Maria enim tanquam in sacrario ventris sui portavit cum mysterio sacerdotem; nam quidquid in saeculo profuturum erat, id totum de eius ventre: Deus, sacerdos et hostia; Deus resurrectionis, sacerdos oblationis. Hoc autem totum in Christo agnoscimus. Deus enim est, quod ad Patrem reddit: pontifex, quod se obtulit: victima, quod pro nobis occisus est. Mariae ergo uterum, non uterum dixerim fuisse, sed templum; templum plane est, in quo habitat sanctum quidquid in coelo est: nisi quod supra coelos aestimandum est, ubi quasi in secretiore tabernaculo mysterium a divinitate disponitur, quemadmodum a pluribus ascendatur ad coelum. Supra coelos plane aestimandus est uterus Mariae, quia Filium Dei gloriosiorem remisit ad coelum, quam de coelo descenderat.<sup>2</sup>

<sup>PL 57, 269</sup> Homilia XXI.<sup>3</sup> [...] Dignum est enim ut Salvatorem, quem virginitas immaculata genuit, voluntas incorrupta possideat: et sicut Maria eum illibata gestavit, ita et anima nostra illum impolluta custodiat. Maria enim typum quemdam animarum nostrarum gessit. Nam Christus, sicut virginitatem in matre quaesivit, ita et integritatem in nostro requisivit affectu. Virgo enim a peccatis anima Salvatorem et concipit, et parturit, dum praedicat; custodit, dum mandata prosequitur. Conceptum enim fides retinet, partum confessio emittit, ortum sollicitudo custodit.

<sup>PL 57, 542</sup> Sermo V.<sup>4</sup> [...] Hodierna igitur die secundum carnem natus est Dominus ita secreto, ita silentio, ut ortum eius saeculum penitus ignoraret. Ignoravit enim saeculum, quia et extra conscientiam patris conceptus, et extra naturae ordinem natus. Nam Ioseph conceptum suscepit filium quem non genuit; Maria partum edidit quem sexus consuetudine non creavit. Sic igitur natus est Dominus, ut

<sup>1</sup> Le. I, 35.

<sup>2</sup> CCL XXIII, 253, 254. Homilia haec est dubia secundum A. Mutzenbecher; cf. PLS III, 351; apocrypha, secundum Laurentin 133.

<sup>3</sup> Homilia dubia; cf. PLS III, 352; CCL XXIII, 257. Lau 133.

<sup>4</sup> Sermo dubius; cf. PLS III, 358; CCL XXIII, 387, 388.

ortum eius nemo futurum suspicaretur, nemo crederet, nemo sentiret. Quemadmodum crederent hoc futurum, quod posteaquam factum est, factum esse vix credunt? Nam quod ita latenter et secreto Salvator descensurus esset in Virginem iam ante David propheta testatus est dicens: *Descendet sicut pluvia in vellus.*<sup>1</sup> Quid enim tam silenter et sine strepitu fit quam cum imber in lanae vellus infunditur? Nullius aures sono verberat, nullius corpus humore repercussionis aspergit; sed sine inquietudine omnium, totum imbrem per multiplices effusum partes toto corpore in se trahit, unius meatus scissuram nesciens, solida mollitie plures praebens meatus; et quod clausum videtur per densitatem, est patulum per tenuitatem. Recte ergo Maria velleri comparatur, quae ita concepit Dominum, ut toto eum hauriret corpore, nec eius discissuram corporis pateretur; sed esset mollis ad obsequium, solida ad sanctimoniam. Recte, inquam, Maria velleri comparatur, de cuius fructu salutaria populis vestimenta texuntur. Vellus plane est Maria, siquidem de molli sinu eius Agnus egressus est, qui et ipse matris laniciem, hoc est carnem portans, molli vellere cunctorum \* operit vulnera peccatorum. Omne enim peccati vulnus Christi lana suffunditur, Christi foveatur sanguine, \* et ut sanitatem recipiat, Christi indumento vestitur.

\*543

\*544

PL 17,  
709 (732)

(\*733)

852 Sermo LI<sup>2</sup> [...] 6. Sed debemus diligenter inquirere, cur ita Dominus dixerit, hoc est: *Inter natos mulierum,*<sup>3</sup> et non potius dixerit, inter filios virorum non est maior Ioanne, cum utique mulieres natos sine viris habere non possint. Hoc autem dixit, quia numerosior est proles mulierum quam virorum; est enim mulieris filius, qui viri filius non est. Denique sancta \* Maria genuit filium, qui patrem hominem non haberet; Dominus enim est mulieris filius, et viri filius non est, sicut dicit Apostolus: *Factum de muliere, factum sub lege;*<sup>4</sup> ut qui matrem in terris habet, Patrem haberet in coelis. Ergo in laudem Ioannis fecundioris sexus generatio ponitur, ut nullius ab eo nativitas separetur.

7. Dicit forte aliquis: Si inter natos mulierum maior est Ioannes, numquid etiam maior est Salvatore? Absit; Ioannes enim natus mulieris, Christus autem virginis natus est: ille corruptibilis uteri sinibus effusus est, iste impollutae vulvae flore progenitus. Ideo autem cum Ioannis nativitate Domini generatio deputatur, ne Dominus extra veritatem videretur esse condicionis humanae.<sup>5</sup>

<sup>1</sup> Ps. LXXI, 6.<sup>2</sup> Sermo genuinus secundum A. Mutzenbecher; cf. PLS III, 369.<sup>3</sup> Matth. XI, 11.<sup>4</sup> Gal. IV, 4.<sup>5</sup> CCL XXIII, 22.

<sup>PL 17,  
626 (647)</sup> Sermo XI, 5. Tunc et vota nostra celebrata sunt, quando Christo 853

Ecclesia copulata est, sicut ait Ioannes: *Qui habet sponsam, sponsus est.*<sup>1</sup> Propter has ergo nuptias saltare nos convenit; siquidem et David rex pariter et propheta cum multa cecinerit, ante arcum Testamenti saltasse dicatur;<sup>2</sup> elevatus enim gaudio in saltationem prorupit. Praevidebit enim in Spiritu per Mariam de germine suo Ecclesiam Christi thalamo sociandam, de quo ait: *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.*<sup>3</sup>

### SULPICIUS SEVERUS (ca 360 † 420/423)

#### EPISTOLAE<sup>4</sup>

<sup>PL 20, 228</sup> Ep. II, III. Sed ut illustrius virginitatis meritum clareat, et 854

quam digna Deo sit manifestius intelligi possit, illud cogitetur quod Dominus et salvator noster Deus, cum propter humani generis salutem hominem dignaretur assumere, non alium quam virginalem uterum elegerit, ut huiusmodi plurimum sibi placere monstraret, et ut pudicitiae bonum. utrique sexui intimaret. Virginem matrem habuit virgo mansurus. In se viris, et in matre feminis praebuit virginitatis exemplum. Quo demonstratur in utroque sexu beatam integritatem divinitatis habere plenitudinem meruisse, dum tantum in matre fuit quidquid habebat in filio.

<sup>1</sup> Io. III, 29.

<sup>2</sup> II Reg. VI, 14.

<sup>3</sup> Ps. XVIII, 6; CCL XXIII, 274; Sermo hic, secundum Mutzenbecher, est genuinus; cf. PLS III, 369. S. Maximus in hoc sermone iterat quod dixit in sermone CIV (cf. n. 847). Unica variatio est in verbo *Ecclesiam* quod inventur in hoc loco.

<sup>4</sup> Ep. II, Pelagii fortasse est (PLS I, 792 et 1105).

● PL 57, 347, 442, 549.

■ PLS III, 371, 373.

*nobis;*<sup>1</sup> idem coepit esse etiam Filius hominis qui in principio erat apud Patrem Filius Dei, utique Deus Verbum.

781 Omnia ergo quaecumque in hac duplici substantia constitutus, vel locutus est, vel fecit, vel pertulit Christus, nunc omnipotentem Dei naturam, nunc infirmam suscepti hominis demonstrabant. Nativitas carnis hominem monstrat; Deum probat inusitatus Virginis partus.

782 Nam qui prius in imagine, de aqua vinum fecit, cum diceret beatissimae Mariae: *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea;*<sup>2</sup> ipse post horam Passionis suae, veritatem praemissi aenigmatis eatenus consummavit, ut sane incarnationis aqua vinum fieret Deitatis; quod haeretici adulterantes verbum Dei, adhuc velut aquam vino permiscent, cum totus Dominus Iesus, et quod ex Deo Patre est, et quod ex Virgine matre est, Deus sit unigenitus in gloria Dei Patris: quoniam quidem Deus diminutus non est in homine, sed homo proficit in Deum; ut sicut *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis,*<sup>3</sup> ita caro Deus fieret, et habitaret in coelis.

PL  
20, 983PL  
20, 990

### S. NICETAS Remesianensis<sup>4</sup> (ca 375 † post 414)

#### DE SPIRITU SANCTI POTENTIA

783 5. [...] Audeo dicere, templum ipsum Domini, id est corpus quod accepit ex Virgine, certe ipso Spiritu instructum est. Et dixit Gabriel angelus ad Mariam: *Spiritus sanctus veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit te; ideoque quod nasceretur ex te, de Spiritu sancto est.*<sup>5</sup>

PL  
52, 856

#### EXPLANATIO SYMBOLI

784 3. [...] [Christus Iesus...] propter nostram salutem descendit a Patre de coelis, et simile nobis corpus accepit. Natus ex Spiritu sancto, et Virgine Maria sine ulla viri operatione: corpus ex corpore Spiritus sancti virtute, generatum est; manens Deus, homo factus est, ut hominibus et visui et doctrinae saluti esse posset; quia aliter

PL  
52, 868

<sup>1</sup> Io. I, 14.

<sup>2</sup> Io. II, 4.

<sup>3</sup> Io. I, 14.

<sup>4</sup> De Niceta cf. Al 406; PLS III, 188.

<sup>5</sup> Lc. I, 35.

● PL 20, 867, 898, 929, 985, 988, 989, 994.

divinitas ab hominibus sustineri non poterat nisi corporis assumptione visibilis.

4. Natus ergo ex sancta et incontaminata Virgine, ut sanctae nativitatis nobis praestaret initium. Natus est, secundum quod ante dictum fuerat per prophetam: *Ecce virgo in utero concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel: quod est interpretatum, Nobiscum Deus.*<sup>1</sup> Crede ergo, hunc, qui ex Virgine natus est, nobiscum esse Deum; Deum ante saecula de Patre: hominem ex Virgine propter homines.

### S. HIERONYMUS, EUSEBIUS (ca 347 †419/420)

#### DE PERPETUA VIRGINITATE B. MARIAE ADVERSUS HELVIDIUM (383)

PL 23, 183 (\*193) 1. Nuper rogatus a fratribus, ut adversus libellum cuiusdam 785  
Helvidii responderem, facere distuli: non quod difficile fuerit, hominem rusticum, et vix primis quoque imbutum litteris, super veri assertione convincere: sed ne respondendo dignus fieret, qui vinceretur. Huc accedebat quod homo turbulentus, et solus in universo mundo sibi et laicus et sacerdos (qui ut ait ille, loquacitatem

\*184 facundiam existimat [al. existimet], et maledicere omnibus, \*bonae conscientiae signum arbitratur) accepta materia disputandi, amplius inciperet blasphemare, et quasi de sublimi loco in totum orbem ferre sententiam: neque quia veritate non posset, laceraret [al. lacerare] conviciis. Verum quia hae omnes tam iustae silentii mei causae, ob scandalum fratrum, qui ad eius rabiem movebantur, iustiori fine cessarunt, iam ad radices infructuosae arboris Evangelii securis est admovenda,<sup>2</sup> et cum infecunditate \*foliorum tradenda flammis, ut discat aliquando reticere, qui nunquam didicit loqui.

185 (\*194)

2. Igitur sanctus mihi invocandus est Spiritus, ut beatae Mariae virginitatem suo sensu, ore meo defendat. Invocandus est Dominus Iesus, ut sacri ventris hospitium, cuius decem mensibus inhabitator fuit, ab omni concubitus suspicione tueatur. Ipse quoque Deus Pater est imprecandus, ut matrem Filii sui, virginem ostendat fuisse post partum, quae fuit mater antequam nupta. Non campum rhetorici desideramus eloquii, non dialecticorum tendiculas, nec Aristotelis spineta conquerimus: ipsa Scripturarum verba ponenda

<sup>1</sup> Isa. VII, 14; Matth. I, 23.

<sup>2</sup> Matth. III, 10.

gnum: ideo ex genere Abrahae descendens Maria virgo Deum concipit, ut supradictorum hominum soboles immortalis societatis vinculo iungeretur.

## S. OPTATUS Milevitanus (saec. IV)

### SERMO DE EPIPHANIA

- 675 [...] Accepit et Christus aurum: honorificentia erat istorum, non avaritia illius. Mater gavisura erat de auro? Totum gaudium eius erat in Christo. PLS I, 298

## IGNOTUS (saec. IV)

### TRACTATUS IN LUCAE EVANGELIUM

- 676 Cap. I. [...] Elisabeth] occultabat se mensibus quinque donec PLS I, 330 descenderet in pueru anima, et Spiritu sancto confirmaretur. Agro virginus campus eius exemplo concipiendi roboraretur flore salutis. Occultabat se et erubescebat, usquequo puer velut milex devotus saltaret ante caelestem imperatorem, et matrem suam matris Domini faceret laudatricem. Usque tunc abscondebat se. Postquam autem salutis progenies coepit virginis pubescere utero, et ad visitandum saeculum propinquare, gloriabantur dicens *quid mihi sic fecit Dominus?*<sup>1</sup> Non Zacharias, sed Dominus, quia a nullo humano adiutorio, sed divino beneficio gaudeo. [...]

- 677 [...] Qui habitat in adiutorium altissimi;<sup>2</sup> non ut adiubet patrem, sed ut adiubet mundum. Et, Iesu fili Dei Altissimi. Erubescat Paulus, Fotinus, et Ebion, quia quem Maria concepit et peperit, non Mariae est, et homo hominis filius; sed filius Altissimi vocabitur. Ecce vocabitur Altissimi filius. PLS I, 331

- 678 [...] Dixit autem Maria ad angelum: quomodo fiet istud, quod vi- rum non novi?<sup>3</sup> Super naturam et substantiam extendis sermonem. Dictum tuum non solum me, sed totum mundum stupescere facit... PLS I, 332

... mater; vivorum Deus pater. Non debet esse ante filium pater qui vitam filio dedit, et nihil accepit a filio? Sicut de illo filius gloriat: *sicut pater habet vitam in se, sic et ego vivo propter patrem,*<sup>4</sup> non pater propter me; et vos vivitis propter me. Et ne diceret sancta

<sup>1</sup> Le. I, 25.

<sup>2</sup> Ps. XC, 1.

<sup>3</sup> Le. I, 34.

<sup>4</sup> Io. V, 26 et VI, 58.

## S. PAULINUS Nolanus (353 † 431)

## EPISTOLA L (ca 410)

PL  
61, 415 17. De illis etiam beatissimi Symeonis verbis quid sentias, edis-  
sere mihi, ut sequear sensum tuum: quibus, cum ad videndum ex  
oraculo Dei Christum, agente Spiritu, venisset in templum, et acce-  
ptum sinu benedixisset infantem Dominum, ait ad Mariam: *Ecce hic  
positus est in ruinam et resurrectionem multorum in Israel, et in si-  
gnum cui contradicetur: et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut  
revelentur multorum cordium cogitationes.*<sup>1</sup> Numquid de passione Ma-  
riae, quae nusquam scripta est, hoc prophetasse credendus est? An  
vero de materno eius affectu, quo postea in tempore passionis assi-  
stens cruci, qua hoc erat fixum quod ipsa pepererat, maternorum  
viscerum dolore confixa est: et animam illius illa, quae eius secun-  
dum carnem filium, ipsa spectante, confoderat, crucis rhomphaea  
penetrabat. Video enim et in Psalmis de Ioseph ita dictum esse.<sup>2</sup> Humiliaverunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit ani-  
mam eius sicut in Evangelio dixit Symeon: *Et tuam ipsius animam  
pertransibit gladius.*<sup>3</sup> Non ait, carnem, sed *animam*, in qua pietatis  
affection continetur, et doloris acaleus quasi gladius operatur: cum  
aut aliqua carnis sua iniuria afficitur, ut Ioseph, qui non mortis,  
sed iniuriarum pertulit passiones, in servum venditus, et in reum  
vinculatus, et carceri datus:<sup>4</sup> aut cum affectionis internae tristitia  
vel dolore cruciatur, ut in Maria;<sup>5</sup> quam utique ad crucem Domini,  
in quo tunc sui tantum corporis filium cogitabat, materna mens  
duxerat; ut cum eum vidisset mortuum, humana infirmitate lugeret,  
sepeliendumque colligeret, nihil sibi de ipsius resurrectione praesu-  
mens, quia subsecuturae admirationis fidem in oculis posita passionis  
poena caecabat. Quamvis eamdem astantem cruci suaे Dominus  
non morientis infirmitate trepidans consolatus sit, sed ipsam, qua  
obibat volens, in potestate habens mortem, plena virtute viventis,  
et constantia resurrecturi de cruce admonet, dicens de beato apo-  
stolo Iohanne: *Mulier, ecce filius tuus;* itemque illi ibidem consistenti:  
*Ecce mater tua.*<sup>6</sup> Iam scilicet ab humana fragilitate, qua erat natus

<sup>1</sup> Lc. II, 34-35.<sup>2</sup> Ps. CIV, 18.<sup>3</sup> Lc. II, 35.<sup>4</sup> Gen. XXXVII, 28.<sup>5</sup> Io. XIX, 25.<sup>6</sup> Io. XIX, 26, 27.

ex femina, per \* crucis mortem demigrans in aeternitatem Dei, ut <sup>\* 416</sup> esset in gloria Dei Patris, delegat homini iura pietatis humanae; et discipulis suis adolescentiorem eligit, ut convenienter assignet virginis apostolo virginem matrem: duo pariter in eadem, sententia docens, formam pietatis relinquens nobis, cum est de matre sollicitus, ut quam relinquebat corpore, non relinqueret cura: sed nec corpore relicturus, quia quem videbat morientem, mox erat visura redivivum. Et illud, quod ad fidem omnium pertineret, salutiferum pietatis sua sacramentum, arcana divini ratione consilii sub hac voce consignans, ut alii matrem delegaret pro matre habendam, et vice sua consolandam; atque illi vicissim novum filium vice corporis sui traderet, immo, ut ita dixerim, gigneret: quo ostenderet eam praeter se, qui ex ea virgine natus esset, nec habuisse filium, nec habere: quia nec Salvator tantopere curam desolationis habuisset eius, si illi unicus non fuisset.

18. Sed redeamus ad verba Symeonis, in quorum clausula intellectum meum caligare fateor. *Et tuam, inquit, animam pertransibit framea, vel gladius, ut revelentur multorum cordium cogitationes.*<sup>1</sup> Secundum litteram hoc mihi penitus obscurum est, quia nec Mariam beatissimam usquam legimus occisam, ut de corporali gladio sanctus ille ei futuram passionem prophetasse videatur. Sed et quod subiecit: *Ut revelentur multorum cordium cogitationes.*<sup>2</sup> Scrutans enim, inquit, corda et renes Deus. Et de futuro iudicio Apostolus ait: Quia tunc manifestabit Deus opera cordium, et occulta tenebrarum. Itidem Apostolus,<sup>3</sup> spiritualiter exprimens arma coelestia, quibus in interiori nostro debeamus armari, gladium spiritus dicit verbum Dei, de quo ad Hebraeos ait: Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipi: pertingens, inquit, usque ad divisionem animae et spiritus, et reliqua quae nosti. Quid ergo mirum, si istius verbi ignita vis, et ancipitis gladii penetrabilior acies,<sup>4</sup> et sancti Ioseph olim, et postea beatae Mariae animam pertransivit? Nam neque in illius, neque in huius corpore ferrum transisse cognovimus. Atque ut magis pateat ibi prophetam ferrum pro verbi gladio posuisse, statim subsequente versiculo ait: Sermo Domini ignivit illum.<sup>5</sup> Sermo enim Dei et ignis, et gladius est, Verbo ipso Deo utrumque dicente de se: *Ignem enim, inquit, veni mittere in terram, et quid volo nisi ut*

<sup>1</sup> Le. II, 35.

<sup>2</sup> Ps. VII, 10.

<sup>3</sup> I Cor. IV, 5.

<sup>4</sup> Eph. VI, 17; Hebr. IV, 12.

<sup>5</sup> Ps. CIV, 18.

*iam accendatur?*<sup>1</sup> Item alibi dicit: *Non veni pacem mittere, sed gladium.*<sup>2</sup> Vides eum unam vim doctrinae suae diverso ignis et gladii nomine designasse. Aut quomodo Mariae illata per gladium passio vel tribulatio perstaret? Itaque hoc scire cupio quid ad Mariam pertineret, *ut revelarentur multorum cordium cogitationes:*<sup>3</sup> aut ubi apparuit, quia ex eo quod *animam eius* sive carnis in ferro, sive spiritualis *gladius* in verbo Dei *pertransivit*, exinde multorum cordium cogitationes revelatae sint.

## POËMATA

PL 61, 444 Poëma VI. [...] Inde aliud, sanctus Gabriel, qui nuntius idem 1056

Zachariae fuerat, multo maiora volutans,  
Ad Mariam molitur iter, quae sponsa marito,  
Sed mage lecta Deo, mundi paritura salutem,  
Virgo illibatum servabat casta pudorem:  
Cui postquam insignis coelesti forma decore  
Constitit ante oculos, vultus demissa pudicos,  
Tinxit suffuso rutilantes sanguine malas.

Ille ait: O toto quem solis circulus ambit,  
Quaeque fuere prius, quae sunt, quae deinde sequentur  
Virginibus cunctis felicior orbe puella,  
Magno lecta Deo, mater dicaris ut eius,  
Cuius et ille pater! Felix age concipe pondus,  
Impolluta viro, coituque immunis ab omni,  
Verbo feta Dei: corpus tua viscera praestent  
Illi, qui coelum, terras, mare, sidera fecit:  
Qui semper fuit, et nunc est et tempore in omni  
Semper erit: mundi Dominus, lucisque creator,  
Et lux ipse poli per te mortalia membra  
Induet; atque oculos hominum, coetusque subibit.  
Imperturbatos tantarum in praemia laudum  
Tolle animos, dabit ille tibi viresque, fidemque,  
Qui voluit (nam cuncta regit, nutuque gubernat)  
Filius esse tuus, Domini cum Filius esset.

Dixerat, et visus pariter terrasque reliquit,  
Assuetumque sibi facilis petit aethera nisu.  
Implentur praecepta Dei, creditque puella

<sup>1</sup> Lc. XII, 49.

<sup>2</sup> Matth. X, 34.

<sup>3</sup> Lc. II, 35.

Protinus, atque auget meritum vitamque priorem

\* Prompta fides: tacitis elementa latentia causis

\* 445

Divinum informant corpus, sacrandaque crescit

Sarcina: coelestem Dominum pia confovet alvus,

Interea gravidam soboles, quamquam edita needum,

Istigat Mariam sanctam, ut progressa revisat

Elisabeth, longo quae iam venerabilis aevo,

Dilectum Domino puerum paritura gerebat.

Auscultat nato genitrix, vis tanta fidei,

Et quo iussa venit: movit materna Iohannes

Viscera, et implevit divino pectora sensu.

Iam vates, needum genitus, conclusus in alvo,

Iamque propheta prius gesta et ventura videbat.

Illa ubi concepto fulgentem lumine longe

Conspexit Mariam, celeri procul incita gressu

Obvia progreditur, venerataque brachia tendens,

Salve, o mater, ait, Domini, salve pia virgo,

Immunis thalami, coitusque ignara virilis,

Sed paritura Deum: tanti fuit esse pudicam,

Intactae ut ferres titulos, et praemia nuptae.

Cur mihi non meritae, nec tanto munere dignae

Officii defertur honos? Cur gloria coeli,

In nostros delata Lares et vilia tecta,

Obscuris tantum lumen penetralibus infert?

Sed mitis placidusque suis cultoribus adsit,

Praestet et hunc genitus, quem praestitit ante favorem.

Dixit, et amplexus ulnis circumdata iunxit,

Iamque Deum venerata, pio dedit oscula ventri.

1057

Poëma XXVI. [...] Tali lege suis nubentibus adstat Iesus

PL  
61, 636

Pronubus, et vini nectare mutat aquam.

His Mariam sponsis Domini decet adfore matrem,

Quae genuit, salva virginitate, Deum.

Namque Deus placitum sacrata in virgine templum

Ipse sibi arcano condidit impluvio,

Descendit tacito allapsu, velut imber ab alta

Nube super vellus rore silente cadit.

Nam nemo arcani fuit huius conscius umquam,

Quo Deus assumpsit virgine matre hominem.

O nova ad humanam Domini commenta salutem!

Fit sine concubitu femina feta uterum.

Sponsa viro tantum, non est subiecta marito,

Et genitrix partu, nec mulier coitu.  
 Foedere erat coniux, sed corpore non erat uxor:  
 Intemerata viro, mater erat puer.

### S. COELESTINUS I PP. († 432)

#### FRAGMENTUM<sup>1</sup>

PL  
50, 457

1058

1. Recordor beatae memoriae Ambrosium in die Natalis Domini nostri Iesu Christi omnem populum fecisse una voce Deo canere: *Veni, Redemptor gentium, ostende partum Virginis: miretur omne saeculum, talis decet partus Deum.* Numquid dixit: *Talis partus decet hominem?* Ergo sensus fratris nostri Cyrilli, in hoc quod dicit Θεοτόκον Mariam, valde concordat, *Talis decet partus Deum.* Deum partu suo Virgo effudit, ipso potente qui omnipotentia plenus est.

2. Hilarius quoque vir acris ingenii, scribens ad Constantium imperatorem, de Incarnatione Domini sic ait: *Filius, inquit, Dei factus homo Deus est.* Et praeposterans repetit: *Deus, filius hominis factus est (homo enim factus est Deus, non Deus factus est homo), et filius hominis factus est Filius Dei.* Superavit enim magnitudo Domini parvitudinem servilis formae, ita ut ipsa servilis forma quam assumpsit cessaret esse servilis per eum Dominum qui eam assumpsit. Si enim qui \* natura non filii Dei, per ipsum efficiuntur filii Dei; quanto magis ipse qui natura Filius Dei est, hunc cum quo voluntate sua alvo virginali conceptus et natus est, ita sublimavit in Deum, ut in eius nomine omne genu flectatur, coelestium et terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloria est Dei Patris.<sup>2</sup>

\* 458

3. Item praecessor meus Damasus scribens ad Paulinum Antiochenae Ecclesiae episcopum, inter caetera ait: *Anathematizamus eos qui duos filios Dei asserunt, alterum qui ex Patre ante saecula est genitus, et alterum qui ex assumptione carnis natus est ex Virgine.* Item ipse apostolicae memoriae vir Damasus in altera epistola ad Paulinum: *Anathematizamus eos qui duos in Salvatore filios confitentur, alium ante incarnationem, et alium post assumptionem carnis ex Virgine, et non eundem Dei Filium et ante et postea ipsum esse Christum Dominum Dei Filium qui natus est ex Virgine, confitentur.*

- PL 61, 409, 649, 654, 677. PLS III, 1134, 1139, 1140, 1243.
- PL 61, 739.
- VICTORINUS poëta († saec. v?). PLS III, 1135.
- Ps.-VICTORINUS, PLS III, 1189, 1140.

<sup>1</sup> Fragmentum sermonis quem Coelestinus in Concilio Romano habuit adversus haeresim Nestorii [Epistola X], insertum ab Arnobio I. in op. *Conflictus*. Vide n. 1311.

<sup>2</sup> Philipp. II, 10.

## ANASTASIUS II PP. († 498)

## EPISTOLA AD URSICINUM

<sup>PLS</sup>  
<sup>III, 793</sup> 2. Confitemur ergo, Dominum nostrum Iesum Christum Filium 1382

Dei unigenitum ante omnia quidem saecula sine principio ex Patre natum secundum deitatem, novissimis autem diebus de sancta virgine Maria eumdem incarnatum et perfectum hominem ex anima rationali et corporis susceptione, homousion Patri secundum deitatem, et homousion nobis secundum humanitatem. Duarum enim naturarum perfectarum unitas facta est ineffabiliter, propter quod unum Christum, eumdem Filium Dei et hominis unigenitum \* a Patre, et primogenitum ex mortuis confitemur; scientes, quod quidem coaeternus sit suo Patri secundum divinitatem, secundum quam opifex est omnium, et dignatus est post consensionem sanctae Virginis, quem dixit ad angelum: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*,<sup>1</sup> ineffabiliter sibi ex ipsa aedificare templum, et statim sibi univit, quod non coaeternum de sua substantia e coelo detulit corpus, sed ex massa nostrae substantiae, hoc est ex virgine.

## PELAGIUS Britannus (saec. IV-V)

## IN EPISTOLAM AD GALAT[H]AS

<sup>PLS</sup>  
<sup>I, 1273</sup> [...] 19. *Alium autem apostolorum vidi neminem. Ne [vel] ab aliis didicisse videretur. Nisi Iacobum fratrem Domini. Contra eos qui dicunt beatam Mariam alios filios habuisse, quia duos Iacobos apostolos fuisse legimus, unum Alphaei et alterum Zebedaei, neminem Mariæ vel Ioseph, sed fratres Domini de propinquitate dicuntur.* 1383

TRACTATUS DE DIVITIIS <sup>2</sup>

<sup>PLS</sup>  
<sup>I, 1400</sup> XI. [...]. 8. Illo etiam utuntur <sup>3</sup> exemplo, quod in beati Iohannis evangelio de matre Domini continetur: *Et suscepit illam discipulus ille in sua.*<sup>4</sup> In qua bona, inquiunt. Primum quaero, quae bona piscator in aliena provincia habere potuerit, qui nec in sua satis idoneus fuisse credendus est, etiamsi nihilum contempsisset. De sancto enim

<sup>1</sup> Lc. I, 38.

<sup>2</sup> Tribuitur etiam Sixto III PP. (cf. PLS I, 1104).

<sup>3</sup> Divitiarum patroni.

<sup>4</sup> Io. XIX, 27.

Iohanne Zebedaei filio dictum est, quem patrem cum navicula et retibus ad sequendum Dominum intra Galilaeae terminos reliquisse scriptura testatur. Vel quomodo, etiamsi ante habuerat, quae iam contempserat, possidebat? Et qualiter intellegendum est: *Suscepit illam discipulus ille in sua?* In sua ut matrem scilicet, non in sua bona. Hoc enim illi a Domino fuerat imperatum, ut eam, donec resurgeret, materno veneraretur affectu, ut eius vita filii solatio foveretur. Denique sic scriptum est: *Et dixit Iesus matri sua: Ecce filius tuus!*<sup>1</sup> Non dixit: Ecce hospes tuus! Et discipulo dicitur: *Ecce mater tua!* *Et suscepit illam discipulus in sua;*<sup>2</sup> ut matrem utique, non in possessione, quia non de habitationis necessitate, sed de pietatis solatio agebatur.

## EPISTOLA DE CASTITATE (I)

1385 XVII. [...] *Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei? Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, hic meus frater et mater et soror est.*<sup>3</sup> Non quod sanctam matrem despiceret, sed ut nos, quales parentes magis computare deberemus, suo doceret exemplo, et ostenderet, praeferre nos eum malis saltim debere parentibus, quibus ille nec bonos quidem praetulit.

PLS  
I, 1502

## DE TRINITATE

1386 Fragmentum IV.<sup>4</sup> [...] Creatorem quoque sanctum legimus, ut ad beatam Mariam angelus, cum ab eo qualitatem suae pollicitationis exigeret, id est quoniam modo posset cum esset virgo generare: *sanctus*, inquit, *Spiritus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit te,*<sup>5</sup> ostendere volens in creatione assumpti hominis efficientiam etiam Sancti spiritus adfuturam.

PLS  
I, 1551IN EPISTOLAM AD GALATAS<sup>6</sup>

1387 Cap. IV. [...] *Factum ex muliere.* Dicens factum ex muliere: sexum significat, non corruptionem. Caeterum ut manifeste ostenderet natum ex virginе, ait, ex muliere: non per mulierem. In eo autem

PL  
30, 815<sup>1</sup> Io. XIX, 26.<sup>2</sup> Io. XIX, 27.<sup>3</sup> Matth. XII, 48.<sup>4</sup> Tribuitur etiam Fulgentio Rusensi fragmentum hoc (cf. PLS I, 1108).<sup>5</sup> Lc. I, 35.<sup>6</sup> Exstat in Op. S. Hieronymi sed tribuitur Pelagio (cf. PLS I, 1101 [1] et PLS I, 1280).

quod dicit, ex muliere, monstrat non more solito ex conventu viri et feminae, sed per Spiritum sanctum, ex matre tantum Christum incarnationem hominis suscepisse. Nam idem Apostolus ad Corinthios scribens ait: Sicut mulier ex viro, ita et vir per mulierem. Unde sicut in principio generationis, mulier ex viro sumpta est: ita et Christus secundum carnem, ex matre tantum est. Omnis autem residua humana generatio non est ex muliere: secundum Apostoli dictum, sed per mulierem: ut clareat generatio hominum ex viro per mulierem creari.

### EUTROPIUS Presbyter (saec. IV-V)

#### EPISTOLA AD AMICUM AEGROTUM<sup>1</sup>

PL 39, 82

1388

VI. [...] *Et ponam inimicitias inter te et mulierem, et inter semen tuum et semen mulieris: Ipsa calcabit caput tuum, et tu eius observabis calcaneum.*<sup>2</sup> Nonne consideras: nonne conspicis, quod eidem tunc minabatur in Christo? Aliud enim semen mulieris nullum prorsus accipio, nisi illud quod Apostolus ait: *Factum ex muliere, factum ex carne.*<sup>3</sup> Illud quod, ut Evangelista ait, *Ioseph filius putabatur esse,*<sup>4</sup> sed non erat: illud utique, *quod Verbum caro factum est.*<sup>5</sup> Nam si generandi publicam istam et naturalem circumspicimus rationem, semina non habent mulieres: denique nulla concipit sine viro: ac per hoc quoniam iam tunc in Adam semen humanae generationis esset transgressione vitiatum, semen coeleste promittitur, ut Apostolus sentit, non ex corruptione viri, sed ex Deo: *quod \* cum caro fieret in muliere, etiam elementa illa corporeae substantiae, id est, humoris et sanguinis, in ipso sibi vaseculo, in quo ipsa elementa sita sunt, naturaliter aptaret.* Mater itaque Domini nostri Iesu Christi, in illa iam tunc muliere promissa est. Haec inimicitias opposita est serpentis: *Ponam, inquit, inimicitias inter te et mulierem:* non certe pono dicit, ne ad Evam hoc pertinere videretur. Verbum promissionis est, quod transmittitur in futura. Ponam, inquit, inimicitias inter te et mulierem. Illam utique mulierem, quae Salvatorem parturiat, non quae generet fraticidam. Ponam, inquit, inimicitias inter te et mulierem: id est, suscitabo mulierem, quae repudiata facilitate credendi, non

<sup>1</sup> Viri docti disputant de paternitate Epistolae huius. Est qui eam attribuit Eutropio (cf. PLS I, 527, 528; II, 264; III, 368; Clavis, 225).

<sup>2</sup> Gen. III, 15.

<sup>3</sup> Gal. IV, 4.

<sup>4</sup> Lc. III, 23.

<sup>5</sup> Io. I, 14.

• PLS I, 1076, 1100, 1175, 1215, 1231, 1684.

## PELAGIUS PP. I († 560/561)

## EPISTOLA XV

1573 [...] Ex hac autem sancta, et beatissima, atque consubstantiali Trinitate, credo atque confiteor unam personam, id est, Filium Dei pro salute humani generis novissimis temporibus descendisse de coelo, nec patriam sedem, nec mundi gubernacula relinquenter; et sancto Spiritu superveniente in beata Virgine Maria, atque obumbrante ei virtute Altissimi, eumdem Verbum ac Filium Dei in utero eiusdem sanctae Virginis Mariae clementer ingressum, et de carne eius sibi unisse carnem anima rationali et intellectuali animatam: nec ante creatam esse carnem, et postea supervenisse Filium Dei; sed, sicut scriptum est, *sapientia aedificante sibi domum*<sup>1</sup> mox carnem in utero Virginis, mox Verbi Dei carnem factam, exindeque sine ulla permutatione aut conversione Verbi carnisque naturae, Verbum ac Filium Dei factum hominem unum in utraque natura, divina scilicet et humana, Christum Iesum Deum verum, eumdemque verum hominem processisse, id est natum esse, servata integritate maternae virginitatis: quia sic eum virgo permanens genuit, quemadmodum virgo concepit. Propter quod eamdem beatam virginem Mariam Dei Genitricem verissime confitemur: peperit enim incarnatum Dei Verbum. Est ergo unus atque idem Jesus Christus verus Filius Dei, et idem ipse verus filius hominis perfectus in deitate, et idem ipse perfectus in humanitate; utpote totus in suis, et idem ipse totus in nostris; sic per secundam nativitatem sumens ex homine matre quod non erat, ut non desisteret esse quod per primam, qua ex Patre natus est, erat.

## IUSTINIANUS Imperator (482 † 565)

## LIBER ADVERSUS ORIGENEM (543)

1574 [...] Εἰ γάρ καὶ τὴν ἀρχὴν ἡ ἀνθρωπίνη φύσις διὰ τὴν παρακοήν ἐστερήθη τοῦ παραδείσου, ἀλλ’ ὅμως ὡς εὑρηται, ὁ μονογενῆς υἱὸς τοῦ Θεοῦ διὰ τὴν πολλὴν ἀγάπην αὐτοῦ, ἦν ἡγάπησεν ἡμᾶς, τὴν ἡμετέραν φύσιν ἐνώσας ἐσυνθῆ

---

1574 [...] Quamvis enim a principio humana natura propter inobedientiam privata paradiso est: tamen, ut est dictum, *Unigenitus Dei Filius propter multam caritatem suam qua dilexit nos;*<sup>2</sup> naturam

<sup>1</sup> Prov. IX, 1.

<sup>2</sup> Ephes. II, 4.

PL  
69, 409

PG  
86, 957

PG  
86, 958

Beatus auctor saeculi  
 Servile corpus induit,  
 Ut, carne carnem liberans,  
 Ne perderet, quos condidit.

Clausae parentis viscera  
 Coelestis intrat gratia,  
 Venter puellae baiulat  
 Secreta, quae non noverat.

\* Domus pudici pectoris  
 Templum repente fit Dei,  
 Intacta nesciens virum  
 Virgo creavit filium.

Enixa est puerpera,  
 Quem Gabriel praedixerat,  
 Quem matris alvo gestiens  
 Clausus Ioannes senserat.

Feno iacere pertulit,  
 Praeseppe non abhorruit,  
 Parvoque lacte pastus est,  
 Per quem nec ales esurit.

### S. PETRUS Chrysologus (ca 406 † ca 450)

#### SERMONES

<sup>PL 52, 335</sup> Sermo XLVIII. [...] *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria?*<sup>1</sup> Iterum, iudaee, matris nomen clamas, occultas Patris; patrem dicis, nomen non dicis: fabrum dicis, opus non dicis. Iudaee, decipiunt te ista, non decipiunt credituros. *Nonne mater eius dicitur Maria, et fratres eius Iacobus et Ioseph, et Simon, et Iudas, et sorores eius nonne omnes apud nos sunt?* Si mater, si fratres, si sorores apud vos sunt, pater ubi est? Vobiscum non est, quia Deus odit fictos, invidos deserit, declinat ingratos, sibi non sinit crudeles et impios commorari. *Et fratres eius et sorores eius, nonne omnes apud nos sunt?* Callide fratres ingeris, ostentas sorores, ut numeroso partu sanctae matris virginitas lateat, obscuretur integritas, et sentiatur de filio totum quod humanum est, nihil divinum. Iudaee, quos dicis fratres et sorores Christi, Cleophae sororis Mariae filii sunt, non Mariae; et fratribus et sororum filios fratres nuncupat et divina lex et humana cognatio. Ergo Christi fratres fecit non matris virginitas \* quae per-

<sup>1</sup> Matth. XIII, 55.

mansit virgo post partum, sed materterae eius fecit propinquitatis assertio. Beata Maria, si alias filios habuisset a Christo mater in ipso crucis tempore, in articulo ipso mortis, non discipulo traderetur, non commendaretur extraneo.

- 1242** Sermo XLIX. [...] Quod tunc malitia iudaicae videmus evenisse, quae in contumeliam Dominicae generationis, cum per artem Ioseph prosapiae Christi exaggerat veritatem, veri genitoris confitetur et loquitur qualitem, dicendo: *Iste est fabri filius*: Bene personam \* tacuit, ut proderet ex arte genitorem, dicendo, non Ioseph, sed fabri filius. Et quis talis faber, qualis est iste, qui ex nihilo tantum talem fabricatus est mundum? Et quis faber talis, qui totius bonae artis solus auctor, solus largitor existit? Dic ergo, iudeae, fabri filium, ut Dei filium fatearis invitus; die Mariae, ut verum hominem, sed Virginis filium confitearis impulsus; dic fratres, ut tantam dignationem tui praedices et proferas creatoris. Et licet ipse genitricis sanctae per hoc virtutes moliaris abscondere; tamen evangelistae veritas non Ioseph et Mariae, sed Cleophae sororis eius filios, quos tu fratres appellas, probat et asserit exstisisse; usus enim temporis etiam praesentis germanorum et germanarum filios fratres noscitur nuncupasse. Numquam enim contra pietatis ordinem matrem Dominus extero, hoc est Iohanni, commendasset ex cruce si alias ipsa praeter illum filios suscepisset: sed virginis virginem tradit, ut inter tales cura sola sacramenti, sola societas religionis haberetur; nec mundanae sollicitudini discipulus tantus iste serviret, sed praedicaturus virginitatis partum, domi haberet unde hoc dubitantibus approbaret.

- 1243** Sermo LVII. [...] *Qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine*. Ubi spiritus generat, virgo parturit, totum divinum geritur, nil humanum; nec ullus infirmitati locus est, ubi virtus est sociata virtuti. Soporatus est Adam, ut de viro virgo sumeretur;<sup>1</sup> nunc stupuit Virgo, ut vir repararetur ex Virgine.<sup>2</sup> Quid sibi de tanto, de tali partu natura poterit vindicare, ubi dum videt novari ordinem suum, tota sua conspicit iura mutari, venisse in suam sobolem suum sentit et miratur auctorem?

- 1244** Sermo LVIII. [...] *Qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine*. Virginitas Deum credidit, quia non nisi per Deum ipsa virgo esse potuit et mater.

- 1245** Sermo LIX. [...] *Qui natus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine*. Quid terrenum nascitur, ubi auctore Spiritu virgo vocatur in partu? Quis non divinum credat, quando quae peperit nil sensit humanum?

<sup>1</sup> Gen. II, 21.

<sup>2</sup> Le. I, 29.

Deum mulier virgineo portabat in templo: hinc est, quod et acquisivit honorem matris, virginitatis gloriam non amisit.

<sup>PL</sup>  
52, 367 Sermo LX. [...] *Et in Christum Iesum Filium eius. Cuius?* Utique 1246

Dei Patris; cum dicis ergo in Iesum Filium eius, confiteris Iesum qui natus est de Maria Dei esse Filium. Cave ergo ne amplius sentias in Christo quod homo fuit, sed semper quod Deus sit confitere, Apostolo sic dicente: *Et si novimus Christum secundum carnem, sed iam non novimus.<sup>1</sup> Unicum Dominum nostrum.* Hoc convenit ad utrumque, quia et unicus Patris est, et unicus Dominus noster est: alii filii, alii domini esse per gratiam perceperunt; solus Christus esse filius, esse Dominus habet et possidet per naturam *qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine.<sup>2</sup>* Si iuxta evangelistam quod in ea natum est de Spiritu sancto est, quia Deus spiritus est, haereticus iam Deum natum virginea confiteatur ex carne; neque amplius coeleste mysterium, virginitatis partum, trahat ad conceptum mundi, ad terrenae fragilitatis iniuriam.

<sup>PL</sup>  
52, 370 Sermo LXI. [...] *Qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine.* 1247

Spiritus et virgo copula terrena non est, coeleste sed est secretum: hinc est, quod nascitur est divinum. Ergo quod natus est confitendum est, quomodo natus est tacendum est; quia quod secretum est sciri non potest, quod clausum est nescit aperiri, quod singulare est non refertur exemplo.

<sup>PL</sup>  
52, 373 Sermo LXII. [...] *Quia natus est de Spiritu sancto ex Maria vir-* 1248

<sup>\*374</sup> *gine. Age, homo, si tamen homo, progredere corde tuo, consurge mente tua, dilatare sensibus tuis, arrige ingenii tui acumina, excita \* scientiae tuae vires; quidquid in te rationis est, exsuscta, examina, discede, perscrutare, et nunc stupenti modo solus aperi quid est quod Spiritus generat, Virgo concipit, Virgo parit, permanet virgo post partum.*

<sup>PL</sup>  
52, 412 Sermo LXXV. [...] Venit Maria ad sepulcrum, venit ad resurrec- 1249

tionis uterum, venit ad vitae partum, ut iterum Christus ex sepulcro nasceretur fidei, qui carnis fuerat generatus ex ventre; et eum quem clausa virginitas vitam protulerat ad praesentem, clausum sepulcrum \* ad vitam redderet sempiternam. Divinitatis insigne est clausam virginem reliquisse post partum, de sepulcro clauso exisse cum corpore est divinitatis insigne.

<sup>PL</sup>  
52, 436 Sermo LXXXIV. [...] *Et cum fores essent clausae, ubi erant disci-* 1250

*puli congregati propter metum Iudeorum, venit Iesus, et stetit in medio*

<sup>1</sup> II Cor. V, 16.

<sup>2</sup> Matth. I, 20.

• PL 52, 380, 418.

*eorum.*<sup>1</sup> Rogo, cur dubitatur clausi corporis arcanum, et obseratum tota integritate domicilium virginale absoluta Divinitas potuisse penetrare, quae post resurrectionem corporis nostri crassata mysterio, foribus ingreditur \* et egreditur clausis, talique indicio se totius creaturae demonstrat auctorem, cui non obsistit, cui deservit ad omnia creatura? Sed si conceptum partumque virginitas excusare suo nescit creatori, si ingressum egressumque clausa ianua creatori suo non potest denegare quemadmodum lapis monumenti, quamvis magnus, quamvis iudaica malitia obsignatus, resurgentि poterat obsistere Salvatori? Sed sicut virginitas et ianua claustris suis fidem faciunt deitatis, ita revolutus lapis fidem resurrectionis affirmat, qui nullum revolutus Domino suo praeparavit egressum, sed nocte fidei praestat et admittit ingressum.

\*437

**1251** Sermo LXXXVII. [...] Hinc est quod Dominus tetro infidelitatis nubilo cordibus iam caecatis, ut irradiaret partus virginei sacramentum, desperatae et annosae sterilitatis ante praemisit conceptum: ut qui videbat post senectutem longam arida membra reviviscere, et transacto curriculo iam vitae veteranae in primam reflorescere pubertatem, atque ipsam naturam in occidua aetate ad nascentis servi insignia suscitari, pudicitiae florem, pudoris titulum, castitatis insigne, virginitatis claustra manere post partum crederet posse, auctore ipso ex utero procedente, servari.

PL  
52, 444

[...] Hinc est quod Dominus conditor ipse naturae viam virginei conceptus, virginei partus, invisibili vestigio et ignoto calle pertransit, et iter humani ortus divino gressu ambulat, non humano, ut na-scendo ipsam naturam a servitute mortis, cui taliter addicta fuerat, primitus liberaret, et fonte purgato supernam rivulis redderet puritatem.

**1252** Sermo XCII. [...] Sed iam nunc omnis ignava carnis intelligentia sit remota, tota corporei sensus abiiciatur infirmitas: et quaecumque est ingenii humani omnis excludatur intentio, fidei pateant oculi, cordis resercent aures, mentis currat et incurrat incessus: ut pervenire ad mysterium virginei conceptus, ad sacramentum partus virginei penetrare possimus, adiuvante Domino Iesu Christo, qui ex ea genitus nunc in caelestia regnat.

PL  
52, 460

**1253** Sermo XCIX. [...] Mulier accepit a Deo fermentum fidei, quae acceperat a diabolo perfidiae fermentum; absecundit in mensuris tribus, hoc est, in tribus hominum temporibus, quod \* est ab Adam usque ad Noë, a Noë usque ad Moysen, a Moyse usque ad Christum; ut mulier quae corruperat fermento mortis in Adam totam massam generis

PL  
52, 478

\*479

<sup>1</sup> Io. XX, 19.

humani, fermento resurrectionis totam carnis nostrae massam red-integraret in Christo; ut mulier quae confecerat panem gemitus et sudoris, panem vitae coqueret et salutis; et esset omnium viventium mater vera per Christum, quae erat in Adam mater omnium mortuorum. Ob hoc namque Christus nasci voluit, ut sicut per Emanu-  
venit ad omnes mors, ita per Mariam rediret omnibus vita. Quae Maria huius fermenti implet typum, similitudinem praefert, consignat figuram, dum de supernis suscipit fermentum Verbi, et humana carnem in alvo Virginis, immo in alvo Virginis coelestem totam conspersit massam.

<sup>PL 52, 520</sup> Sermo CXVII. *Factus est, primus homo Adam in animam viventem: novissimus Adam in Spiritum vivificantem.*<sup>1</sup> 1254 Ille primus ab isto novissimo factus est, a quo est animam consecutus, ut viveret; hic est ipso se figuratus auctore, qui vitam non exspectaret ab altero, sed ipse vitam solus omnibus largiretur; ille vilissimo plasmatur ex limo, ex utero pretioso Virginis hic procedit; in illo terra mutatur in carnem in isto caro promovetur in Deum. [...].

<sup>\*521</sup> [...] Ubi sunt qui conceptum Virginis, Virginis partum, mulierum partibus existimant exaequandum, cum illud de terra sit, hoc de coelo; hoc divinae virtutis sit, illud infirmitatis humanae; illud sit in corpore passionis, hoc totum sit in tranquillitate divini Spiritus, humani corporis in quiete? Sanguis \* siluit, caro stupuit, soporata sunt membra, et aula Virginis tota est in coelesti commoratione suspensa, donec auctor carnis, carnis sumeret indumentum, et fieret homo coelestis, qui non solum terram redderet homini, sed homini donaret et coelum. Virgo concipit, Virgo parturit, Virgo permanet. Ergo virtutis est caro conscientia, non doloris, quae magis pariendo integritatis augmenta suscipit, damna pudoris ignorat; testis potius sui partus existit, quae nullas partus pertulit passiones; et sacramentis coelestibus interfuisse se nova mater miratur, quae nascentis ordinem intelligit humanae consuetudinis nil habere.

<sup>PL 52, 575</sup> Sermo CXL. Satis modo sit oculorum nostrorum pura acies, ut possit in divini ortus intendere claritatem: nam si nascentis iubar solis oculorum nostrorum vix suffert sanitas tota, vel puritas, quanta interni visus est praeparanda sinceritas, ut splendorem sui ferre possit orientis et radiantis auctoris? *In sexto autem mense missus est,* inquit, *angelus Gabriel in civitatem Galilaeae cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph.*<sup>2</sup> Locum, tempus, personam, sanctus evangelista designat, ut relationis \* veritas mani-

<sup>1</sup> I Cor. XV, 45.

<sup>2</sup> Le. I, 26.

festis ipsarum rerum comprobetur indiciis. *Missus est, inquit, angelus ad virginem desponsatam.* Ad virginem Deus aligerum portitorem mittit: nam dat arrham, dotem suscipit, qui fert gratiam; fidem refert, et tradit munera virtutis, qui mox virginei consensus resolvit sponsionem. Pervolat ad sponsam festinus interpres, ut a Dei sponsa humanae desponsationis arceat et suspendat affectum, neque auferat a Ioseph virginem, sed reddat Christo, cui est in utero pignorata cum fieret. Christus ergo suam sponsam recipit, non praeripit alienam; nec separationem facit, quando suam sibi totam iungit in uno corpore creaturam. Sed quid egerit angelus audiamus: *Ingressus ad eam, dicit: Ave, gratia plena, Dominus tecum.*<sup>1</sup> In hac voce oblatio est, oblatio muneris, non simplex salutationis officium. *Ave.* Hoc est accipe gratiam. Ne trepides, ne sis sollicita de natura. *Gratia plena.* Quia in aliis gratia, in te tota gratiae pariter veniet plenitudo. *Dominus tecum.* Quid est in te Dominus? Quia ad te non visitandi studio venit, sed in te novo nascendi illabitur sacramento. Adiecit congrue: *Benedicta tu in mulieribus.*<sup>2</sup> Quia in quibus Eva maledicta puniebat viscera, tunc in illis gaudet, honoratur, suspicitur Maria benedicta. Et facta est vere nunc mater viventium per gratiam, quae mater exstitit morientium per naturam. *Quae cum audisset, turbata est in sermone eius.*<sup>3</sup> Quid est quod personam videt, et de sermone turbatur? Quia venerat angelus blandus in specie, fortis in bello, mitis in habitu, in sermone terribilis, humana proferens, divina repromittens. Unde et virginem, quam leviter visus sollicitaverat, nimium turbavit auditus; et quam missi \* praesentia parum moverat, concussit toto pondere mittentis auctoritas. Et quid plura? Mox sensit in se supernum suscipi Iudicem, ubi ante iam coelestem vidi et contemplata est metatorem. Quamvis enim blando motu, affectu pio, virginem sibi Deus in matrem, servam sibi verteret Dominus in parentem, turbata sunt tamen viscera, mens fugit, ipsa est tremefacta conditio, cum Deus, quem tota creatura non capit, totum se intra pectus recepit et condidit humanum. *Et cogitabat, ait, Virgo quae esset ista salutatio.*<sup>4</sup> Advertat vestra charitas, ut diximus, consensisse Virginem salutioni, non verborum, sed rerum; et vocem fuisse non communis obsequii, sed supernae vim totam fuisse virtutis. Cogitat ergo Virgo, quia cito respondere est facilitatis humanae, cogitare vero ponderis est maximi et iudicii permaturi. Quantus sit Deus satis ignorat ille qui huius Virginis mentem non stupet, animum non miratur: pavet coelum, tremunt angeli, crea-

\*577

<sup>1</sup> Lc. I, 28.<sup>2</sup> Ibid.<sup>3</sup> Lc. I, 29.<sup>4</sup> Ibid.

tura non sustinet, natura non sufficit, una puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, ut pacem terris, coelis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum coelestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium, pro ipsa domus exigat pensione, pro ipsius uteri mercede conquerat, et impleat illud prophetae: *Ecce haereditas Domini, filii, merces; fructus ventris.*<sup>1</sup> Sed iam se concludat sermo, ut de partu Virginis, donante Deo, et indulgentie tempore, gratius proloquamur.

<sup>PL 52, 577</sup> Sermo CXLI. Quantum secretum cubiculi sit regalis, quali reverentia, quo tremore locus habeatur, ubi ipsa principis requiescit potestas, quam nulli extraneo, immundo nemini, nulli infideli pateat illuc et permittatur accessus; quam munda, quam casta, quam fidelia, ibidem praestolentur obsequia, imperialis aulae manifestis docetur insignibus. Quis ad ipsas palatii fores vilis, quis propinquat indignus? Certe ad thalamum sponsi nisi satis proximus, nisi satis intimus, nisi bonae conscientiae, nisi laudabilis famae, nisi probabilis vitae nullus admittitur. Intra thalamum vero ipsum virginem Deus capit solam, suscipitur sola \* virginitas illibata. Unde, o homo, his admonitus exemplis, aestima quis sis, quantus sis, qualis sis, et tunc demum cogita utrum possis Dominicæ nativitatis penetrare secretum, utrum merearis ad illius pectoris cubiculum pervenire, ubi tota superni Regis, tota divinitatis requiescit maiestas; utrum debeas humanis oculis, corporeis sensibus, conceptum virginis temerarius discussor attendere; utrum possis ipsas Dei manus operantes sanctum sibi corporis templum intra alvum genitricis audax et curiosus arbitrer intueri, conspectibus tuis absconditum saeculis nudare mysterium, revelare tibi ipsis angelis invisibile sacramentum; et ita coelestis fabricae praesidere, ut deprehendas liquido tu quomodo Deus penetrare clausae carnis intraverit, quemadmodum sacri corporis in illo venerabili utero praeter Virginis conscientiam lineamenta pinxerit, quomodo praeter concipientis sensum mansura saeculis ossa solidaverit; qualiter, praeter hominis ordinem, hominis veram produxerit formam; quemadmodum, praeter carnis sollicitudinem, totam carnis assumpserit veritatem; qua ratione, praeter naturam nostræ carnis, integrum suscepserit qualitatem: et si ad haec tibi liber non perpetuerit accessus, iam Deus ex carne nunc assumere non potuit, quod in principio assumpsit ex limo? Immo quia totum Deo est possibile, et tibi ne ad minima quidem operum Dei possibile est pervenire, conceptum Virginis noli discutere, sed crede: Deum voluisse nasci pie senti, quia facis iniuriam si requiris; magnum Dominicæ

<sup>1</sup> Ps. CXXVI, 3.

nativitatis sacramentum fide percipe, quia ne minima quidem operum Dei assequi poteris sine fide, dicente Scriptura: *Omnia opera eius in fide.*<sup>1</sup> Sed tu hic totum vis de ratione constare, ubi totum consistit ex fide, quod tamen non sine ratione subsistit, sed ratione Dei, non tua, homo. Quid tam rationabile, nisi ut Deus quidquid voluerit possit? Qui quod vult non potest, Deus non est. Quae ergo mandat Deus, exsequitur angelus, implet Spiritus, efficit virtus, Virgo credit, natura suscipit, coeli narrant, annuntiat firmamentum, ostendunt stellae, magi praedicant, pastores adorant, pecora cognoscunt, attente propheta: *Cognovit bos possessorem suum, et asinus praeseppe Domini sui.*<sup>2</sup>

1257 Sermo CXLII. Audistis hodie, fratres charissimi, angelum cum muliere de hominis reparatione tractantem. Audistis agi, ut homo cursibus eisdem quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit, agit cum Maria angelus de salute, quia cum Eva angelus agerat de ruina. Audistis angelum de carnis nostrae limo templum divinae maiestatis arte ineffabili construentem. Audistis in terris Deum, in coelis hominem sacramento incomprehensibili collocari. Audistis inaudita ratione in uno corpore Deum hominemque misceri. Audistis fragilem nostrae carnis naturam ad portandam totam deitatis gloriam angelica exhortatione roborari. Denique ne tanto ponderi coelestis fabricae in Maria, subtilis nostri corporis arena succumberet, et in virgine totius generis humani portatura fructum virga tenuis frangeretur, fugatura metum vox angeli mox praecessit, dicens: *Ne timeas, Maria.*<sup>3</sup> Ante causam dignitas virginis annuntiatur ex nomine: nam Maria hebraeo sermone, latine, domina nuncupatur: vocat ergo angelus dominam, ut dominatoris genitricem trepidatio deserat servitutis, quam nasci, et vocari dominam ipsa sui germinis fecit et impetravit auctoritas. *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam.* Verum est, quia qui invenit gratiam, nescit timere. *Invenisti gratiam.* Apud quem? *Apud Deum.* Beata quae inter homines audire sola meruit prae omnibus. *Invenisti gratiam.* Quantam? \* Quantam superius dixerat: plenam. Et vere plenam, quae largo imbre totam funderet et infunderet creaturam. *Invenisti enim gratiam apud Deum.* Haec cum dicit, et ipse angelus miratur, aut feminam tantum, aut omnes homines vitam meruisse per feminam: stupet angelus totum Deum venire intra virginalis uteri angustias, cui tota simul angusta est creatura. Hinc est quod remoratur angelus, hinc est quod Virgi-

PL  
52, 579

\*580

<sup>1</sup> Ps. XXXII, 4.

<sup>2</sup> Isa. I, 3.

<sup>3</sup> Lc. I, 30.

nem vocat de merito, de gratia compellat, vix causam prodit audienti, sane ut sensum moveat, vix longa trepidatione componit. Aestimare, fratres, qua reverentia, quo tremore nos tanto interesse deceat et conveniat sacramento, quando ipse angelus non sine metu metum discutit audientis. *Ecce concipies in utero.* Bene concipies, quod caro nescit, conditio non habet, non admittit natura. *Ecce concipies in utero.* Quis ante ad fructum pervenit quam terrae laborem sentiat et sudorem? Quis ante poma carpit quam plantae suam tribuat et impendat industriam? Quis praeter viam ad ullam pervenit mansionem? Quis praeter naturam naturae suscipit incrementum? Beata ergo et vere beata Maria, quae praeter generandi curas, praeter materni doloris fastidia, tantam germinis pervenit ad gloriam. Beata, quam divinum pignus sic suo suscepit et servavit in pectore, ut illud tota corporis externa nesciret. Beata, quae quod de supernis angelo referente suscepserat sic menti suae solae commisit et credidit. Intra domum Virginis negotium coeleste sic geritur, ut manentibus claustris, ipsa domus septa non sentiant. *Concipies et paries filium.*<sup>1</sup> Qui ingreditur et egreditur, et introitus sui et exitus nulla vestigia relinquit, divinus habitator est, non humanus; et qui conceptu suo virginem servat, et ortu suo relinquit virginem, non terrenus homo est, sed coelestis. Nostrae ergo earnis ordo secedat; hic sibi natura nostra nil vindicet, ubi ad divinam progeniem coelestis ordo divinam instituitur in naturam. Conceptus et partus sermo audientis animum non fatiget, nec leviter sensum moveat Christiani, ubi ad coelestem progeniem virtutis Dei divina peraguntur insignia. *Concipies et paries filium.*

\*581 Non dixit tibi, dixit tuum. Quare? Quia *sanctum \* vocabitur Filius Dei.* Virgo te gratia matrem praestitit, non natura; genitricem te dici pie-tas voluit, quam non sinebat integritas; in tuo conceptu, in tuo partu crevit pudor, aucta est castitas, integritas roborata est, est solidata virginitas, omnes perseveravere virtutes. Virgo, si tibi salva sunt omnia, quid dedisti? Si virgo, quomodo mater? Si sponsa, genitrix quomodo? Ille, quo tibi aucta sunt omnia, nil minuit, Virgo. Virgo, concipitur ex te auctor tuus, tua ex te oritur origo, in tuo germine est genitor tuus, in tua carne est Deus tuus, et ipse lucem mundi per te recepit qui lucem mundo dedit. Monita ergo per angelum, Virgo, ne praesumas hunc vocare filium tuum, sed mox ut genueris, invoca salvatorem: quia virginitas non sibi parit filium, sed parit pignus auctoris, et integritas suum gestat dominum, non alumnus, dicente angelo: *Et vocabis nomen eius Iesum,* quod Salvator latino vocabulo nuncupatur. *Dixit autem Maria ad angelum, Quomodo fiet istud?*<sup>2</sup>

<sup>1</sup> Lc. I, 31.

<sup>2</sup> Lc. I, 34.

Ecce Maria interrogat: et si qui interrogat, dubitat, cur solus Zacharias velut querulus percunetator incurrit? Quia pectorum cognitor non verba, sed corda pervidit; non quid dixerint, sed quid senserint, iudicavit; erat enim interrogantium causa dissimilis, species perdvisa. Haec contra naturam credidit, ille dubitat pro natura; haec integræ rei ordinem quaerit, ille quae Deus iubet fieri non posse prescribit; ille impellentibus exemplis non accedit ad fidem, haec sine exemplo percurrit ad fidem; haec miratur de partu virginis, ille de conceptu disputat coniugali. Merito ergo haec loquitur, haec Deum suo cognoscit et confitetur in corpore; ille tacet, donec Ioannem quem negabat, convictus proprio redderet ex corpore. *Quomodo fiet istud?* Quare? *Quia virum non cognosco.* Mulier, quem virum, quaeris? Quem tu in Paradiso perdidisti? Redde virum, mulier, redde depositum Dei, redde ex te quem perdidisti per te: praetermitte naturae ordinem recognosce ordinem Creatoris. Ille ex te assumet et faciet virum, qui in principio te fecit et assumpsit ex viro; ne quaeras virum, casset opus hominis, quia ad reparationem hominis sufficit ars divina. Hinc est quod Deus ipse ad te venit, quia te poenituit ad hominem pervenisse. Nec iam caro ad carnem; \* sed *Spiritus sanctus superveniet in te.* Quia *quod de carne natum est, caro est; et quod de Spiritu, spiritus est.*<sup>1</sup> Qui ergo de Spiritu nascitur, sine controversia Deus est, quia Spiritus est Deus. *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.*<sup>2</sup> Obumbrat Dei virtus, ne portatura Deum, fragilitas humana succumbat. *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Aestus nostri corporis nescit quam divinae protegit umbra virtutis; nec secretum mundanae habitationis inquirit, quae se septam superni splendoris circumspicit velamento. *Propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* Nemo hic communiter accipiat sanctum, sed illa singularitate qua clamatur in coelestibus: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.*<sup>3</sup> Mittitur autem Maria ad Elisabeth, virgo ad sterilem, infans ad anum, ut certamine pio sumant ambae, percipient pariter, altera de novitate fidem, altera de necessitate virtutem. His auditis, respondit Maria: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Quae vocatur ab angelo domina, ipsa se cognoscit et confitetur ancillam. Quia devotus animus infulis beneficiorum crescit ad obsequium: augetur ad gratiam, non ad arrogantiam prosilit, non ad superbiam pertumescit. *Fiat mihi secundum verbum tuum.*

\*582

<sup>1</sup> Io. III, 6.<sup>2</sup> Lc. I, 35.<sup>3</sup> Isa. VI, 3.

Quae credit verbo, merito concepit Verbum: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum;*<sup>1</sup> et ad totam rem pervenit, quae secretum fidei consentit auditu. Quantum peccat haereticus, qui post causam non credit, cum tantum hanc credidisse conspicit ante causam!

PL 52, 582 Sermo CXLIII. Debetur quidem vobis natalitus sermo, sed ineffabile Nativitatis Dominicae sacramentum credere magis convenit quam referre. Virgo peperit. Quod natura non habet, usus nescit, ignorat ratio, mens non capit, pavet coelum, stupet terra, creatura miratur, quomodo sermo narrabit humanus? Denique evangelista conceptum Virginis, Virginis partum sicut humano sermone pandit, ita divino claudit arcano: et hoc facit ut homo, quod credere iussus est, discutere non praesumat. Quis attingit arcanum \* Dei, partum Virginis, rerum causas, saeculorum negotium, commercium divinitatis et carnis, hominem Deumque unum Deum? Evangelista sic ait:

\*583 *Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae cui nomen erat Nazareth, ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph, et nomen virginis Maria.*<sup>2</sup> Missus est angelus a Deo; ubi mediator est angelus, humana ccesset opinio: ubi coelestis est nuntius, interpretatio terrena pellatur. Curiositas humana torpescat, ubi supernus habetur interpres. *Missus est angelus a Deo.* Qui audit attentius, quia a Deo missus sit, deitatis refugit perscrutari secretum. Quod per angelum Deus mandat, ille meretur scire, qui timet scire. Audi Dominum dicentem: *Super quem respiciam nisi super humilem, et mansuetum, et trementem verba mea?*<sup>3</sup> Humilem, et mansuetum: quantum mansuetus est ille qui iussis obtemperat, immansuetus tantum est ille qui iussa discutit. *Missus est angelus ad virginem.* Quia semper est angelis cognata virginitas. In carne praeter carnem vivere non terrena vita est, sed coelestis. Et si vultis scire, angelicam gloriam acquirere maius est quam habere; esse angelum felicitatis est, virginem esse virtutis; virginitas enim hoc obtinet viribus quod habet angelus ex natura. Angelus ergo et virgo divinum agunt officium, non humanum. *Ingressus,* inquit, *angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. Ave, gratia plena, Dominus tecum:*<sup>4</sup> videtis quibus est virgo oppignorata muneribus. *Ave, gratia plena, Dominus tecum.* Ave, hoc est accipe. Quid? Virtutes munerum, non pudoris. *Ave, gratia plena.* Haec est gratia quae dedit coelis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitae ordinem, moribus discipli-

<sup>1</sup> Io. I, 1.

<sup>2</sup> Le. I, 26.

<sup>3</sup> Isa. LXVI, iuxta LXX.

<sup>4</sup> Le. I, 28.

nam. Hanc gratiam detulit angelus, accepit Virgo salutem saeculis redditura. *Ave, gratia plena.* Quia singulis gratia se est largita per partes, Mariae vero simul se totam dedit gratiae plenitudo. *Omnes,* inquit evangelista, *de plenitudine eius accepimus.*<sup>1</sup> Unde et David dicit: *Descendit sicut pluvia in vellus.*<sup>2</sup> Vellus cum sit de corpore, nescit corporis passiones; sic virginitas cum sit in carne, vitia carnis ignorat. Coelestis ergo imber virgineum in vellus placido se fudit illapsu, et tota divinitatis unda bibulo se nostrae carnis celavit in vellere, donec per patibulum crucis expressum terris omnibus in pluviam salutis effunderet. *Et sicut stillicidia stillantia super terram.*<sup>3</sup> Ut vitalibus \* partita stillicidiis tempora fidei rigarent germina, non necarent. *Ave, gratia plena, Dominus tecum.* Missus est angelus a Deo, et quid dicit? *Dominus tecum.*

\*584

Ergo erat cum Virgine, qui ad Virginem miserat. Praecessit nuntium suum Deus, sed a Deo non recessit: teneri locis non potest, qui omnibus habetur in locis: et totus ubique est, sine quo nihil est totum. *Benedicta tu inter mulieres.* Vere benedicta virgo, quae et virginitatis possidet decus, et matris pertulit dignitatem. Vere benedicta, quae et superni conceptus meruit gratiam, et sustulit integritatis coronam. Vere benedicta, quae et divini germinis suscepit gloriam, et regina totius exstitit castitatis. Vere benedicta, quae fuit maior coelo, fortior terra, orbe latior; nam Deum quem mundus non capit, sola cepit. Portavit eum qui portat orbem, genuit genitorem suum, nutritivit omnium viventium nutritorem. Sed videamus quid ait evangelista: *Maria, inquit, cum audisset angelum, turbata est [in sermone eius].*<sup>4</sup> Turbata est caro, concussa sunt viscera, mens tremuit, tota cordis obstupuit altitudo: quia in ingressu angeli virgo sensit divinitatis ingressum. Turbabatur humani corporis templum, et carnalis domicilii movebantur angustiae, cum se in virgineo pectore tota Dei conderet magnitudo. Sed si placet, priusquam fidei Christianae penetremus arcanum, loquamur ad eos qui partum virginis, qui magnum pietatis sacramentum, qui reparationem salutis humanae referunt ad divinitatis iniuriam. Venit ad virginem Deus, hoc est, ad opus suum opifex, creator ad creaturam suam. Quando ad opificis honorem operis restauratio non redundat? Quando honor non depatur ad gloriam, si factor facturam suam reparet? Ne amittat quis opus suum, nonne cum veterascit revocat, et cum cadit erigit, et cum destruitur in melius non reformat? Ergo quod in partu virginis

<sup>1</sup> Io. I, 16.<sup>2</sup> Ps. LXXI, 6.<sup>3</sup> Ibid.<sup>4</sup> Lc. I, 29.

agitur, non est Creatoris iniuria, sed salus est creaturae. Si Deus fecit hominem, quis arguit cur refecit? Et quod ex limo formasse digne creditur, quare ex carne reformasse iudicatur indignum? Quid pretiosus, caro aut limus? Ergo reparationis nostrae quanto pretiosior materia, tanto maior est gloria. Aut quando Deus non in utero plasmator est hominis? Audi Iob: *Manus tuae fecerunt et finxerunt me.* Et post: *Ut caseum coagulasti me: ossibus et nervis inseruisti me, vitam et misericordiam dedisti mihi.*<sup>1</sup> Et David: *Tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.*<sup>2</sup> Et ad Ieremiam Deus: *Priusquam essem in utero, novi \* te, et in vulva sanctificavi te.*<sup>3</sup> Si ergo parentis in alvo Iob lineamenta despinxit, si matris in utero David membra compegit, si Ieremiam genitricis sanctificavit in vulva, si Ioannem sterilis in utero replevit Spiritu sancto, quid mirum modo, si virginis habitavit in utero, qui mulierem hominis sumpsit ex latere? Ipse hominem mulieris resumpsit ex utero, qui virginem viri formavit ex corpore; ac perinde, homo, quae tibi viduntur nova, Deo habentur antiqua.

\*585

PL 52, 585

1259

Sermo CXLIV. [...] Evangelista hodie angelum retulit sic locutum. *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum.*<sup>4</sup> *Ne timeas, Maria.* Quare? Quia invenisti gratiam. Timet non qui invenit, sed qui perdit. Invenit, invenit haec conciendo superni germinis gratiam quae pariendo non perdidit virginitatis insignia. *Ne timeas, Maria.* Quid timet, quae securitatem rerum concipit, parit gaudia saeculorum? Timor non est, ubi divinum est negotium, non humanum, ubi virtutis conscientia est, non pudoris. Quid timet, quae suscepit eum quem timent omnia quae timentur? Quid timet, cui iudex causae est \* assertor, integritas testis innocentiae? *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum.* Quod erat in principio apud Deum, Verbum Deum intra se virgo reperit, et factum est magnum deitatis templum, quae erat pusillum humanitatis hospitium, et quem non capiebat pusillitas humani corporis, coepit virginalis uteri magnitudo. *Ecce, inquit, concipies in utero.*<sup>5</sup> Propter reverentiam dixisse suffecerat *concipies;* quod exaggerat, *in utero,* quid est? Ut conceptus esset veritas, non figura; ut partus esset proprietas, non imago, ut sicut de Deo vero Deus verus natus est, sic de vero conceptu veritas humani corporis nasceretur. In ortu Christi, fratres, humani corporis iniuria sublata est, non natura; nec est creatura delata, sed culpa damnata. Est ergo haeresis, quae Christum aërium corpus assumpsisse men-

<sup>1</sup> Iob X, 10-12.<sup>2</sup> Ps. CXXXVIII, 5.<sup>3</sup> Ierem. I, 5.<sup>4</sup> Lc. I, 30.<sup>5</sup> Lc. I, 31.

titur: nec habuisse carnem, sed hominem simulasse configit. *Concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum.* Quod hebraice Jesus, graece Σωτήρ, hoc dicitur latine, Salvator. Merito ergo Virgini salva sunt omnia, quae omnium genuit Salvatorem [...] *Et Filius Altissimi vocabitur.*<sup>1</sup> Videtis quia quod concipit Virgo non terrenum germen est, sed coeleste. Virgo peperit, sed Deus suscepit Filium. Ergo qui de hac nativitate humano modo disputat, ad omnem tendit tanti genitoris iniuriam.

1260 Sermo CXLV. Audituri estis hodie, fratres, quemadmodum nobis beatus evangelista generationis Christi retulit sacramentum. *Christi,* inquit, *generatio sic erat: Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam convenienterent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Ioseph autem vir eius cum esset iustus, et nolle eam traducere, voluit occulte dimittere eam.*<sup>2</sup> Et quomodo iustus, qui conceptum sponsae duxit non discutere? Suspecti non equirit causam pudoris, coniugii famam non vindicat, sed requirit? *Voluit occulte dimittere eam.* Hoc pro magis videtur convenire quam iusto; sed humano iudicio, non divino. Penes Deum neque pietas sine iustitia est, neque sine pietate iustitia; colesti sensu sine bonitate aequitas, sine aequitate bonitas non habetur. Virtutes si separatae fuerint, dilabuntur; aequitas sine bonitate saevitia est, et iustitia sine pietate crudelitas. Ioseph ergo merito iustus, quia pius; et pius, quia iustus. Denique dum pietatem cogitat, crudelitate caruit: dum causam temperat, iudicium custodivit; dum vindictam differt, crimen evasit; dum refugit accusatorem, fugit sententiam. Aestuabat animus sanctus negotii novitate pereculsus, stabat sponsa praegnans sed virgo; stabat plena pignore, sed non vacua pudore; stabat de conceptu sollicita, sed de integritate secura: stabat vestita materno munere, sed non honore virginitatis exclusa. Sponsus quid faceret ad ista? Accusaret de crimine? Sed erat ipse innocentiae testis. Culpam diceret? Sed erat ipse custos pudoris. Urgeret adulterium? Sed erat ipse virginitatis \* assertor. Quid faceret ad ista? Cogitat dimittere, quia non poterat vel foris prodere, vel intus quod evenerat continere. Cogitat dimittere et dicit Deo totum, quia quod homini diceret non habebat [...].

PL  
52, 588

\*589

1261 *Iuravit David Dominus veritatem, et non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.*<sup>3</sup> Quod factum quidem tali gloriatur in cantico: *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis.*<sup>4</sup> De fructu ventris tui, bene fructus ventris tui, bene de utero, quia

PL  
52, 589<sup>1</sup> Lc. I, 32.<sup>2</sup> Matth. I, 18, 19.<sup>3</sup> Ps. CXXXI, 11.<sup>4</sup> Ps. CIX, 1.

coelestis hospes, supernus habitator sie in uteri descendit hospitium, ut corporis claustra nesciret; sic de habitaculo ventris exiit, ut virginalis ianua non pateret, et impleretur illud quod cantatur in Canticorum: *Hortus clausus, soror mea sponsa; hortus clausus, fons signatus.*<sup>1</sup> *Ioseph fili David, noli timere.* Sponsae causas sponsus ne \* timeat admonetur; et vere pius animus dum compatitur, plus pavescit. *Ioseph fili David, noli timere.*<sup>2</sup> Ne cum de conscientia securus sis, de sacramenti cognitione succumbas. *Ioseph fili David, noli timere.* Quam vides virtus est ista, non crimen; hic non humanus lapsus est, sed est divinus illapsus; hic praemium est non reatus; hic incrementum coeli est, non corporis detrimentum; hic non est prodicio personae iudicis, est secretum; hic palma cognitoris est, non supplicii poena; hic hominis furtum non est, thesaurus est Dei; hic non est mortis causa, sed vitae. Et ideo noli timere quia quae vitam parturit, non meretur occidi. *Ioseph fili David, noli timere Mariam coniugem tuam accipere.* Sponsam vocari coniugem legis est hoc divinae: sicut ergo manente virginitate mater est, ita coniux dicitur pudore permanente. *Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Veniant, audiant, qui requirunt quis sit quem Maria genuit, *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Veniant, audiant, qui graeco turbine latinam nubilare nisi sunt puritatem, ἀνθρωποτόκου, χριστοτόκου, ut θεοτόκου tollerent, blasphemantes. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Et quod de Spiritu sancto natum est, spiritus est, quia Deus spiritus est.<sup>3</sup> Quid ergo requiris quis est qui de Spiritu sancto natus est, cum tibi quia Deus est, Deus ipse respondeat? Cum te Ioannes increpet, qui dicit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; et Verbum Deus caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam eius.*<sup>4</sup> Ioannes vidit gloriam, respicit infidelis iniuriam. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Et vidimus gloriam eius. Cuius eius? Qui natus est de Spiritu sancto, eius qui *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* *Quod in ea natum est de Spiritu sancto est.* Virgo concepit, sed de Spiritu; virgo parturiit, sed eum quem praedixit Isaias: *Ecce virgo in utero accipiet, et pariet \* filium, et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod interpretatur Nobiscum Deus.*<sup>5</sup> Nobiscum Deus, cum illis homo. *Et maledictus homo, qui spem ponit*

<sup>1</sup> Cant. IV, 12.

<sup>2</sup> Matth. I, 20.

<sup>3</sup> Io. III, 6.

<sup>4</sup> Io. I, 1, 14.

<sup>5</sup> Isa. VII, 14; Matth. I, 23.

*in homine.<sup>1</sup>* Audiant qui requirunt quis est qui natus est de Maria? *Paries filium, inquit angelus, et vocabis nomen eius Iesum.* Quare Iesum? Apostolus dicit: *Ut in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium, et infernorum:*<sup>2</sup> et tu quis sit Iesus, dolosus cognitor nunc requiris?

1262 Sermo CXLVI. [...] *Cum desponsata esset mater eius Maria.* Sufficerat dixisse, cum desponsata esset Maria. Quid sibi vult sponsa mater? Si mater, non sponsa: si sponsa, non adhuc mater. *Cum desponsata esset Maria mater eius.* Virginitate sponsa, fecunditate mater; mater viri nescia, partus conscientia. Aut quomodo non ante conceptum mater quae post partum virgo mater? Aut genitrix quando non, quae saeculorum generavit auctorem, principium dedit rebus? Natura virgo mater semper, sic semper noverca corruptio. Est ergo muneris virginalis ut regeneret per Deum virgo quod per Deum virgo generavit: Deus et integritas est coeleste consortium, virginitas iuncta Christo copula est perfecta virtutis. Quod Virgo concipit, est honor Spiritus, non onus est carnis; quod parturit Virgo, secretum est Dei, non est ministerium coniugale; quod nascitur Christus, divinae maiestatis est, non est imbecillitatis humanae: est gloria dei tatis tota, ubi nulla carnis sentitur iniuria. *Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam convenienter, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.*\* [...] Maria mater vocatur; et quando non Maria mater? *Congregationes,* inquit, *aquarum appellavit Maria.*<sup>3</sup> Nonne haec exeuntem populum de Aegypto concepit uno utero et emerget coelitis in novam creaturam renata progenies iuxta illud apostoli: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari.*<sup>4</sup> Et ut semper Maria humanae praevia sit salutis, populum quem unda generatrix emisit in lucem, ipsa iure praecessit in cantico. *Maria,* inquit, *soror Aaron sumens tympanum in manu sua, dixit: Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est.*<sup>5</sup> Nomen hoc prophetiae germanum est, renascentibus salutare, hoc virginitati insigne, hoc pudicitiae decus, hoc indicium castitatis, hoc Dei sacrificium, hoc hospitalitatis virtus, hoc collegium sanctitatis; merito ergo matris Christi nomen est hoc maternum. Diximus quare mater sponsa, quare Ioseph sponsus, quare Mariae maternum nomen ut totum circa ortum Christi fuisse mysticum panderemus: nunc quare sponsa quaesita sit ad partum Christi,

PL  
52, 592

\*593

<sup>1</sup> Ier. XVII, 5.

<sup>2</sup> Phil. II, 10.

<sup>3</sup> Gen. I, 10.

<sup>4</sup> I Cor. X, 1, 2.

<sup>5</sup> Exod. XV, 1.

aliis prodamus ex causis. Praedixerat Isaias et virginem parere Deum coeli,<sup>1</sup> regem terrae, orbis Dominum, reparatorem mundi, mortificatorem mortis, redditorem vitae, perpetuitatis auctorem: hoc quam esset mundanis triste, terribile regibus, pavendum iudeis, ipse Dominicae nativitatis probavit eventus.

<sup>PL</sup>  
52, 596      Sermo CXLVIII. Hodie, fratres, hesternum debemus redhibere 1263  
sermonem, hodie Dominicæ nativitatis laetitiam debemus iterare: quando concipit Virgo, virgo parit, manet virgo, non est consuetudo sed signum; non est ratio sed virtus; auctor est, non natura; non est commune, sed solum; divinum est, non humanum. Cesset ergo inanis philosophiae labor, nasci Christum non fuit necessitas, sed potestas; fuit honor, iniuria non fuit; sacramentum pietatis fuit, deitatis non fuit detrimentum; fuit reparatio salutis humanae, imminutio substantiae non fuit hoc divinae. Qui non nascendo ex intacto limo fecit hominem, nascendo ipse hominem de corpore fecit intacto: manus quae in nostrum plasma lutum dignanter assumpsit, ad reparacionem nostram dignanter assumpsit et carnem. Ergo quod Creator in creatura sua, quod Deus invenitur in carne, creaturae honor est, non est Creatoris iniuria.

<sup>PL</sup>  
52, 597      [...] Concepit virgo, virgo peperit, non te conceptus turbet, partus te non confundat auditus, quando virginitas quidquid est humani pudoris excusat. Aut quae ibi verecundiae laesio, ubi init deitas cum amica sibi semper integritate consortium; ubi est interpres angelus, fides pronuba, desponsatio castitas, donatio virtus, iudex conscientia, causa Deus, conceptus integritas, virginitas partus, Virgo mater? Nemo ergo iudicet humano modo quod divino geritur sacramento, nemo mysterium coeleste discutiat ratione terrena, nemo ex usu tractet novitatis arcanum, nemo quod singulare est metiatur exemplo, nemo contumeliam de pietate componat, nemo periculum subbeat de salute. 1264

<sup>PL</sup>  
52, 597      [...] Hinc est, fratres, hinc est, quod Christi talis est ordo nascensis: ad virginem diabolus venerat, venit angelus ad Mariam; ut quod malus deicerat angelus, bonum angelus allevaret. Perfidiam suasit ille, hic fidem: suasori credit illa, ista credit auctori. 1265

<sup>PL</sup>  
52, 607      Sermo CLIII. Fratres, humani sensus non est virginei partus aperire mysterium: quod natura non habet, auctoris est, non naturae; est opus superni spiritus, quod sentire non potest caro; ubi non est humanitatis indicium, ibi deitatis est signum, dicente propheta: *Ipse Dominus Deus dabit vobis signum. Ecce virgo in utero accipiet.*<sup>2</sup> 1266

<sup>1</sup> Isa. VII, 14.

<sup>2</sup> Isa. VII, 14.

Ubi nil est terreni usus, est ibi coelestis ordinis totum; quod de mundo non est, mundano intellectui non potest subiacere. Conceptus qui virginem servat, partus virginem qui relinquit, divinum est quod generat, non humanum; Deus graditur, ubi vestigium nullatenus humani transitus invenitur; consuetudo deficit, miracula cum geruntur; consuetudines non respiciunt signa, singularitas non admittit exemplum, sicut hodierna pandit lectio, quae divina narrat praelia parvulorum.

1267 Sermo CLXXV. [...] Ipsa quoque genitrix sponsa mater et virgo, in ipso coniunctionis suae cubiculo, genuisse nova gratulatione maturatur. Sed neminem turbet, nullum moveat, quod in thalamo ipso sponsa ipsa cernitur peperisse: talis non est de crimine, sed de virginitate conceptus, quando in tali germine coelestis partus est, non humanus: nec ullus hic est sinistrae suspicionis locus, ubi ipse sponsus sponsae suae testis habetur et custos. Quicumque sollicitus es de facto, esto de exemplo maximo persecurus, et praecedentis trepidatio ad tuam cautelam proficiat, et munimen. Ioseph ille maritus solo nomine, conscientia sponsus, praegnantem sponsam fluctuans et anxius intuetur, quia neque accusare innocentem, neque praegnamentem poterat accusare; tacere tutum non erat, erat loqui periculum. Admittit, non prodit crimina accusator insontis. Erat ipse testimonium \* castitatis, erat custos pudoris: aliud noverat, aliud intuebatur; confundebat visus quem non confundebat Virginis fides: actus et vita in bivio; mens iusta et sanctus animus ancipiti cogitatione torqueatur; sentit, sed tantum non potest penetrare sacramentum, quia nec accusare poterat, et defensare penes homines non valebat. Merito mox occurrit angelus, merito responsum subvenit mox divinum, cui humano deficiente consilio iustitia non defecit. Et quid dicit? *Ioseph fili David, noli timere.*<sup>1</sup> Qui nihil fecerat, quid timebat? Timebat, quia etsi nullus in facto reatus erat, erat in causa maximus pavor. Sanctus animus quidquid non assequitur, expavescit. Cave ergo, homo, de partu nostrae matris taliter disputare, cum angelum respondisse sufficiat: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in illa natum est, de Spiritu sancto est.* Feliciter parturit, quae virginitatis coronam magis pariendo conquisivit et gloriam.

PL  
52, 657

\*658

<sup>1</sup> Matth. I, 20.

IN NATIVITATE DOMINI [I]<sup>1</sup>

PLS III, 159 1. [...] Quomodo potest ad secretum virginiae Nativitatis cor- 1268

rupta peccatis hominum fragilitas pervenire? Nascitur itaque, na-  
scitur Christus non necessitate vivendi, sed voluntate salvandi. Na-  
scitur inter mortuos, qui vitam donat mortuis. Nec dubitemus effec-  
tum, quod futurum Prophetarum maximus Isaias in diebus antiquis  
sancti Spiritus auctoritate praedicit: *Ecce, inquit, Virgo in utero  
accipiet et pariet filium.*<sup>2</sup> Quod foemina parturit, verae Incarnationis  
est fides; quod virgo parit, aeterna nascentis est gloria. Nascitur ab  
intacta foemina Christus, quia fas non erat, ut virtus per volupta-  
tem, castitas per luxuriam, per corruptionem incorruptio nasceretur.  
Nec poterat novo ordine adventare de coelo, qui vetustum mortis  
destruere veniebat imperium; neque vero poterat universitatis Do-  
minus formam servi suscipere, qua nos redimere disponebat, nisi  
eum peperisset ancilla. Aut quomodo pro nobis sputamenta, palmas,  
et crucem Dei Filius sustineret, nisi se filium hominis praebuisset?

\*160

2. Vere infelix Iudaea, quae per adulterii calumniam, tenebrosis  
suspicionibus tantum sibi lumen obscurat, quae, dum non credit  
Virginem concepisse, dignationem Dei sui humanum vocat in cri-  
men, et invidiae suae hebetata caligine culpam clamat \* esse, quod  
virtus est. Sed crede, miserande homo, cui sola salutis tuae fuit causa  
nascendi. Perpendite, fratres, quae, et quanta sit caecitas perfido-  
rum, quae Christum negat nasci potuisse de Virgine, et in Nativitate  
coelesti, consuetudinem requirit humanam, ac Deum creaturarum  
legibus discutit creatura. Nihil itaque de Nativitate eius humana  
retractet impietas, quem nasci pro homine pietas invitavit. Quod  
hominis et Dei Filius humiliavit se in carne, quod Virgo concipit,  
Virgo parturit, et quod permanet virgo post partum, coelestis my-  
sterii virtus est, non mortalis ordo naturae.

3. Quis vero Omnipotentis esse dubitet sacramentum, ubi audit  
coelorum Regem prodire de foemina, et natum foeminae Coelestibus  
imperare? Quae autem quantaque, fratres, ob salutem gentium be-  
neficiorum Dei augmenta succrescunt. Olim namque post transitum  
Maris Rubri, ut hebraeorum populo divini cultus disposeret prae-  
cepta, Moysen famulum suum vocavit in montem, quatenus per unum  
servulum genti exiguae dispositionum suarum proderet voluntatem.  
Nunc vero ut in fine temporum, ut gentibus universis perennis vitae

<sup>1</sup> A. CAILLAU et B. SAINT-YVES, *S. Augustini Operum Supplementum*, 1, p. 91.

<sup>2</sup> Isa. VII, 14.

sacramenta deferret, ipse de coelestibus, de sinu Patris adveniens, ita se homini, sibique hominem inseruit, et univit, ut incomprehensibili gloria, unus idemque, et homo esset, et Deus. Sic enim potentissimus prodiit ex Maria, ut et infirma carnis subiret et Unigeniti non amitteret maiestatem, ac temperamento quodam admirandi mysterii, et per hominem Deus cum hominibus loqueretur, et homo per Deum de diabolo triumpharet.

IN NATIVITATE DOMINI [II]<sup>1</sup>

- 1269** 1. [...] *Ascendit itaque et Ioseph, ut profiteretur cum Maria uxore sibi despnsata.*<sup>2</sup> Bene ascendit; quia semper ad divina sublimis habetur ascensus. Ascendit ut profiteretur se sponsum esse, non coniugem; custodem, non maritum; datum ad obsequium germinis, non ad copulam genitricis; divinam esse in utero sobolem, non humanam. Ascendit et Maria, ut profiteretur se plus famulam quam parentem; habere se conceptus indicia, conscientiam tamen non habere; portare divinum munus, non pondus humanum; quia quando genitricis virginitas permanet, germen percreditur et probatur Auctoris.

PLS  
III, 161EXPOSITIO FIDEI<sup>3</sup>

- 1270** [...] *Qui natus est de spiritu sancto ex Maria virgine.* Virgo et spiritus sanctus commercium virtutis est, caeleste consortium, maiestatis insigne. Quod ergo generat virgo, divinum est, non humanum. Mundus non capit, ratio non habet, sapit fides, non sapit saeculi inquisitor.

PLS  
III, 172DE NATIVITATE DOMINI<sup>4</sup>

- 1271** [...] Hodie ergo peperit virgo quem Deo filium faceret, qui sentiam praevicationis excluderet, poenam mortis eriperet, et vitam perpetuam credentibus condonaret. Portavit in utero filium mater (sic) omnibus quae sunt ante nutrimenta maiorem, et hunc fudit forma mirum in terris, quem habent angeli imperatorem in caelis. Peperit filium mater, a quo ipsa nutritur, potius quam nutritur. Mortali alvo immortalem suscepit hospitem et in terrestri hospitio

PLS  
III, 180

<sup>1</sup> A. CAILLAU et B. SAINT-YVES, *S. Augustini Operum Supplementum*, 1, p. 103.

<sup>2</sup> Lc. II, 4-5.

<sup>3</sup> A. OLIVAR, *Sacris erudiri*, 12, 1961, p. 310.

<sup>4</sup> F. LIVERANI, *Spicilegium Liberianum*, 1, Florentiis, 1863, p. 193.

coelestem virgo imperatorem suscepit. Beata virginitas desinit iam mortis ancilla esse, quia illum intra se gestat in mente, quem Maria portavit in ventre. Nulli virginitas servituti succumbit, quia illum diligit, qui humano generi attulit libertatem. Coelestis propago germinabat in utero et in eximio partu virginea viscera corruscabant. Humanis gressibus portabatur fictura deifica, et in angusto pudoris cubiculo, eum, quem coeli non capiunt, sancta virgo portabat inclusum. Et peperit eum, non qui nascendo pollueret parientem, sed qui pollutionem saeculi delavaret. Sancta credidit, sancta concepit, sanctior efficitur post partum. Extitit autem ipsi virgini, ipse filius, qui erat sponsus; ipse genitus, qui erat genitor. Illic fuit paranymptha credulitas, paranymphus arcangelus, mater sponsa et ipse, quem peperit Christum, sponsus. Quem sanctus Spiritus copulavit et Gabriel angelus nuntiavit, angelorum exercitus decantavit: fecit gravidam virginem ipse, qui erat ex virgine nasciturus. Expavit in partu suo subito mater: Deus per angelum loquebatur et virgo auribus impregnabatur. Audiat omnis aetas, quod numquam audivit. Virgo partui suo nupsit: virginitatem, dum pareret, duplicavit, et filium, quem genuit, adoravit.

<sup>PLS III, 181</sup> [...] Concepit virgo, virilis ignara consortii: impletur uterus nullo libatus amplexu: Spiritum sanctum castum venter suscepit: innocens corpus egessit gloria virginitas et praelara foecunditas. Virtus mundi nascitur et nullus est gemitus parturientis. Vacuatur uterus, infans excipitur, nec tamen virginitas violatur. Fas erat ut, Domino nascente, merito cresceret castitas, nec per eius adventum violaretur integritas, qui venerat sanare corruptionem. Deus ab angelis proditur et agnus pastoribus demonstratur. Nulla parienti Mariae ex humanitatis officiositate solacia: stat exonerata felicior Maria, et matrem se laeta cognoscit, quae se nescit uxorem. Sed infantis genus feta miratur; Spiritum sanctum suscepisse congaudet; nec, quia peperit innupta, terretur; sed quia genuerit confisa laetatur. Ergo magna credimus, quae magna virtute generantur. Recte in eius adventu coelestia veneramur, quem de coelo venisse cognoscimus, quem creatum Dei Patris et Spiritus sancti virtute comperimus, ut firmaretur trinitas in utero castitatis. Quae est virgo tam sancta, sicut ista, per quam Deus venire dignatur? Quae tam speciosa, ut Deum quaerat sponsum? Quae tam fortis, ut tantam possit generare virtutem? Quae tam casta, ut sic possit esse virgo post partum? Nonne in figura

1272

- PL 52, 358, 380, 392, 409, 418, 427, 445, 458, 475, 489, 560, 593, 594, 599, 602, 620, 656.

Mariae habitum videmus ecclesiae? Haec parit, non dolore, sed gaudio: haec nutrit, non corporis ubere, sed lacte amoris.

SERMO IN NATALI DOMINI<sup>1</sup>

**1273** 1. [...] *Ecce annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.*<sup>2</sup> Nullum hodie, fratres, conceptus, nullum terreat partus. Ubi enim virginitas concipit, integritas parit, Dei est virtus conscientia, non voluptas. Audi angelum dicentem, *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.*<sup>3</sup> Hodie, fratres, non inchoatur deitas, sed humanitas innovatur: hodie natus est non sibi Christus, sed mihi. *Accedite ergo ad eum et illuminamini, et vultus vestri non erubescet:*<sup>4</sup> quia hodie in sole posuit, sicut dixit propheta, *tabernaculum suum.*<sup>5</sup>

PL  
39, 1992

2. *Virginitas nunquam nuda.* Divinum est, fratres charissimi, quod geritur, non humanum. Nunquam est nuda virginitas quae tegmine pudoris se decoravit. Ad domicilium castitatis angelus mediator advenit; ut regi aulam, Deo templum, et coelesti sposo thalamum procuraret. Nascente enim Domino non est ablata, sed consecrata virginitas; quae ipsa sponsum genuit sui pudoris, ipsa custodi praebet fidele servitium: feta, sed virgo; virgo, sed mater; sterilitate enim earuit, non pudore. Adstat sanetas, sinceritas, pudicitia, castitas, integritas, fides, et omnes simul adfuere virtutes; ut intrepida famula sui uteri portaret auctorem, et coelestem paritura virtutem, sexus sui victrix, dolorem gemitumque nesciret. Beata fecunditas, quae et honorem acquisivit maternum, et castitatis praemium non amisit.

## HESYCHIUS Hierosolymitanus († post 450)

## COMMENTARIUS IN LEVITICUM

**1274** Lib. I, cap. II, 4. *Cum autem obtuleris sacrificium coctum in clibanō de simila, panes scilicet absque fermento, conspersos oleo, et lagyna azyma oleo lita.*<sup>6</sup>

PG  
93, 806

Admirabilis est legislatoris intentio, per omnia subtiliter ince-

<sup>1</sup> Sermo iste, in app. Operum S. Augustini, est S. Petri Chrysologi (cf. PLS II, 847 et PLS 52, 665a).

<sup>2</sup> Le. II, 10.

<sup>3</sup> Le. I, 35.

<sup>4</sup> Ps. XXXIII, 6.

<sup>5</sup> Ps. XVIII, 6.

<sup>6</sup> Levit. II, 4.

- 1467 'Ως κεχαριτωμένη τὴν καλλοποιὸν ὑπερεδέξω εὐπρέπειαν τὴν τὰ πάντα μόνῳ τῷ βουλήματι κατασκευάσασαν, καὶ τῷ θείῳ κάλλει καὶ φωτισμῷ τῆς εὐσεβείας, Θεομῆτορ, ἡμᾶς καλλωπίσασαν. PG 4, 581
- 1468 'Ιδού νῦν πεπλήρωται τοῦ Ἡσαίου ἡ προαγόρευσις· ἐν γαστρὶ σου, Παρθένε, τὸν Λόγον ἔσχες καὶ ἀπεκύησας τὸν ζωοδότην, ὃ πάντες κραυγάζομεν· Εὐλογητὸς ὁ Θεός. PG 4, 581
- 1469 Μῆτερ Θεοῦ πανάμωμε, τῆς ψυχῆς μου τὰ τραύματα καὶ τῆς ἀμαρτίας τὰς οὐλὰς ἔξαλειψον. Υἱὸν γάρ ἐγέννησας τὸν ἔξουσίαν ἔχοντα τοὺς πεπεδημένους ταῖς σειραῖς τῶν πταισμάτων εὐκόλως ἀνιέναι τῶν δεσμῶν τῶν ἀλύτων, τὸν μόνον εὐεργέτην Θεὸν εἰς τοὺς αἰῶνας. PG 4, 584
- 
- 1467 Velut gratia plena pulchrificum supra omnes accepisti decorum PG 4, 582  
qui voluntate sola condidit universa, divinaque pulchritudine, atque pietatis illustratione, Dei genitrix, nos venustavit.
- 1468 Ecce nunc impletum est Isaiae vaticinium. In utero tuo, Virgo, PG 4, 582  
Verbum habuisti datoremque vitae genuisti, cui clamamus omnes:  
Benedictus Deus.
- 1469 Mater Dei irreprehensibilis, animae meae vulnera, et peccati cicatrices dele; Filium enim genuisti, qui potestatem habet catenis lapsuum vincitos ex indissolubilibus vineulis facile relaxandi, qui solus est Deus benefactor in saecula. PG 4, 583

## PETRUS Diaconus et alii (saec. V-VI)

EPISTOLA<sup>1</sup>

- 1470 Cap. III, 4. Beatam vero Virginem Mariam non propter dignitatem hominis illius qui ex ipsa natus est (quem gratia et non natura Deum quidam impie praedicare non metuunt), sed proprie et secundum veritatem credimus Θεοτόκον, id est Dei Genitricem, eo quod pepererit vere et proprie Deum Verbum incarnatum et hominem factum, atque essentialiter sive naturaliter carni unitum.<sup>2</sup> PL 65, 444

<sup>1</sup> Est XVI inter op. S. Fulgentii Ruspensis (cf. PLS III, 1333). Similis est ep. Io. Maxentii, PL 62, 85-86 (Lau 135; Clavis 663).

<sup>2</sup> CCL XCIA, 552.

● PG 4, 580, 581, 584.

● PL 65, 446.

## S. PHILASTRIUS Brixensis († ca 397)

## LIBER DE HAERESIBUS (383/391)

**659** XXXV. Post istum Carpocras nomine surrexit, et ipse dicens <sup>PL 12, 1151</sup> Unum Principium, de quo Principio, id est, de Deo, prolationes factae sint Angelorum atque Virtutum: quae autem Virtutes deorsum sint, fecerint creaturam istam visibilem ubi nos consistamus. Christum autem dicit non de Virgine Maria, et divino Spiritu natum,<sup>1</sup> sed de semine Ioseph hominem natum arbitratur, deque eo natum carnaliter, sicut omnes homines, suspicatur.<sup>2</sup>

## DIDYMUS Alexandrinus (313 † ca 398)

## DE SPIRITU SANCTO (360/380)

**660** 31. [...] Ad Mariam angelus [al. archangelus], *Spiritus*, inquit, <sup>PG 39, 1062</sup> *sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.*<sup>3</sup> Creatrix igitur virtus Altissimi, Spiritu sancto superveniente in Virginem Mariam, Christi corpus fabricavit: quo ille usus templo, sine viri natus est semine.

## DE TRINITATE (380/392)

**661** Lib. I, cap. XV. [...] Καθάλ οὖν αὐτοῦ ἡ τῆς ἐνανθρωπήσεως κάτω γέννησις ἔτερφ γεννήσει οὐ συγκρίνεται (ἐκ Παρθένου γάρ ἀρευστος, ἀπήμαντος, ὅπερ ἡ φύσις ἡμῶν οὐκ ἔχει), οὕτω καὶ ἄνω γέννησις ἀκατάληπτος ὑπὲρ τὸ πλέον, καὶ πᾶσαν ἔξαλλάττουσα γέννησιν ὑπάρχει· καὶ οὕτε ἀπιστεῖν χρή, οὕτε μὴν ζητεῖν ἡ ἔξηγεισθαι τὸν τρόπον ἡμῖν ἀσφαλές, τοῖς εἰ-

**661** Lib. I, cap. XV. [...] Quemadmodum ergo terrena eius in Incarnatione nativitas nulli alteri nativitati comparari potest (nam et ex Virgine \* fuit, et sine fluxione, ac sine violatione, id quod natura nostra non habet): ita etiam coelestis nativitas incomprehensibilis maxime est, et a quavis discrepans nativitate. Neque vero aut fidem denegare oportet, aut tuta res nobis est quaerere, sive expōnere, quomodo ea se habeat, cum ne dicere quidem possimus, quo-

<sup>1</sup> Lc. I, 35.

<sup>2</sup> CCL IX, 232.

<sup>3</sup> Lc. I, 35.

κόσμῳ παραπέμπουσαν, τὸν ἐνεστῶτα τῷ μέλλοντι. Τίς \* οὖν ἐκείνου μᾶλλον, \*<sup>577</sup> ἡ παρθενίαν ἐτίμησεν, ἡ σαρκὶ ἐνομοθέτησεν, οὐ τῷ καθ' ἔαυτὸν ὑποδείγματι μόνον, ἀλλὰ καὶ οἵς ἐσπούδασε;

praesentem nimirum \* ad futurum. Quis igitur magis quam ille, aut \*<sup>578</sup> virginitatem in pretio habuit, aut carni leges imposuit, idque, non suo tantum exemplo, sed etiam per ea quibus operam dedit?

### S. PHOEBADIUS Agennensis († post 392)

#### DE FILII DIVINITATE ET CONSUBSTANTIALITATE TRACTATUS<sup>1</sup>

**491** Cap. VIII. [...] De Spiritu Dei Virgo concepit, et quod concepit, <sup>PL 20, 48</sup> hoc peperit, id est, Deum homini suo, ut iam dixi, sociatum, sicut ipse dixit: *Quod nascitur de carne, caro est; et quod nascitur de spiritu, spiritus est:*<sup>2</sup> quia Deus spiritus est, et de Deo natus est. Sicut et Angelus ad Mariam Virginem dixit: *Spiritus Dei veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit te: propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>3</sup>

Vides ergo ipsum Spiritum, id est Filium Dei venisse ad virginem; et inde Dei et hominis Filium processisse: nec tamen ipso indumento carnis Dei Filium esse mutatum; sed eumdem ipsum esse in homine, qui fuerat ante mundum cum Patre, per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil, sicut Evangelista ait: *Mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.*<sup>4</sup>

<sup>1</sup> Nonnulli asserunt hunc libellum *Gregorii Iliberitani* esse (PLS I, 785).

<sup>2</sup> Io. III, 6.

<sup>3</sup> Lc. I, 35.

<sup>4</sup> Io. I, 10.

● PL 20, 27, 45, 150, 232, 369, 370, 372, 446.

● PG 35, 861, 1181. PG 36, 80, 180, 236, 289, 633.

● PG 37, 469, 574, 959, 1073, 1469.

*in nobis:*<sup>1</sup> pluviae comparatum, pro eo quod de nube intelligibili Maria matre descendens, terrae nostri corporis sociatus, sanctis nos praedicationibus, tamquam pluviis, irrigavit.

### PRIMASIUS Hadrumetinus († 552)

#### COMMENTARIA IN APOCALYPSIM

- 1558 Lib. III, cap. X. [...] Finis enim legis Christus ad iustitiam omni PL 68, 864 credenti. Qui Christus, id est Veritas, tunc de terra, id est de Maria, nasci voluit, quando iustitia de coelo prospexit.<sup>2</sup>
- 1559 Cap. XII. [...] Quod si etiam de Christi persona specialiter velis accipere,<sup>3</sup> excepto cruciatu, quem in partu B. Mariam non est credendum habuisse, quam novimus nullum in conceptu peccatum libidinis contraxisse, recte potes caetera coaptare, si rufi draconis insidias, persecutioes quas ab ipsis incunabulis ab Herode<sup>4</sup> Christus pertulit. PL 68, 874

#### SUPER APOCALYPSIM

- 1560 Lib. IV, cap. XIV. [...] Gaudia propria virginum Christi non PLS 1218 sunt eadem, non virginum, quamvis Christi: nam sunt aliis alia, sed nullis talia. Item in haec sequimini agnum quia et agni caro, utique virgo: hoc enim in se retinuit auctius, quod matri non abstulit conceptus, et natus. Merito eum sequimini virginitate cordis et carnis, *quocumque ierit.*<sup>5</sup> Quid est enim sequi, nisi imitari?

<sup>1</sup> Io. I, 14.

<sup>2</sup> Ps. LXXXIV, 12.

<sup>3</sup> Apoc. XII, 1 ss.

<sup>4</sup> Matth. II, 13.

<sup>5</sup> Apoc. XIV, 4.

● PLS IV, 77, 170, 201.

■ PL 68, 417, 456, 502, 533, 550, 552, 594, 655, 682, 690, 692, 698, 713, 719, 729, 742.

● PL 68, 885.

● VICTOR (saec. vi): PL 68, 941.

● LIBERATUS (saec. vi): PL 68, 971, 972, 973, 975, 981, 983, 987, 1023, 1024, 1036.

## S. PROSPER Aquitanus († post 455)

EXPOSITIO PSALMORUM<sup>1</sup>

<sup>PL</sup>  
51, 319 Ps. 109. [...] *Ex utero ante luciferum genui te.* Si de illa generatione  
hoe dictum est qua ex Patre Deo genitus est Deus Filius, *ex utero*  
significat, ex secreto, ex occulto, de ipso Patre, de substantia Patris.  
*Ante luciferum* vero, ait, ante tempora. Per luciferum enim, utpote  
per fulgentissimum sidus, tamquam a parte totum, omnia sidera si-  
gnificata sunt quae in hoc facta sunt, *ut sint in signis, et temporibus,*  
*et in diebus, et annis.*<sup>2</sup> Quod est ergo *ante luciferum*, hoc est ante si-  
dera; et quod est ante sidera, hoc ante tempora, atque ideo ex aeter-  
nitate. Si vero hoc ex persona prophetae dictum est, qui ait: *Dixit*  
*Dominus Domino meo: Sede a dextris meis,* non est dubium illam nati-  
vitatem significatam, qua Dominus David, filius est David. Potuit  
enim dicere David propter propaginem, qua de ipsius stirpe Maria  
virgo descendit, *Ex utero genui te,* hoc est, ex utero virginali, ex utero  
quo masculus non accessit, in quo sola fuit conceptio matris, sine se-  
mine genitoris. Et convenienter dictum est, *Ante luciferum*, quia ante  
exortum diei natus est Dominus, hoc indicantibus \* testimonii pa-  
storum qui vigilias exercebant super gregem suum.<sup>3</sup>

<sup>\*320 PL</sup>  
51, 380 Ps. 131. [...] *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* David,  
in quo persona est capitis et corporis, id est, Christi et Ecclesiae, hanc  
promissionem accipit, quod fructus ventris eius super sedem ipsius  
esset ponendus, cuius regnum manet in aeternum.<sup>4</sup> Qui ideo fructus  
ventris dicitur, quia Salvator secundum carnem Virginis matris est  
filius, conceptus, non per virilem coitum, sed per Spiritum sanctum.

## EPIGRAMMATA

<sup>PL</sup>  
51, 517 LXVI. [...] Qui Patris in Deitate manens Deus omnicreator,  
Verus de sacra Virgine natus homo est.  
Sic nostrum assumens Matris de corpore corpus,  
Esset ut assumptae carnis origo Deus:  
In quo per lavacrum, fidei virtute renata,  
Coeleste accipiet gens nova principium.

<sup>1</sup> Morin assignat opus hoc Prospero, minime vero M. Cappuyns (Clavis 524).

<sup>2</sup> Gen. I, 14.

<sup>3</sup> Le. II, 8.

<sup>4</sup> Le. I, 32.

DE VOCATIONE OMNIUM GENTIUM<sup>1</sup>

**1327** Lib. II, cap. XIV. [...] Et eadem fides signaculum circumcisiois acceperat in eo corporis membro, per quod semen procreationis per venturum erat ad eam carnem, in qua sine carnali semine Dei Filius, Deus Verbum caro fieret, ac de Abrahae filia Maria Virgine nasceretur; assumptis omnibus in huius nativitatis consortium, qui in Christo per Spiritum sanctum regenerati quod Abraham credidit, eredidissent. PL 51, 699

S. LEO Magnus PP. († 461)

## SERMONES

**1328** Sermo XXI [al. XX], cap. I. [...] Alienum quippe ab hac nativitate est, quod de omnibus legitur: *Nemo mundus a sorde, nec infans, cuius est unius diei vita super terram.*<sup>2</sup> Nihil ergo in istam singularem nativitatem de carnis concupiscentia transivit, nihil de peccati lege manavit. Virgo regi Davidiae stirpis eligitur, quae sacro gravidanda fetu divinam humanamque prolem prius conciperet mente quam corpore. Et ne superni ignara consilii ad inusitatos paveret effectus, quod in ea operandum erat a Spiritu sancto, colloquio discit angelico. Nec damnum credit pudoris, Dei genitrix mox futura. Cur enim de conceptionis novitate desperet, cui efficientia de Altissimi virtute promittitur? Confirmatur credentis fides etiam praeeuntis attestacione miraculi, donaturque Elizabeth inopinata fecunditas; ut qui conceptum dederat sterili, datus non dubitaretur et virgini.

**1329** Cap. II. [...] Merito igitur virginæ integritati nihil corruptionis intulit partus salutis: quia custodia fuit pudoris, editio veritatis. Talis igitur, dilectissimi, nativitas decuit Dei virtutem et Dei sapientiam Christum, qua nobis et humanitate congrueret, et divinitate praecelleret. PL 54, 192

**1330** Sermo XXII [al. XXI], cap. II. [...] Nova autem nativitate genuit est, conceptus a Virgine, natus ex Virgine, sine paternae carnis concupiscentia, sine maternae integritatis iniuria: quia futurum hominum Salvatorem talis ortus decebat, qui et in se haberet humanae substantiae naturam, et humanae carnis inquinamenta nesciret. Auctor enim Deo in carne nascenti Deus est, testante archangelo ad

<sup>1</sup> Opus hoc est S. Prosperi (cf. PLS III, 148).

<sup>2</sup> Iob XIV, 4 sec. LXX.

● PL 51, 142, 320, 518, 550.

■ PL 51, 614, 628, 790, 795, 809, 813, 819, 820.

PRUDENTIUS M. AURELIUS CLEMENS (348 † post 405)

LIBER CATHEMERINON

- |     |  |               |
|-----|--|---------------|
| 733 | III, 141. Fit caro vivida sermo Patris,<br>numine quam rutilante gravis<br>non thalamo, neque iure tori,<br>nec genialibus illecebris<br>intemerata puella parit. <sup>1</sup>   | PL<br>59, 806 |
| 734 | IX, 19. O beatus ortus ille, virgo cum puerpera<br>edidit nostram salutem, feta sancto Spiritu,<br>et puer redemptor orbis os sacratum protulit. <sup>2</sup>  | PL<br>59, 864 |
| 735 | XI, 53. Sentisne, virgo nobilis,<br>matura per fastidia<br>pudoris intactum decus<br>honore partus crescere?<br><br>O quanta rerum gaudia<br>alvus pudica continet!<br>ex qua novellum saeculum<br>procedit, et lux aurea [...] <sup>3</sup> | PL<br>59, 894 |

LIBER APOTHEOSIS

- |     |   |               |
|-----|---|---------------|
| 736 | 435. Ex quo mortalem praestrinxit spiritus alvum<br>Spiritus ille Dei, Deus, et se corpore matris<br>induit, atque hominem de virginitate creavit:<br>delfica damnatis tacuerunt sortibus antra [...] <sup>4</sup>  | PL<br>59, 959 |
| 737 | 563. Haec nos in domini virtute et laude perenni<br>non sequimur; sequimur, nullo quod semine terrae<br>germinat: immundum quod non de labe virili<br>sumit principium; tener illum seminat ignis,<br>* non caro, nec sanguis patrius, nec foeda voluptas.<br>Intactam thalami virtus divina puellam<br>sincero flatu per viscera casta maritat.<br>Incomperta ortus novitas iubet ut Deus esse<br>credatur Christus sic conditus; innuba virgo | PL<br>59, 968 |

<sup>1</sup> CCL CXVI, 16.

<sup>2</sup> CCL CXVI, 48.

<sup>3</sup> CCL CXXVI, 62.

<sup>4</sup> CCL CXXVI, 92.

nubit Spiritui vitium nec sentit amoris.  
 Pubertas signata manet, gravis intus, et extra  
 incolumis, florens de fertilitate pudica  
 iam mater, sed virgo tamen; maris inscia mater.  
 Quid renuis? Quid inane caput, non credule, quassas?  
 Angelus hoc sancto pronuntiat ore. Placetne  
 credere, et angelicis aurem reserare loquellis?  
 Ipsa coruscantis monitum sacra virgo ministri  
 \* credidit, atque ideo concepit credula Christum.  
 Credentes nam Christus adit; dubitabile pectus  
 sub titubante fide refugo contemnit honore.  
 Virginitas et prompta fides Christum bibit alvo  
 cordis, et intactis condit paritura latebris.

\*970

PL  
59, 970

738

Crede, quod emissus solio patris angelus infit;  
 vel, si concretus liquidam de sidere vocem  
 non capit auditus, mulier quid coniuge praegnans  
 clamet anus, credens, et tandem sobrius audi.

Mira fides! Utero puer interceptus anili  
 virginem dominum materno ex ore salutat  
 primus, et infantem non natus nuntiat infans  
 iam nostrum vagire sibi: nam pusio nondum  
 norat, et ora deo reserabat garrula Christo.  
 Promite secretos fastos: date, pandite librum,  
 \* evomuit spirante Deo quem sanctus Isaias.

\*971

Percensere libet calamique revolveare sulcos,  
 sidereis quos illa notis manus aurea duxit.  
 Ite hinc, dum rutilos apices submissus adoro,  
 dum lacrimans veneror, dumque oscula dulcia figo.  
 Gaudia concipiunt lacrimas, dant gaudia fletum  
 advenit promissa dies, quam dixerat iste  
 adfore versiculos, cum virgo puerpera, teste  
 haud dubie sponso, pacti cui cura pudoris,  
 \* edidit Emmanuelque meum me cernere fecit.<sup>1</sup>

\*972

<sup>1</sup> CCL CXXVI, 96, 97, 98.

- PL 59, 845, 890, 899, 926, 929, 930, 941, 966, 972, 975, 1001.
- PL 60, 27, 28, 29, 101, 102.

phetiae in duobus sermonibus constant, ita etiam nostra omnis spes in beatae Mariae partu suspensa est; et ideo responde mihi ad singula quae te interrogabo. Quomodo abiiciemus tantas et tales Apostoli voces, quae dicunt: *Cum autem fuit Dei voluntas in nobis, misit Filium suum factum ex muliere.*<sup>1</sup> Et iterum: *Pascha nostrum immolatus est Christus.*<sup>2</sup> Et quia *Deus et Dominum suscitavit, et nos cum illo suscitabit per virtutem suam*<sup>3</sup> [...]

Unde arbitror sufficere haec testimonia ad ostensionem iudicij et resurrectionis et passionis, quibus consequenter et pariter ex Maria partus ostenditur. [...] \* Dic mihi illud etiam, o Manichaei; si aie Christum non esse ex Maria natum, sed apparuisse quidem ut hominem, cum homo non esset, praestante hoc et agente virtute quae in ipso est; dic mihi, super quem Spiritus sanctus sicut columba descendit? Quis est etiam, qui baptizatur a Ioanne?

PG 10, 1515 L. [...]. *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*<sup>4</sup> dico autem de eo, qui ex Maria factus est homo. Quid enim? Non poteramus et nos multo facilius et latius ista narrare? Sed absit ut a veritate declinemus iota unum, aut unum apicem. Est enim qui de Maria natus est Filius, qui totum hoc quod magnum est voluit perferrre certamen, Iesus. Hic est Christus Dei, qui descendit super eum qui de Maria est. [...] Vox Paterna testatur dicens: *Hic est Filius meus dilectus,*<sup>5</sup> nullus aliis portare praevaluuit, nisi qui ex Maria natus est, super omnes sanctos, Iesus.

669

## Ps. HEGEMONIUS (saec. IV)

## ADVERSUS HAERESES

PLS III, 144 [...] Aliae rursum multae diversae hereses ebullierunt, quae divinitatem Christi negantes tantummodo confitentur humanitatem eius ex Maria. Ex quibus est Cerinthus, Ebion et nunc Fotinus, qui eorum heresim instauravit. [...] Extrema est heresis Apollinaris, quae quot homines habent tot paene sententias. Necdum enim inter eos decretum est, in quae quasi pro certo et statuto blasphemabunt.

\*145 Alii dicunt nec sensum nec animam \* humanam habuisse dominum

<sup>1</sup> Galat. IV, 4.

<sup>2</sup> I Cor. V, 7.

<sup>3</sup> I Cor. VI, 14.

<sup>4</sup> Philipp. II, 7.

<sup>5</sup> Matth. III, 17.

● PG 10, 1483, 1503, 1508, 1513, 1514.

670

nostrum Iesum Christum. Qui vero audacieores sunt, etiam corpus illius sic de Maria confitentur, ut nihilominus etiam hoc de caelestibus vindicent.<sup>1</sup>

[PONTIUS MAXIMUS] (saec. IV)

DE SOLSTITIIS ET AEQUINOCTIIS<sup>2</sup>

671 [...] Ex die igitur conceptionis Ioannis octavo kalendas octobris usque octavo kalendas aprilis quando angelus Gabriel ingressus est ad Mariam et salutavit eam dicens: *Pax tecum quae invenisti gratiam apud Deum. Quae auditu hoc verbo conturbata est et cogitabat intra semetipsam quae esset haec salutatio; cui dixit angelus: Ne timueris Maria quia invenisti gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero et paries filium et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus et filius Altissimi vocabitur et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius et regnabit in domo Iacob in saecula et regni eius non erit terminus. Cui respondit Maria: Et quomodo haec cognoscam cum vi- rum non noverim? Et dixit illi angelus: Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi: propter quod is qui nasceretur sanctus vocabitur filius Dei. Tunc Maria fida sermonis dixit: Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundum sermonem tuum.*<sup>3</sup> Fuit igitur ut diximus quando haec angelus ad Mariam adnuntiavit octavo kalendas aprilis qui et ipse est dies aequinoctialis ad inchoationem lucis. Iam enim detersa caligine mundi lux in mundum adveniebat sicut Ioannes in epistula sua dicit: *Quia tenebrae transierunt et lu- men verum iam lucet.*<sup>4</sup> De quo lumine iterum in evangelio dicit: *Fuit lumen verum quod inluminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*<sup>5</sup> Conceptus est ergo Dominus noster octavo kalendas aprilis mense martio qui est dies paschae passionis Domini et \*conceptio- nis eius. In qua enim die conceptus est in eadem et passus est. Et ideo Dominus ad Moysen in Exodo praeceptum sacramenti tradens dicit: *Non occides super azima sanguinem immolatorum meorum et immolationis die solemnis paschae. Initia creaturae tuae inferes in domum Dei tui. Non occides inquit agnum in lacte matris suae.*<sup>6</sup> Haec

PLS  
I, 562

\*563

<sup>1</sup> CCL IX, 327-328.

<sup>2</sup> Discrepant Auctores de paternitate huius operis saec. v (cf. PLS I, 557).

<sup>3</sup> Lc. I, 28-38.

<sup>4</sup> I. Io. II, 8.

<sup>5</sup> Io. I, 9.

<sup>6</sup> Exod. XXXIV, 25 ss.

γονα μήτηρ. 42. Ἐγώ δὲ τοῦτον ὁμολογῶ οὐέν μου, κτίστην μου καὶ δημιουργόν, παιδίον καὶ τῶν αἰώνων ἀρχαιώτερον ».

nescio. 42. Attamen recognosco uti filium meum eum qui Creator et Gubernator meus est, infantulus et simul perantiquus ».

### DE NATIVITATE DOMINI<sup>1</sup>

PL  
17, 1201  
(1240)

2076

Mysterium Ecclesiae,  
Hymnum Christo referimus,  
Quem genuit puerpera,  
Verbum Patris in Filio.

Sola in sexu femina,  
Electa es in saeculo,  
Et meruisti Dominum  
Sancto portare in utero.

Vates antiqui temporis  
Praedixerant quod factum est,  
Quia Virgo conciperet,  
Et pareret Emmanuel.

Mysterium hoc magnum est,  
Mariae quod concessum est,  
Ut Deum per quem omnia,  
Ex se videret prodere.

Vere gratia plena es  
Et gloriosa permanes,  
Quia ex te nobis natus est  
Christus per quem facta sunt omnia.

Pastores qui audierunt,  
Gloriam Domino cantarunt,  
Cuecurrerunt in Bethleem  
Natum videre Dominum.

Sic magi ab ortu solis  
Per stellae indicium  
Portantes typum gentium  
Primi offerunt munera.

<sup>1</sup> « Hymne d'origine milanaise antérieure au viiième siècle » (M. SIMONETTI, in Lau 124).

Rogemus ergo populi  
 Dei Matrem et Virginem  
 Ut ipsa nobis impetret  
 Pacem et indulgentiam.

Gloria tibi, Domine,  
 Qui natus es de Virgine, etc.

#### DE INCARNATIONE VERBI DEI<sup>1</sup>

- 2077** [...] Ὑποκλέπτειν τοίνυν οἴονται τινες τῶν ἀκροωμένων τὰς ψυχάς, ἐν- PG 75, 1413  
 θρωπὸν, φησὶ, λέγοντες ἀνειληφέναι τὸν Θεὸν Λόγον· καὶ διὰ τοῦτο πρό-  
 οδὸν πεποιῆσθαι διὰ τῆς ἀγίας Παρθένου, καὶ τοῦτον αὐτὸν τὸν ἀνθρωπὸν  
 ἀποτεθεῶσθαι τῷ Θεῷ Λόγῳ, οὐ συνιέντες τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, καὶ  
 τῆς μετὰ σαρκὸς οἰκονομίας τοῦ Μονογενοῦς τὴν χάριν μετρίαν ποιούμενοι.  
 Ἡμεῖς δὲ οὐχ οὕτω δεδιδάγμεθα· ἔνα, καὶ τὸν αὐτὸν ἵσμεν, ἀδελφοί, τὸν  
 διὰ τῆς ἀγίας Παρθένου τῆς Θεοτόκου Μαρίας γεννηθέντα, Θεὸν τέλειον,  
 καὶ ἀνθρωπὸν τέλειον, ἔμψυχον, λογικόν. Ταύτητοι καὶ Θεοτόκον λέγομεν  
 τὴν ἀγίαν Παρθένον, καὶ ἐνφρηκέναι οὐσιωδῶς τὸν Θεὸν Λόγον ἐν αὐτῇ οὐ  
 δοκήσει, ἀλλὰ ἐνεργείᾳ· τὸν αὐτὸν διμηναῖον, καὶ τριμηναῖον, Γίον τε Θεοῦ  
 ἄμα, καὶ Γίὸν ἀνθρώπου. Ἀλλὰ γάρ καὶ τὰς τῆς ἀνθρωπότητος, καὶ μὴν καὶ  
 τὰς ἐν ἔξουσίᾳ τῇ θεοπρεπεῖ φωνάς, ἃς διαγορεύουσιν ἡμῖν αἱ θεῖαι Γραφαὶ  
 περὶ αὐτοῦ εἰς ἐν \* πρόσωπον συνηγθαῖ φαμεν. Τὸν αὐτὸν γάρ ἵσμεν ἐπὶ τὸ  
 προσκεφάλαιον καθεύδοντα [καθήμενον], τὸν αὐτὸν τῇ θαλάσσῃ ἐπιτιμῶντα \*1416

- 2077** [...] Sunt ergo qui in auditorum animos furtim ac per fraudem PG 75, 1414  
 irrepunt, Deum Verbum asserentes hominem assumpsisse, ac idcirco  
 per sanctam Virginem prodiisse, et hunc eumdem hominem a Deo  
 Verbo deificatum esse; magnum illud pietatis mysterium non intelligentes, dispensationisque Unigeniti cum carne beneficium parvifacientes. Nos autem, fratres, non sic edocti sumus. Illum namque  
 qui ex sancta Virgine natus est, unum eumdemque esse agnoscimus, perfectum Deum et perfectum hominem anima rationali praeditum. Hac etiam de causa sanctam Virginem Deiparam appellamus; Deumque Verbum non opinione, sed re ipsa in illa habitasse dicimus: eumdem bimestrem et trimestrem, Filium Dei simul, et Filium hominis. Quin etiam voces illas, quas divinae Litterae modo humanitati, modo divinae illius potestati \* tribuunt, in unam dumtaxat personam convenire praedicamus. Eumdem enim agnoscimus qui super cervical dormiebat, et qui mare et ventos ex potestate increpabat:<sup>2</sup> \*1415

<sup>1</sup> Exstat inter op. S. Cyrilli Alex., sed est aetatis posterioris (cf. Lau 166).

<sup>2</sup> Marc. IV, 38.

clausa solidatum corpus traiciens iuventutis, hoc illi crederent esse Christum de suis infantilibus membris.

<sup>PLS</sup>  
<sup>III, 276</sup> 18. [...] A muliere enim initium factum est peccati, et propter hanc omnes morimur. Quia ergo mors regnavit per mulierem, redeat ad nos vita per virginem. 991

## Ps.-AUGUSTINUS

### IN NATALI DOMINI I<sup>1</sup>

<sup>PLS</sup>  
<sup>II, 911</sup> VI. [...] Natus est Dominus in carne vera, et victa est in hac Nativitate natura, quia Virgo concepit, et peperit illibata, et facta est mater vera, quae permanxit virgo perpetua. 992

<sup>PLS</sup>  
<sup>II, 912</sup> IX. Factum est ut Evangelista testatus est; virtus infirmitate emicuit. Deus carnem ita ex Virginis matris vulva suscepit, ut non praeeunte seminatione carnali caro existeret, sed ex operatione coelesti et coniunctione Verbi; et cum, nimio affectionis desiderio, vult hominem reparare, hominem reformavit in homine, et virginem carnem assumpsit ex Virgine. 993

<sup>PLS</sup>  
<sup>II, 913</sup> X. Natus est Deus ex utero Virginis, ex intemerato connubio, ex puro matrimonio; sine semine viri, sed ex semine Verbi; et \* in forma servi, qui ante saecula, natus est ex Deo in forma Dei. Et ut servus fieret dominus, Dominus ipse factus est servus. Sed totius huius mysterii opus suscepit virgineus uterus; formavit Spiritus sanctus. Exiuit homo Deo plenus, qui tamen et homo esset et Deus, ut ait Apostolus: *Utrumque unum*,<sup>2</sup> caro scilicet et Verbum, discreta natura, sed per voluntatem Dei concreta substantia; ut quae erant ante duo diversa, in unionem fierent nativitatis huius fibula sociata. Uterus tamen Virginis officina huius sacramenti fuit. Quae ita partum, sicuti concepit, emisit, et quae virum in conceptu non admisit, virum aequo sine ullo detrimento pudoris emisit. Nec passa est masculum virum; virum scilicet in virtute divina et humana fragilitate concretum; sed Deum in virtutibus et operatione perfectum, apostolo Petro dicente: *Iesum Nazarenum virum a Deo ostensem in vobis*.<sup>3</sup> Hinc Esaias propheta: *Ecce, inquit, Virgo concipiet et pariet filium*.<sup>4</sup> Virgo est igitur quae concepit, Virgo quae peperit. Conceptum sine praeiudicio par-

<sup>1</sup> Sermo *Caillau-Saint-Yves*. 1, 7; « Antiquus est hic sermo in Africa ortus quem cognoscebat auctor sermonis *Maurini* app. 245. H. BARRÉ, RB, 67, 1957, p. 10 ». PLS II, 865.

<sup>2</sup> Ephes. II, 14.

<sup>3</sup> Act. II, 22.

<sup>4</sup> Isa. VII, 14.

tus incorruptibilis subsecutus est; quia sequens naturae processus, ex priori sumpsit originem. Habuit enim Deus Filius nostrae similem partitudinis exitum, sed similem non potuit habere conceptum. Humanus enim partus ex corruptione concipitur; in partu vero Filii Dei, mater intacta servatur. Mater est enim facta cum peperit, et virgo intemerata concepit. Ex semine Verbi praegnata divinitus, partum sine detimento pudoris emisit; quia virgo concepit et peperit. Sensit Virgo partus legem, sed genitalem conceptus non pertulit passionem; et insensibilis conceptionis ingressus sensibilem exitum habuit; sed corruptionis iniuriam mater intemerata non sensit. Coëunt igitur in foedera sanctitatis virginitas et Divinitas. Virgo obtulit mentem, Verbum exhibuit incorruptionem; illa animi et corporis sanctitatem, Verbum pudoris integritatem, et perennem virginitatem. Inde est quod Angelus dixit: *Benedicta tu inter mulieres*,<sup>1</sup> quia iam benedicta fuerat inter virgines. Hanc enim sibi vindicant beatae matres, hanc sanctae amplectuntur et virgines. Inter matres, virgo est; inter virgines, mater est; quia concepit et peperit, et virgo esse non desinit. *Benedicta tu inter mulieres*; quia cum esset futura mater, non erat sensura quod mulier.

995 XI. [...] Quid ergo indignum iudicas Domino Virginis uterum? PLS II, 915

Aut non putas potuisse ex homine nasci Hominem-Deum, cum in rebus, quarum mentionem fecimus, plus esse videoas nascentium privilegium meritorum. Quoties autem contigit ut ex plebeio imperator, ex laico nasceretur episcopus, et ille fieret dominus patris sui, hic pater genitoris sui; ille dominus mundi, hic pater populi christiani? Quin imo haec te maxime rei magnitudo sollicitet et invitet, quia virgo concepit, virgo peperit, virgo permanxit, et virgo semper esse non desinit. Virgo ante conceptum, virgo post partum, et virgo permanet in aeternum.

996 XII. [...] Virgo peperit, et cum viro non concubuit; quia Verbum carnem factum mater perfecta generavit. Sed stultum, inquit, saeculum, credere potuisse parere, quam cum viro negaveris concubuisse. PLS II, 916

Sed hoc est quod nos maxime in hac sacramenti admiratione confortat; ut in sacramento sim sapiens, ut saeculo stultus inveniar. Scriptum est enim: *Apprehendam sapientes in astutia eorum*.<sup>2</sup> Et iterum: *Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanae sunt*.<sup>3</sup>

997 XIV. [...] Probavit Apostolus qui dixit *Quia omnia munda mundis*.<sup>4</sup> Immundum ergo esse non potuit, quod immundus corvus tetigit; PLS II, 918

<sup>1</sup> Lc. I, 42.

<sup>2</sup> Iob. V, 13.

<sup>3</sup> Ps. XCIII, 11.

<sup>4</sup> Tit. I, 15.

et uterum immundum esse potuit quem Christus implevit? O interea corvos ministros ubique devotos! Nigros in colore, sed candidos in timore; immundos in nomine, sed mundos in opere. Emundavit tandem corvus culpam suam, et reversus est ad obedientiam; tunc enim exiens de arca, non rediit; nunc pastus necessarios servo Dei opportunus obsonator exhibuit.

XV. Sed putas immundum fuisse uterum Virginis, ut ad rem, de qua loquimur, redeamus; accipe ergo rationem de simili exemplo, qui dubitas, qui indignum Deo putas uterum, aut ex utero Deum ullum contagium contrahere potuisse. Sol mundum uniformi claritate collustrat; et diversus in singulis effectus invenitur. Ceram solvit, indurat lutum, stercora discoquit, coenulenta dessicat; et ita radios suos per diversa iaculatur, ut ex his, quae vi sui ardoris exsucceat, penitus nesciat inquinari. Deus ergo inquinari posset ex utero, cum sol non inquietur ex coeno? Aut Christus contaminaretur ex vulva, cum sol non inficiatur ex cloaca? Verumtamen etiam immundus ex origine \* sua possit credi ille uterus, sed ingressu Dei factus est mundus. Ubi enim totam Virginem virtus Altissimi obumbraverat, ubi Verbum se incorruptibiliter corporabat, ubi Spiritus sanctus membra plasmabat, immundum esse quid poterat, cum ex conversatione Verbi quidquid immundum credi potuit, sine dubio posset repente mundari? Et si immundam secundum legem in profluvio sanguinis mulierem tactu fimbriae ipsius emundavit, eodem Deo uterum ingresso, etiamsi uterus naturaliter esset immundus, mundari non potuit?

XVI. Huc accedit quia uterus Virginis fuit sanctus, mundus, puerus, illaesus, illibatus, sicut ab artifice Deo factus, ita artificis ipsius maiestate repletus; in quo agnovit integrum opus suum Deus; de quo exivit Deus, quasi novus maritus de thalamo suo. Novus enim maritus carnis exivit de puro thalamo ventris, et parvae sanctitatis putatur hic uterus, ut Deus quem ferre non poterat totus mundus, in visceribus eius teneretur inclusus?

PLS  
II, 919 XVII. [...] Ecce intrat in tenebris lucerna, et splendore suo lucere facit totam domum. Intravit lumen verum, id est Deus, in uterum, et fecit uterum sanctum. Sanctus ergo ille uterus fuit, in quem Sanctus intravit, sanctificavit, et sanctus sicut intravit, exivit, Angelo dicente: *Propter quod et qui ex te nascetur Sanctus, vocabitur Filius Dei.*<sup>1</sup>

XVIII. Absit ergo, absit ut dedignaretur intrare in uterum Virginis, qui non dedignatus est intrare in caminum ignis ardentis, teste Nabuchodonosor, qui ait: *Nonne tres viros misimus ligatos in medio ignis ardentis? Et quomodo video quatuor viros solutos et deambulantes*

<sup>1</sup> Le. I, 35.

*in medio ignis, et corruptio nulla in eis? Et similitudo quarti similis est Filio Dei.*<sup>1</sup> Qui ergo intravit in fornacem ignis ardētis, ipse intravit in uterum Virginis permanentis. Quis est qui intravit in \*fornacem<sup>\* 920</sup> ignis? Filius Dei. Quis intravit in uterum Virginis? Filius Dei. Illine excussit flammarum, hinc exclusit naturam. Sicut ergo arsit in fornace ignis et non combussit, ita exivit ex vulva Virginis et nihil corrupit. In fornace ignis, pro tribus pueris eruendis intravit; pro toto mundo redimendo in uterum Virginis intrare non debuit?

XIX. Sed contra naturam, inquiunt iudeai, Virgo parere non potuit. O impudentia singularis semper cadit, et nunquam cedit. Et si ille non cedit qui semper cadit, multo magis veritas non cedit, quae nunquam cadit, et semper vincit, Scriptura dicente: *Veritas vincit, et invalescit, et vivit, et obtinet in saecula.*<sup>2</sup> Contra naturam, inquit, parere Virgo non potuit. Putaverunt sane ex parte aliqua nobis rapuisse victoriam. Ecce igitur provocamur ad pugnam; sed nihil metuam, nihil verebor; iam enim sauciatus est iste qui provocat. Contra naturam, inquiunt parere Virgo non potuit; ergo contra naturam in tabernaculo Testimonii, sacerdotis Aaron virga floribus tunc absque naturali adiutorio germinavit. Non enim suggestus seminis inerat, non radicis, non altricis terrae genitales succi aderant. Quod etsi in natura virga habuit, abscissa stipitibus retinere non potuit. Et tamen illie cum deessent universa iura naturae, protulit virga quod nec succo, nec semine suggeri potuit, nec radice.

999 XXI. [...] Virgo ergo non potuit contra naturam Dei Filium generare? Ecce ego dicam tibi quemadmodum Virgo concepit et peperit; tu mihi ostende qualiter virga omni suggestu naturae vacua germinavit. Sed procul dubio nec conceptum poteris virgae explicare, nec Virginis partum. Si ergo non poteris dicere quemadmodum virga peperit nuces, Virginem poteris dicere quemadmodum concepit et peperit veritatem? Accipe ergo dominicae Incarnationis effectum, quia virguae parentis non potes explicare mysterium.

PLS  
II, 921

XXII. Veni ad me, et dicam tibi quod intus audivi. Pudore hic, non ratione conturbor, et volo in sermone esse verecundiam, dummodo non sit in fide periculum. Da veniam, Christe, et parce ori meo, quia Incarnationis tuae mysterium temerarius narrator attingo; et tu quidem clausum dimisisti uterum tuum, sed nobis permisisti aperire incredulis Evangelium tuum. Dicam tandem quod in cubiculo naturae conficitur. In vulva Virginis genitalis sanguis, et germinans humor fuit. Huic sanguini vel humoris Verbum se velut coa-

<sup>1</sup> Dan. III, 91-92.

<sup>2</sup> III Esdr. IV, 38 (apocryphus).

gulum miscuit, et sanguinis vel humoris substantia congelata carnem fecit. Accessit Spiritus sanctus, et haec quae fuerant gelata, et Verbi quodam glutino commassata, formavit; formata distinxit; et formam hominis, qua Deus inclusus in lineamentis suis tenebatur, explicuit. Ecce habes quemadmodum Virgo concepit. Si quaeris qualiter et peperit, dicam tibi: ita peperit sicut ante concepit; quia qui uterum insensibiliter intravit, incorruptibiliter sicut intravit, exivit. Nam, ut agnoscas verum ordinem officii naturalis, Virgo peregit tempora pariendi, virga non habuit tempora germinandi. Illa enim, decursis novem mensibus, peperit: virga intra triduum, quod in natura non habuit, germinavit. Ecce ipse primus homo nec patrem docetur habuisse nec matrem: ex limo enim terrae factus est quae non haberet originem. Quomodo ergo corpus factum est sine semine? Quomodo caro extitit sine carne? Ex vulva tamen quodam modo exivit terrae, et nihil tamen consumptum est in matrice. Unde ne dubites quin si in rem praesentem te huius comparationis induco, nulla tibi nascatur in hac assertione cunctatio. Solis radius specular penetrat, et soliditatem eius insensibili subtilitate pertrahit; et videtur intrinsecus qui extat extrinsecus. Nec cum ingreditur dissipat, nec cum egreditur violat; \* quia et ingressu et egressu eius specular integrum perseverat. Specular ergo non rumpit radius solis; integritatem Virginis ingressus aut egressus vitiare poterat veritatis?

\* 922

XXIII. Sed quid ulterius moror? Audiat Christianus quod non vult audire iudeus, ut hic proficiat redemptus, ille deficiat induratus. Vere illa Aaron virga Virgo Maria fuit, quae verum sacerdotem concepit et peperit, de quo dictum est: *Tu es sacerdos in aeternum.*<sup>1</sup> Superiori versu iam dixerat: *Virgam potestatis suae emittet Dominus ex Sion;*<sup>2</sup> nam quod et nucem peperit, imago dominici corporis fuit. Nux enim trinam habet in sua unione substantiam; corium, testam et nucleus. Per corium, caro, per testam ossa, per nucleus, interior anima. Sed hic in corio nucis carnem significat Salvatoris, quae habuit in se asperitatem vel amaritudinem passionis; in nucleo, interior dulcedinem Deitatis, quae tribuit pastum, et luminis subministrat officium; in testa, lignum medium interserens crucis, quod non diserevit id quod intus et foris fuit, sed magis quae terrena et coelestia fuerant, mediatoris ligni interpositione sociavit, Apostolo dicente quia *pacificavit per sanguinem crucis suae, sive quae in coelo sunt, sive quae in terra.*<sup>3</sup> En, Iudaee, virga tua Virgo est nostra.

<sup>1</sup> Ps. CIX, 4.<sup>2</sup> Ps. CIX, 2.<sup>3</sup> Col. I, 20.

XXIV. Si quidem ethymologiam huius nominis retractemus, virgo quasi virga; a virga virgo. Iamque intelligent ipsa sibi convenire vocabula, cum unius litterae differentia, hoc videatur virgo sonare quod virga. Volunt autem nosse a virga Virginem designatam? Audiant quod Esaias hic dicat: *Exiet, inquit, virga de radice Iesse.*<sup>1</sup> Virga est de genere Iesse; Iesse pater David; ex genere David virga, quae virga Maria fuit. Neque enim de homine Iesse lignum, id est virga, potuit germinare. Non ergo de Iesse exivit virga, sed Virgo Maria, quae generi secundum carnem originique respondens, caro fuit quae virga fuit, sed virgo fuit, quae virgo concepit et peperit. Ac ne (non) putent \* de David fuisse praedictum, ratione temporis excludantur. Quando enim hoc Propheta dixit, iam David mortuus erat. *Exiet, inquit, virga de radice Iesse,* in quo futurum tempus non praeteritum designavit. *Exiet enim inquit, non «Exivit».* Denique quod sequitur auscultent: *Exiet virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.*<sup>2</sup> Flos iste caro est Domini, quae nata sine vitio humani seminis, florarentem per omnia pulchritudinem retinet societatis. *Et flos, inquit, de radice eius ascendet, et requiescat super eum Spiritus Domini.*<sup>3</sup> Super quem? Scilicet super florem. *Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis, et Spiritus timoris Domini replevit eum.* Non secundum gloriam iudicabit, neque secundum loqueland redarguet, sed iudicabit humili iudicio, et redarguet glriosos terrae. Et percutiet terram verbo oris sui, et spiritu per labia interficiet impium; eritque iustitia praecinctus lumbos suos, et veritate involutus latera.<sup>4</sup> Et paulo post: *Et erit, inquit, in illa die radix Iesse, et qui exurget princeps esse gentium, et in nomine eius omnes gentes sperabunt.*<sup>5</sup> O florem regem! O florem iudicem! Sicut ergo virga illa, non virga, sed Virgo est, sic et flos ille, non flos virgae, sed caro est. Quae florem quidem peperit, et ex genere carnis carnem emisit: sed originem peccati illa generatio non habuit; quia non ex viri semine natus extitit, sed de Spiritu sancto conceptus exivit. Virga ergo ista, Virgo est designata. Virga ergo potuit, ut diximus, sine semine parere, Virgo non potuit sine viri semine, incorrupta generare? Sed illud, inquiunt, fecit divina potentia. Et istud similiter divina est operata prudentia: illa quae in se continebat imaginem, haec quae perfectam exhiberet divini operis veritatem.

<sup>1</sup> Isa. XI, 1.<sup>2</sup> Isa XI, 1.<sup>3</sup> Isa. XI, 2.<sup>4</sup> Isa. XI, 2-5.<sup>5</sup> Isa. XI, 10.

chiele propheta monstrabo; quod praeterita die dominica lectitatum est, et ideo exinde aliquid dicere praetermisi, ut diei sacramenti expositio servaretur. *Et converti me*, inquit, *secundum portam viae sanctorum exterioris quae aspicit ad Orientem, et ipsa erat clausa. Et ait ad me Dominus: Porta haec clausa erit et non aperietur, et nemo transit per eam, quia Dominus Deus ipsius Israël ipse intrabit per eam, et exiet, et erit clausa.*<sup>1</sup> Redde mihi ergo rationem portae huius per quam intravit Dominus et exivit Deus, et non poterit nec introitus deprehendi, nec exitus. *Porta enim, inquit, haec erit clausa, et non aperietur, quia Dominus Deus ipsius Israël ipse introbit, et exiet, et \* erit clausa.*

\* 924

Sed porta haec, quam allegorice posuit, forsitan simpliciter porta creditur. Porta ista, ventris est ianua, pudoris est ostium. Hoc unde probamus? Dicat beatissimus Iob: *Maledictus, inquit, sit dies ille in quo natus sum, qui non clausit portam ventris matris meae, cum me pareret.*<sup>2</sup> Porta, inquit, ventris, exitus est pudoris, id est, venter et pudor Virginis, per quam nemo aliis nisi ipse qui intravit, et exivit. Intravit enim Deus, et exiit homo perfectus et non corruptus, nec clausam eam, cum intraret, aperuit, sed clausam, cum exiret, exhibuit quia ipse est qui *Quod aperit nemo claudit, et quod claudit, nemo aperit.*<sup>3</sup> Exurge igitur, Esaias, laetus exurge, et iunge Ezechiolo manus, et unito Spiritu in gloria dominicae Nativitatis applaudite. Illico beatus David occurrat cum cithara illa, spirituali plectro dulcisona, et in sacramento Nativitatis Christi retinniens non fidibus, sed mysteriis harmonia. Audiamus ergo quod Esaias propheta dicat: *Rorate coeli desuper, et nubes pluant Iustum; aperiatur terra et germinet Salvatorem.*<sup>4</sup> Quae est terra? Caro nostra, quae censematur virgo, Maria quae appellatur. *Et terra germinet Salvatorem;* non eget interprete. Non utique carnali semine, sed coelesti rore, et nubium non imbre, sed opere, quae descendenti in carne Domino non adiutorium, sed officium praebuerunt. Quod alibi David evidentius dicit: *Descendit quasi stillicidia rorantia super terram.*<sup>5</sup> Et iterum de hoc ipso: *Terra dabit fructum suum,*<sup>6</sup> quod specialiter Virginis refertur ad uterum. Et vere dedit *Fructum suum*, quia semen nescivit alienum.

XXVI. Qui hoc dubitas, exemplis fidem tuam credulitatemque conforta. Ecce enim in ipso primordio ex perfecto masculi corpore costa divellitur, et locus avulsi membra nulla in parte corporis inve-

<sup>1</sup> Ezech. XLIV, 1-2.

<sup>2</sup> Iob. III, 3 et 10.

<sup>3</sup> Apoc. III, 7.

<sup>4</sup> Isa. XLV, 8.

<sup>5</sup> Ps. LXXI, 6.

<sup>6</sup> Ps. LXXXIV, 13.

nitur; minus fit unum, plenum sed totum est. Nullum in corpore indicium cernitur cicatricis, nec vestigium avulsionis appetit. Exit costa de latere, et corpus non caret plenitudine. Perfectum est quod exit, integrum quod amisit. Et ut amplius praesumam, absque passionis iniuria, virile corpus costa ex sese quodam modo generavit; extititque corpus lucrum, quod matri suae non intulit detrimentum. Potuit ergo e latere hominis costam divina virtus educere, et nulla corpus vexari corruptione: ex Virginis utero procedens Deus, integritatem non potuit custodire? Et utique ipsum Dei Filium hoc operatum in primoplasto, \* nullus tamen stultus, nisi iudeus, impudenter abiurat. Quale ergo est ut quod fecit in origine, cum formaret mulierem, non potuerit operari cum nasceretur ex Virgine? Aut quod in corpore hominis non permisit agnosciri, quomodo pateretur in matris suae pudore deprehendi? Sed *Replevit*, inquis, *in locum eius carnem*,<sup>1</sup> et non prodidit passionem. Sic ex utero procedens Verbum habuit exitum, sed non diripuit pudorem, nec signum ibi reliquit corruptio- nis, ubi opus intererat incomparandae virtutis. Ostende denique mihi quemadmodum in locum costae repleverit carnem, et ego tibi exhibebo quemadmodum exierit de utero, et non reliquerit passio- nem. Sed profecto illud monstrare non poteris; quia quod virtute perfectum est, investigare non sineris: ita ergo et corruptelam Virginis affirmare non poteris, quia clausum Deus esse voluit quod inquiris.

XXVII. Exurge ergo in laudes Domini, Christiane, laetus exurge. Ecclesiam Dei, templum Christi, domum Spiritus sancti sonoris imple praeconiis. Intra in stabulum Creatoris, frequenta praesepium Salvatoris, et aeterni pastoris deosculare pannos: cunas amplectere. Veni, compone mecum laudes ad foetam nostram, Virginem sanctam, matrem veram, non ex partu marcidam, sed de pudoris integritate formosam. Lauda cum coelis, lauda cum Angelis, lauda cum Virtutibus universis, lauda cum terrenis et inferis elementis; et ne desinas, ne quiescas dicere gloriam Salvatoris: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.*<sup>2</sup>

<sup>1</sup> Gen. II, 21.

<sup>2</sup> Le. II, 14.- Sermones *Caillau-Saint-Yves* 1, 9; 1, 10; 1, 11; 1, 13; 1, 14; 1, 15; 1, 16; 1, 17 (PLS II, 925-944) sunt aetatis recentioris, etsi servantur in Codice Casinensi 12 cum multis sermonibus antiquis, iuxta opinionem G. Morin; cf. PLS II, 865-866.

## SERMO CCCLXXII

<sup>PL</sup>  
<sup>39, 1662</sup> Cap. I, 2. [...] *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas.*<sup>1</sup> Processit enim hodie de sacro thalamo, hoc est, beatorum virgineorum viscerum abdito incorrupto secreto. Processit inde virginis filius, virginis sponsus: filius videlicet Mariae, sponsus Ecclesiae. Universae enim Ecclesiae loquebatur Apostolus, quando dicebat: *Aptavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.*<sup>2</sup>

SERMO XCII<sup>3</sup>

<sup>PL</sup>  
<sup>39, 1923</sup> 3. Vocatur Salvator ad nuptias; hoc est, Ecclesiae voto Spiritus sanctus invocatur. Venit cum discipulis suis, id est in hoc loco, turba sanctorum. Quid dici apertius potest? Mirabilia Dei Maria mater exspectabat, hoc est, virtutem Christi exspectat Ecclesia: appropinquare compellit; ait enim Maria, *Ecce vina deficiunt:* id est, quare populus iam non invenit remedium? Maria Deum probare festinat; vinum Ecclesia optat excipere; ut fiat ex nuptiali prandio spirituale convivium. Dicit enim, *Quid mihi et tibi est, mulier?*<sup>4</sup> Numquid mulierem dicit Mariam, quae virgo post partum inventa est? Sed Ecclesiam, quae non solum mulier, sed etiam meretrix nuncupatur, quae errantem populum et per aevum et lubricam aetatem lascivum, tanquam prostitutam suscepit sponsam, et quasi docta mater adornat. *Nondum,* inquit, *venit hora mea:* hoc est, passionis tempus superest. *Nondum venit hora mea;* nondum populus credidit, nondum Iudaeus insequitur: adhuc habet diabolus unde laetetur, adhuc triumphi mei palma non proditur, adhuc locum crucis persecuturus ignorat, ac neendum Iudas mentitur. *Nondum venit hora mea:* sunt prius quae purgantur in saeculo; et sic vita proficit in populo.

SERMO CXXI<sup>5</sup>

<sup>PL</sup>  
<sup>39, 1988</sup> 3. [...] Fecit gravidam virginem ipse, qui erat nasciturus ex virgine. Expavit in partu suo subito mater: Deus per angelum loquebatur, et virgo auribus impraegnabatur. Audiat omnis aetas quod

<sup>1</sup> Ps. XVIII, 6.

<sup>2</sup> II Cor. XI, 2.

<sup>3</sup> In Appendice op. sermo hic nunc primum collocatur. Dubium Lovanienses relinquunt, supposititum asserunt Verlinus et Vindingus. Auctor non putat Mariam dici mulierem: contra vero Augustinus in Sermone LII, 10 et alibi (*Maurini*).

<sup>4</sup> Io. II, 4.

<sup>5</sup> Cf. PLS II, 846-847.

1001

1002

1003

nunquam audivit. Virgo partu suo nupsit, virginitatem dum pareret duplicavit, filium quem genuit adoravit.

**1004** 4. Probat virtutem Domini ordo nascendi. Concipit virgo virilis PL 39, 1988  
ignara consortii: impletur uterus nullo humano pollutus amplexu. Vilde miraculum matris Dominici corporis. Virgo concipit, virgo gravida, virgo cum parturit, virgo post partum. Praeclara ergo illa virginitas, et gloria fecunditas Virtus mundi nascitur; et nullus parientis est gemitus: vacuatur uterus, infans excipitur; nec tamen virginitas violatur. Fas enim erat, ut Domino ex virgine secundum carnem nascente meritum cresceret castitatis; ne per eius adventum violarentur integra, qui veniebat sanare corrupta. Nascitur ergo puer, ponitur in praesepio (haec sunt enim Domini prima cunabula, nec regnator coeli has dignatur angustias): stat Maria, et matrem se laeta miratur, et de Spiritu sancto protulisse se gaudet: nec quia peperit innupta, terretur, sed quia genuerit, cum exultatione miratur. Nam cum saeculo debitus Salvatoris properaret adventus, ad Mariam virginem venit Spiritus sanctus, ut fuerat ab angelo ante praedictum dicente, *Spiritus sanctus venit super te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque et quod nascetur ex te Sanc-tum, vocabitur Filius Dei.*<sup>1</sup>

**1005** 5. Et quoniam eum secundum carnem natum ex virgine diximus, nunc ea quae spiritualiter sentire possumus, disseramus. Videamus ergo quae est illa Virgo tam sancta, ad quam Spiritus sanctus venire dignatus est: quae tam speciosa, quam Deus elegit sponsam: quae tam copiosa, cuius generationem cunctus orbis excipiat: quae tam casta, ut possit virgo esse post partum. Nonne in figura Mariae typum videmus esse sanctae Ecclesiae? Ad hanc utique sanctus descendit Spiritus; huic virtus obumbravit Altissimi, hinc potens virtute Christus egreditur. Haec est immaculata concubitu, fecunda partu, virgo castitate: haec concipit non viro, sed Spiritu; haec parit non dolore, sed gaudio; haec nutrit non ubere corporis, sed lacte doctoris. Haec est igitur sponsa Christi et gentium mater, quae se plenam miratur, et fetam laetatur. In hac ergo die qua Salvator nascitur, splendor lucis augetur, tenebrarum caligo minuitur. PL 39, 1989

### SERMO CXXIII<sup>2</sup>

**1006** 1. [...] Et quoniam diabolus per serpentem Evaē locutus, per Evaē aures mundo\* intulit mortem; Deus per angelum ad Mariam protulit verbum, et cunctis saeculis vitam effudit, angelus sermonem elecit,

PL 39, 1990  
\*1991

<sup>1</sup> Lc. I, 35.

<sup>2</sup> Sermo antiquus, cf. PLS II, 847.

et Christum Virgo concepit. O coniunctio sine sordibus facta, ubi maritus sermo est et uxor auricula! Hoc splendore concipitur Dei Filius, haec munditia generatur. Nulla fieri potuit gravedo concipienti, nulla tristitia parturienti: qui enim venerat triste laetificare saeculum, ventris non constristavit hospitium. De coelis medicus transiens per virginem, post transitum suum illaesam fecit virginem permanere: qui enim disrupta corporum membra in aliis poterat redintegrare tangendo, quanto magis in sua matre quod invenit integrum, potuit non violare nascendo? Crevit enim in eius partu integritas corporis potius quam decrevit, et virginitas ampliata est potius quam fugata. In angusti corporis membro sustinuit, quidquid sustinent coeli. Plena sunt viscera; et nullum novit Virginis conscientia. Cum esset gravida, salubri levitate plaudebat: lumen enim quod intra se habebat, pondus habere non poterat.

PL 39, 1991 2. Facta est Maria fenestra coeli, quia per ipsam Deus verum fudit saeculis lumen. Facta est Maria scala coelestis; quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines ascendere mererentur ad coelos: ipsis enim licebit ascendere illuc, qui Deum crediderint ad terras per virginem Mariam descendisse. Facta est Maria restauratio feminarum: quia per ipsam a ruina primae maledictionis probantur esse subtractae. Tria denique mala Eva a tribus bonis Mariae probantur exclusa. Nam Eva dictum est, *In doloribus et in tristitia paries; et ad virum conversio tua, et ipse dominabitur tui.*<sup>1</sup> Tribus ergo his malis se subiugant feminae quae Mariam non sequuntur, dolori, tristitiae, servituti. Maria autem e contrario quam praeclarissimis tribus bonis sublimetur ausulta, salutationis angelicae, benedictionis divinae, et plenitudinis gratiae. Sic enim eam legitur angelus salutasse: *Ave, Maria, gratia plena, benedicta tu inter mulieres.*<sup>2</sup> Cum dixisset *Ave*, salutationem illi coelestem exhibuit: cum dixit, *Gratia plena*, ostendit ex integro iram exclusam primae sententiae, et plenam benedictionis gratiam restitutam: cum dixit, *Benedicta tu inter mulieres*, virginitatis eius benedictum fructum expressit; ut ex eo benedicta dicatur inter mulieres, quaecumque perseveraverit virgo. *Benedicta tu inter mulieres*; maledicta enim Eva fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionis gloriam remeasse.

1007

3. Venite, virgines, ad virginem, et laetamini. Deponite maledictionem praevaricationis, et benedictionem restaurationis assumite. Proiicite dolores quos Eva per serpentem accepit; et quos per angelum Maria suscepit, honores assumite. Pellite tristitiam concipientis,

<sup>1</sup> Gen. III, 16.

<sup>2</sup> Lc. I, 28.

gemitus parturientis abiicite, ut solus vobis iste virginis Filius dominetur. Venite, virgines, ad virginem; venite, concipientes ad concipientem; venite, parientes, ad parientem; venite, matres, ad matrem; venite, lactantes, ad lactantem; venite, iuvenculae, ad iuvenculam. Ideo omnes istos cursus naturae virgo Maria in Domino nostro Iesu Christo suscepit, ut omnibus ad se confugientibus feminis subveniret: et sic restauraret omne genus feminarum ad se venientium nova Eva servando virginitatem; sicut omne genus virorum Adam novus recuperat Dominus Iesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto unus Deus vivit et regnat, etc.

SERMO CXXV<sup>1</sup>

- 1008**     1. [...] O sacrum et coeleste mysterium in nativitate Domini! PL  
Concepit virgo antequam sponsum haberet, parit antequam nubat; et 39, 1993  
quod ad laudem pertinet nominis Domini, et mater et virgo coepit esse post partum. Virgo enim concepit, virgo peperit, virgo post partum illibata permansit. Quem cum portaret, timuit; cum pareret, adoravit: quem cum peperisset, minor erat mater quam filius.
- 1009**     2. Grande nobis mysterium divina maiestas in Adae figura praemisit. Sicut enim Deus noster cum primum Adam facere vellet, non ex coniunctione viri aut mulieris hominem ut esset effecit; sed accipiens terram, unde hominem facit, divina quadam arte formavit: ita sine viri coniunctione Deum in virginali alvo incorporari dispensavit. Ergo si tunc licuit hominem sine homine nasci, cur non licuit hominem sine homine per Mariam virginem procreari? Quoniam sicut Adam ex terra virgine figuratus est, ita et Christus ex virgine natus agnoscitur. Ibi tunc fatus Dei de terra vivum hominem surgere fecit ad vitam: hie mundo Spiritus sanctus de Maria virgine Christum hominem figuravit, in quo Deus ad reparationem hominis habitaret.
- 1010**     3. Sed quare Deus noster nascendo per Virginem, nos sic voluit reformare ad vitam? Ut quia per mulierem in hunc mundum mors intravit, salus per Virginem redderetur. PL  
39, 1993

SERMO CXXVI<sup>2</sup>

- 1011**     1. Veneranda nativitas Salvatoris, qui natus in carne est, humilitatis est instrumentum, pietatis mysterium, et aeternae spei remedium manifestum. Hac die est natus ex virgine matre, qui ante sae-

<sup>1</sup> In appendice nunc primum collocatur. Lovaniensibus dubius, spurius Verlino et Vindingo videbatur. Non sapit Augustinum; habet vera nonnihil ex Ambrosio in Lucam (*Maurini*).

<sup>2</sup> In appendice op. Sermo antiquus. Cf. PLS II, 847.

cula aeternus est genitus ex Deo Patre. In illa nativitate ex impossibili nascitur Genitore; in ista ex incorrupta natus est virgine. Illam solus Pater scivit ipse qui genuit, hanc in se sola Virgo et mater intemerata cognovit, quae virum in concipiendo non pertulit. In Patre impassibilitas, in matre incorruptibilitas; in Patre perpetua divinitas, in matre aeterna virginitas. Sic enim ad eam Dominus loquitur per prophetam, *Et despōsabo te mihi in aeternū*.<sup>1</sup> Semper ergo virgo est, quae semper sponsa est: et quae vocabulo sponsae non caruit, in aeternū virgo permansit. *Et despōsabo te,* inquit, *mihi in aeternū*; quia quae sponsa aeterna dicitur, aeterna virgo probatur. Ex Patre invisibiliter, ex matre visibiliter; sed incomparabiliter ex Patre, atque incomparabiliter ex matre: quia incorruptibiliter in illa nativitate Patrem Deum habet sine homine matre; in ista matrem habet virginem, sed hominem non habet patrem. In illa coaeternus est Patris, et coaeternus auctoris: in ista filius est virginis, et auctor est matris. Ipse enim formavit uterum qui descendit in uterum; exiit de utero, et non corrupit uterum: ut qui Deum Patrem habet in coelis, virginem matrem haberet in terris. In illo sine tempore genitus, in ista in fine temporum natus. In illo nascitur sine fine, in ista concipitur sine semine. In illo sine initio generationis, in ista sub conditione Legis et carnis.

DE ASCENSIONE DOMINI II<sup>2</sup>

<sup>PLS</sup>  
<sup>II, 1022</sup> III. Cur igitur non credis, o Manichaea obscoenitas, potuisse parere Virginem, nisi quia religio tua non recipit sanctitatem! Evangelium autem dicit quia *inventa est Maria in utero habens de Spiritu sancto*.<sup>3</sup> Si igitur corruptionem, paganissime, in partu Virginis formidasti, et ideo Christum natum ex foemina credere noluisti, redde mihi nunc rationem, ex quo semine cuncta animalia terra concepit, cum in suis principiis naturas, formas et species singulas parturiret. Dic unde mare factum est, ut ex eo aves variae et diversa natantia prorupissent? Si igitur natura mundi gravida iussu Dei virgo parere potuit, ac nullum ibi signum corruptionis accessit, sed sine semibus semina fecit, cur terram illam sanctam, id est Virginem Mariam, ex qua Iesus et nasci voluit et exire, non credis in visceribus suis sine viro potuisse concipere, et sine corruptionis vitio generare? Itane vero Christus in Matre sua servare non potuit, quod in terra perfecit?

<sup>1</sup> Osee II, 19.<sup>2</sup> Sermo Caillau-Saint-Yves 1, App. 6, defluxit e Petri Chrysologi sermone 145, in PL 58, 588; cf. PLS III, 865.<sup>3</sup> Matth. I, 18.

Fuge, fuge omnino suspicionem corruptionis, ubi audis praesentiam maiestatis. Dicit enim Angelus ad Mariam: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; propterea quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>1</sup>

### DE PENTECOSTE I<sup>2</sup>

- 1013 1. [...] *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, genitum ex Virgine, Misit Deus Filium suum factum sub lege, ut eos redimeret qui deliquerant sub lege.*<sup>3</sup> Ex Mariae, inquit, procedens utero, ille cuius a summo coeli egressio<sup>4</sup> tribuit matri Virgini grande munus, dum partu intactus ipsius permansit alvus, et usque ad finem saeculi Virgo appellatur in gentibus.

### IN NATALI DOMINI XVIII<sup>5</sup>

- 1014 II. [...] Vox Patris per Prophetam: *Eructavit cor meum verbum bonum.*<sup>6</sup> Audite, fratres, eructantis cordis verbum bonum. Audite angelum Gabrielem sanctissimae Virgini Mariae dotalium pactiōnum divina iura dictantem. Audite, inquam, regalis throni praeconem benedictae conceptionis et partus aeternitatis Regis mysterium pollicentem. *Missus est enim angelus Gabriel a Domino in Galilaeam ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen virginis, Maria.* Introivit et ait ei: *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.*<sup>7</sup> Et obstupuit Maria ad introitum eius, quod sic benedixerit eam. Et obstupenti Angelus ait ei: *Ne timueris, Maria, invenisti gratiam apud Dominum; ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Emmanuel, quod interpretatur, Nobiscum Deus. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit ei Dominus sedem David patris sui, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis.*<sup>8</sup> Ecce audivit Maria, credidit, concepit et peperit. Audivit verbum, credidit fide, concepit sensu, et peperit lege naturae.

- 1015 IV. [...] *Eructavit, inquit, cor meum verbum bonum.* Et quid est hoc

PLS  
II, 1041

<sup>1</sup> Lc. I, 35.

<sup>2</sup> Sermo hic (*Caillau-Saint-Yves* 1, App. 7) antiquus est, in Africa ortus, quem cognoscebat Auctor sermonis *Maurini* app. 245; cf. PLS II, 865.

<sup>3</sup> Gal. IV, 4-5.

<sup>4</sup> Ps. XVIII, 7.

<sup>5</sup> Sermo hic (*Caillau-Saint-Yves* 2, 26) antiquus est et in homiliario Alani servatur (hom. 1, 10 f); cf. PLS II, 871.

<sup>6</sup> Ps. XLIV, 2.

<sup>7</sup> Lc. I, 26, 28.

<sup>8</sup> Lc. I, 30-33.

verbum? Sponsus ille castus, de casto thalamo proditurus, de castitate natus, castitatem virginis servaturus. E thalamo processit, ad Angelum venit, Angelo quoque eructante verbum, castimoniam ad virginem detulit. Castus ergo pater, castus sponsus, casta mater, castus filius; castas nuptias interpres fecit Spiritus sanctus. Sic esse Maria credendo, quod fuerat, meruit. Hoc illi et in ipsa conceptione Dominus servavit; hoc etiam pariendo non perdidit, quod Domino iam nato permansit, qui eidem matri et munus foecunditatis attulit conceptus, et decus virginitatis non abstulit natus de Spiritu sancto et Maria Virgine, et regnat cum Patre in saecula saeculorum.

IN NATALI DOMINI XIX<sup>1</sup>

PLS II, 1042 I. [...] *Tu, Domine, tu dedisti in manu servi tui salutem hanc magnam, et ecce siti morior.*<sup>2</sup> Et aperuit Deus rimam maxillae, et exivit ab illa aqua, et accepit et satiatus est. O maxilla, nunc homicidiis cruenta, nunc virtute foecunda! Illic hostium fudit sanguinem, hic salutiferum profudit fontem. Maxilla vero asini mortui potuit contra naturam fontem emittere, et Maxillae usque in hodiernum diem vocabulo nuncupari; Maria beata pariens Dei Filium, virgo non potuit permanere, et contra iura lactare? Maxilla ergo ex virtute divina elicuit, quod natura non habuit, et Maria per eamdem virtutem lac, quod corpus habere potuit, proferre non debuit? Maxilla autem manavit fontem, Maria peperit Salvatorem. Divina virtus quae aquam eduxit ex osse mortuo, carnem proferre non potuit ex homine vivo? Taceat igitur infidelitas, et in suis mussitationibus conquiescat. Eadem virtus quae foecundavit maxillam mortui pecudis, lacteum fontem uberibus infudit intactae matris et virginis ex Unigeniti potestate nascentis.

II. Dicito mihi, dicito, qui parienti et lactanti virgini ex lege naturae praescribis, Sara beata, nonagenaria unde peperit, unde lactavit! Iam enim officium suum duplice vulva perdidera; et senex, et sterilis muliebria non habebat. Dicit enim Scriptura: *Defecerant Sarrae fieri muliebria.*<sup>3</sup> Et tamen, quando Deus voluit, concepit, et peperit, et puerpera sterilis filium in senectute lactavit. Sara hoc a Deo meruit; Maria paritura adipisci non debuit? Quod exhibuit virtus in anicula et fessa, exhibere non debuit in Virgine? Aut qui foecundavit matrem decrepitam, foecundare non potuit veram virginem, matrem novam?

<sup>1</sup> Sermo hic antiquus est (*Caillau-Saint-Yves* 2, 27); cf. PLS II, 871.

<sup>2</sup> Iudic. XV, 18.

<sup>3</sup> Gen. XVIII, 11.

1017

III. Sed nos ad prophetiae testimonium redeamus. Dicit enim Isaias: *Ecce Dominus sedet super nubem levem, et venit in Aegyptum, et commovebuntur ante faciem eius manufacta Aegyptiorum, et cadent in terram.*<sup>1</sup> *Sedet*, inquit, *super nubem levem*; dicit Christi carnem quae portabat Dominum, et Deum in se celabat inclusum, sed in virtutibus manifestum. Nam et sol iste quem videmus, aliquoties celatur nubibus, et cum luceat sibi, non lucet tibi. Sol autem aeternus celabatur nube carnis, sed tamen et sibi lucebat et nobis, *Super nubem, levem*; et merito, quia pondus peccati non habuit, quod aggravat omnem carnem. Quia sicut nubes gravantur aquis, ita et caro gravatur peccatis. Quae enim peccatrix est ad terrena \* et inferna deprimit, quae vero sancta est, ad sidera et coelestia sublevatur. Merito enim nubem levem dicit Christi carnem, quae nescivit habere successionis peccataricis originem, sed ipsam massam eluit peccataricem. Licet possimus dicere item ipsam beatam virginem sanctam et matrem Dei Mariam, dici nubem levem; quae mente et corpore tota fuit praedita sanctitate, siquidem Dominus de sanetis suis hoc dixerit, vel Propheta: *Qui sunt isti qui ut nubes volant.*<sup>2</sup> Ipsa enim virgo Mater Domini Maria nubes levis fuit, quae infantem Dominum collo humerisque portavit, et fugiens in Aegyptum cum filio fugitivo pervenit, ut impleretur quod scriptum est: *Ex Aegypto vocavi Filium meum.*<sup>3</sup>

PLS  
II, 1042

\* 1043

1018

IV. Videte interea, fratres, nativitatem Domini in rerum mutatione, et in sacramento intelligentiae novitatem. Virgo concepit, virgo peperit, virgo lactavit, et virgo permansit. Nata caro est sine semine carnis, nihil admittit corruptionis, ubi intererat origo virtutis. Primus homo, suasu virginis, cecidit; secundus homo, consensu virginis, triumphavit. Per foeminam diabolus introduxit mortem; per foeminam Dominus introduxit vitam. Angelus quandam malus seduxit Eam; Angelus aequo bonus hortatus est Mariam. Eva credidit, ut perderet virum suum; Maria, ut uterum suum dignum Dei Filio pararet habitaculum; ut quem habebat Dominum, haberet et filium. Verbo Eva periit; Verbo aequo se Maria commisit, et quod perierat, reparavit. Eva quod male credidit, Maria bene credendo delevit. A muliere initium peccati, et propter hanc morimur omnes; a muliere initium fidei, et propter hanc in vita perpetua reparamur.

PLS  
II, 1043<sup>1</sup> Isa. XIX, 1<sup>2</sup> Isa. LX, 8.<sup>3</sup> Osee XI, 1.

IN NATALI DOMINI XX<sup>1</sup>

- <sup>PLS</sup>  
<sup>II, 1044</sup> I. [...] *Laetentur coeli, et exultet terra*,<sup>2</sup> quia descendit verus archi-  
tectus instaurare mundi ruinam, ut quod fuerat per Evam male ve-  
xatum, per Mariam fieret reparatum. Mulier olim perdiderat mun-  
dum, et Maria portat in utero coelum. Illa gustavit de ligno, tradi-  
dit viro, et intulit mortem, et haec generare meruit Salvatorem. 1019
- <sup>PLS</sup>  
<sup>II, 1044</sup> II. Advenit, sicut audistis, Gabriel angelus ad pudicam Virginem,  
et ait ad eam: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter  
mulieres*,<sup>3</sup> quia uterus tuus effectus est domus Filii Dei. Expavescit  
ad angelicum introitum; audit mysterium, et tractat negotium: *Quo-  
modo, inquit, fiet istud, quia virum non cognosco?*<sup>4</sup> De consuetudine  
dico humani generis, et non de virtute dubito maiestatis. Illud corde  
volvo, quia virgo decrevi permanere; et quomodo sine marito potero  
filium generare? Non ita, Maria; non sic paries quomodo caeterae  
foeminae. Tu ita filium generabis, ut nunquam amittas castitatem,  
quae ipsam portare mereberis Deitatem. *Spiritus sanctus superveniet  
in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*;<sup>5</sup> quia venter tuus palantium  
factus est Spiritus sancti. Et illa, ubi coeleste audivit pactum, nuntio  
praebet auditum, et meruit illico intra cameram ventris habere ho-  
spitem Deum. *Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum ver-  
bum tuum.*<sup>6</sup> Repletur ambitus uteri; concluditur intra humani cor-  
poris metas tota maiestas. Efficitur filius, protector, habitator et  
custos. Advenit et iam tempus pariendi; generat filium Maria, et  
castitatis clausa permanet porta. Procedit proles magnifici germinis,  
et pudor perseverat integer castitatis. Nullus fuit gemitus parienti,  
quia partum suscepserat coeli. Hodie laetantes exercitus Angelorum  
canunt: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae volun-  
tatis*,<sup>7</sup> quia foecundatus est uterus virginalis. 1020

<sup>1</sup> Sermo Caillau-Saint-Yves 2, 28, antiquus est; cf. PLS II, 871.

<sup>2</sup> Ps. XCV, 11.

<sup>3</sup> Le. I, 28 et 42.

<sup>4</sup> Le. I, 34.

<sup>5</sup> Le. I, 35.

<sup>6</sup> Le. I, 38.

<sup>7</sup> Le. II, 14.

DE EPIPHANIA DOMINI II<sup>1</sup>

**1021** I. [...] Deus enim ubique semperque mirabilis. Nostris itaque pul-  
veribus siccis, id est, sine iustitia animis, Verbum divinitatis, tanquam  
imbrem coelestem, Gedeonicis signis, castissimae Virginis lanam  
compluit ovis. Etenim, sicut nostis miraculum Gedeonis, tunc area  
sicca erat, in qua positum vellus laneum in area sicca complutum  
madebat. Nunc vero mirabilius pectus Virginis tanquam vellus la-  
neum lactem fundebat, et caro Virginis tanquam area sicca fontem  
masculi nesciebat.

PLS  
II, 1045

II. Merito ergo inter omnes puellas Maria sancta una est et sola,  
ideoque Agnum immaculatum tanquam ros de vellere, de ove vir-  
gine generatum Angelus praecognovit, pastor osculavit, stella mon-  
stravit, et ovem virginem foetam Herodes gemmatus expavit, et  
Magus aureus adoravit; et quoniam Mariam castam ad ovem com-  
paravimus sanctam, eiusque Filium agnum diximus immaculatum,  
iuxta Ioannis Evangelium, in quo ait: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit  
peccata mundi.*<sup>2</sup>

**1022** VI. Attamen, Iacob magne, in tribus magnis viris ore Dei lau-  
datus es: *Ego sum*, inquit, *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus  
Iacob.*<sup>3</sup> Unum est ultimum quod postulo a te: Confer mecum, queso,  
cum patientia tempora tua, et tempora nostra, quia ampliore gratia  
dilata sunt tempora nostra, quam tempora tua. Ecce nunc melior  
est ovis nostra, Virgo Maria, quam ovis tua. Meliora ergo sunt tem-  
pora nostra, quia sine masculo impregnata est Virgo nostra; et quoniam  
sine masculo est Virgo sancta mirabiliter impregnata, ideo  
hodie muneribus Magorum est in Christo adorata.

PLS  
II, 1048DE EPIPHANIA DOMINI IX<sup>4</sup>

**1023** I. Descripsimus ante dies Dominum nostrum Iesum Christum ultra  
conditionem humani generis atque naturam, virginali utero fuisse pro-  
genitum, et hoc illi specialiter fuisse delatum, ut qui erat mirabilia  
multa facturus, statim a mirabilibus inchoaret; scilicet ut homines  
facilius crederent signis eius atque virtutibus, cum vidissent eius in  
nascendo virtutem. Quid enim iam natus et vir praestare non possit,  
qui matri virginitatem potuit conferre non natus? Maria enim ante

PLS  
II, 1061<sup>1</sup> Sermo antiquus (*Caillau-Saint-Yves*, 2, 36); cf. PLS II, 872.<sup>2</sup> Io. I, 29.<sup>3</sup> Exod. III, 6.<sup>4</sup> Sermo *Caillau-Saint-Yves* 2, 43.

partum fuit praegnans, et virgo post partum duravit, mater et virgo. Et ne forte mirum sit vobis quod dixi, etiam post partum virginem Mariam permansisse, una atque eadem ratio est. Cum enim Dominus ab ea sine corporis corruptela conceptus est... Nam quod ita Salvator secreta soleat penetrare, ut claustra non violet, habemus exemplum. Legimus in Evangelio, quod cum Apostoli propter metum iudeorum clausis in cubiculo ianuis residerent, subito Jesus Christus astiterit, et ita introierit, ut hospitii portas minime reseraret. Si igitur per solidam grossamque materiem ita se infudit, ut portas ianuae non moveret; quanto magis per carnis subtilem patulamque natram, ita ingressus egressusque est, ut membrorum secreta non laederet.

DE PASSIONE DOMINI II<sup>1</sup>

<sup>PLS</sup>  
<sup>II, 1120</sup> II. [...] Ex carne quippe humana sine peccati delectatione conceptus ab immaculatae matris utero exiit alienus a culpa, et ab omni peccati iugo factus est liber. 1024

DE LIGNO CRUCIS ET DE LATRONE IN SABBATO SANCTO<sup>2</sup>

<sup>PLS</sup>  
<sup>II, 1132</sup> 1. Fratres carissimi. In primordio ex virginis terrae limo factus est homo; sed postquam prævaricatione propria serpentis veneno per mulierem deceptus perdidit vitam, per virginem Mariam et regnum recepit et vitam. 1025

DE OCTAVA PASCHÆ<sup>3</sup>

<sup>PLS</sup>  
<sup>II, 1141</sup> Venit ergo, inquit, *Iesus ianuis clausis*.<sup>4</sup> Est quod nos quoque cum Thoma dubitemus, nisi facti respiciamus auctorem. Sed si Deum esse, de quo loquimur, cogitemus, cui nihil invium, cui humanum quoque pectus pervium confitemur; nulla prorsus dubitatione tenebimur, quominus hoc idem corpus clausis introductum est ostiis, sicut clausis et incorruptis virginis matris eductum visceribus genitalibusque credamus. 1026

<sup>1</sup> Sermo *Caillau-Saint-Yves* 2, App. 38, africanus atque antiquus; cf. PLS II, 872.

<sup>2</sup> Sermo *Mai* 33; cf. PLS II, 883.

<sup>3</sup> Sermo *Mai* 42, in Africa, Vandalis in Christianos saevientibus, conscriptus est; cf. PLS II, 884.

<sup>4</sup> Io. XX, 26.

DE NATALI S. IOHANNIS BAPTISTAE [I]<sup>1</sup>

1027 2. [...] Unde \* inquit, *hoc mihi ut mater Domini mei veniat ad me?*<sup>2</sup> Magna humilitas, Fratres mei! Mater Salvatoris venit ad matrem Praecursoris. Salutabat Christum Iohannes, et ambo non videbantur in carne. Christus enim in utero Mariae hospitatatur, et Iohannes in ventre Elisabeth portabatur. Denique et ipsa vox prophethica ex persona Christi cecinit dicens: *Prius quam te formarem in utero novi te, et ante quam exires de ventre sanctificari te, et prophetam in gentibus posui te.*<sup>3</sup> Beatae sunt talium matres, quae sanctorum factae sunt genetrices! Et beatae semper erunt, quae talium matres dici meruerunt!

PLS  
II, 1145  
\* 1146

3. Agnoscamus itaque amborum nativitates, et discernamus singulorum admirabiles generationes: iste de sterili, ille de virgine: sterilitas conversa est in fecunditatem, virginitas mansit post fecunditatem: sterilis genuit praeconem, virgo genuit iudicem. Elisabeth genuit Iohannem baptizatorem, Maria peperit Christum salvatorem.

DE NATALI DOMINI [I]<sup>4</sup>

1028 3. Sed quia non desunt haeretici, qui dicunt non potuisse fieri ut Christus de Maria nasceretur, asserentes cum sint immundi, quod illa pars corporis fuerit turpis; quod si etiam aliquid ibi fuisset immundiciae sua praesentia Dominus purificaret; attendat caritas vestra, Fratres, solem ubique esse, radios suos mittentem in sordibus, in cloacis, in locis etiam squalidissimis. Ecce coram oculis nostris sol iste visibilis mittit radium suum in cloacis; cloaca seccatur, radius autem solis non coinquinatur. Audi etiam aliam similitudinem, immente haeretice. Anima tua impia infidelis et tenebrosa, quae ista sibi confignit, credens spiritibus erroris; ubi est anima tua? Responde mihi, ubi est anima tua? Nunquid tantum in capite, in manibus, in oculis, et non etiam in intestinis tuis, ubi sunt stercora tua? Stulte, stulte, anima tua non coinquinatur ab stercore tuo; et Deus inquirari potuit ab opere suo?

PLS  
II, 1185

4. Sunt etiam qui dicunt, quod sancta Maria habuerit filios ex Ioseph post partum Domini; quod nefas est credere. His breviter

<sup>1</sup> Sermo Mai 45; cf. PLS II, 884.

<sup>2</sup> Lc. I, 43.

<sup>3</sup> Ier. I, 5.

<sup>4</sup> Sermo Mai 76; §§ 3-4 huius sermonis defluxerunt ex antiquiore sermone africano; cf. PLS II, 886.

respondemus. Genitalia, ex quibus in mundum progredimur, portae dicuntur; nec tantum dicuntur, sed etiam scribuntur. Sanctus enim Iob sic dicit de die nativitatis suae: *qui non clausit portas ventris matris meae, ne me pareret.*<sup>1</sup> Iam videte, Fratres, quomodo porta, per quam ingressus est Dominus, semper fuerit clausa. Sie dicit Ezechiel propheta: *converti me, inquit, ad viam portae sanctuarii exterioris, quae respiciebat ad orientem, et haec erat clausa. Et dixit Dominus ad me: porta haec, quam vides, clausa erit, et non aperietur; vir non transibit per eam, quoniam dominus Deus Israhel ingressus est per eam, et semper erit clausa.*<sup>2</sup> Ecce ubi evidenter ostendit nobis, quia sancta Maria semper virgo fuerit, virgo permanerit, virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum. Concepit, et virgo est. Maria sancta, o haeretice, mater esse potuit, mulier esse non potuit. Intumescent ubera virginis, et intacta manent genitalia matris. Utique corrumphi non potuit, quae integritatem genuit. Magnum meritum! Magnum donum! Magna gratia! Ancilla peperit Dominum, creatura peperit creatorem, filia peperit patrem: filia est divinitatis, mater humanitatis, quia *Verbum caro factum est et habitavit in nobis.*<sup>3</sup>

DE NATALI DOMINI [II]<sup>4</sup>

PLS II, 1189 3. Talis igitur virgo devoto scilicet mundo, quae tantum habebat meritum, ut Dei filium in semet ipsa susciperet, et post partum omnimodo virgo permaneret. *Ave, inquit angelus, Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres: quia ecce concipies, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*<sup>5</sup> Virginitatis iura servabis; filium habebis, et nomen virginis non amittes. Tanta est enim illa divina \* potentia, ut et matrem reddat fecundam, et virginem servet illaesam. Ideo benedicta tu inter mulieres, quia ex Spiritu sancto concipies, ubi non est carnalis maritus, sed divina dignoscitur virtus: lactabis infantem proprium creatorem: sucum porrigis lactis, et cibis caelestibus satiaris: pannis involvis puerum, qui tibi immortale condonavit indumentum: in praesepe ponis infantilia membra, qui caelestem tibi praeparavit mensam: omnia quae causa nutricis debentur circa puerum celebras, ut quod ipse promisit sanctis suis, et tu ipsa libentius consequaris. Quid multa? Exulta, virgo, de tanto promisso.

\* 1190

<sup>1</sup> Iob. III, 10.<sup>2</sup> Ezec. XLIV, 1-2.<sup>3</sup> Io. I, 14.<sup>4</sup> Sermo antiquus (Sermo Mai 77); cf. PLS II, 886 et PL 39, 2103, 2104.<sup>5</sup> Lc. I, 28 et 31; Matt. I, 21.

Nuncius discessit angelicus, et ventris hospitium ingreditur Deus,  
qui vivit et regnat in saecula saeculorum.

### DE PASSIONE DOMINI [II]<sup>1</sup>

- 1030** 1. [...] Mox igitur Christus per portam fidei, secundum caelum  
uteri virginis ingreditur, et homo pro homine confirmatur, novus  
pro vetusto, iustus pro iniusto, dominus pro captivo. Cum ergo in  
officinam innubam figulus caelestis intraret, et per notatus viscerum  
massa humani generis in novum opus exurgeret, vixit restaurata  
materies ex origine carnis non crimine peccatoris assumpta; et ho-  
minem liberum auctor assumpsit, quem ipse pietatis artificio refor-  
mavit. Nec conceptio igitur similis conceptibus ceteris, et partus dis-  
similis partibus cunctis fuit, quia nec intrans aperuit, nec exiens  
pudorem virgineum laceravit: et intro sine conscientia, et foras sine vitio,  
sed ubique cum Deo. Egreditur itaque de virgine Deus et homo, sim-  
plex non duplex, unus non geminus, natura quidem diversa, sed Dei  
et hominis persona coniuncta, ut hominem sibi creator redderet,  
quem Deus per hominem compararet.

### DE NATALI DOMINI [III]<sup>2</sup>

- 1031** 1. [...] *In principio ergo erat Verbum*,<sup>3</sup> et cetera. Itaque nativitas  
aeternae divinitatis angeli sermone nuntiatur. Invenitur Maria ante  
partum virgo, virgo post partum; et advenienti materna viscera  
praeparantur hospitio.
2. Videte qualem partum Gabrihelis angeli sermo nuntiaverit,  
quem sola iussio corporavit. Sicut scriptum est, introvit ad eam an-  
gelus; salutavit eam dicens, *Dominus tecum, benedicta tu inter mu-  
lieres, et benedictus fructus ventris tui*.<sup>4</sup> O veneranda virginitas! O praed-  
dicanda humilitas! Maria ab angelo mater Domini appellatur, illa  
se ancillam esse confitetur. O laudabilis praescientia Dei! Ut futu-  
rum partum Maria ante nesciret, ne conceptionem ipsam simplex  
virginitas recusaret. Ingreditur Gabrihel, qui primo divina clementia  
et angelum portabat et Deum. Intimatur virgini quod possit esse ter-  
roris; nuntiatur Deus in hominem transiturus. Stetit Maria stupore  
mentis aliena; et angelica voce suadente, mens confusa conticuit.  
Virgineus pudor interiora pectoris ligat, et discurrente metu per vi-

PLS  
II, 1195

PLS  
II, 1206

<sup>1</sup> Sermo *Mai* 82, africanus atque antiquus; cf. PLS II, 887.

<sup>2</sup> Sermo *Mai* 102; cf. PLS II, 887-888.

<sup>3</sup> Io. I, 1.

<sup>4</sup> Lc. I, 28 et 42.

\* 1207 scerum partes,\* tremit omne quod timet. Et recte pavida corporis pars illa turbatur, in qua Deo parabatur hospitium. Inreprehensibilis est sensus virginalis, quae et partum timebat et Deum. Et quia sciebat sanctus angelus femineam mentem vel ingressu suo, vel tali nuntio terreri, cum puellari animo a benedictione incipit loqui, ut delectaret quod melius est. O gemina in benedictione complexio! Mater de Domino et benedicitur et docetur.

3. Post nuntiatum per angelum partum, coepit Verbo formari conceptio: colligitur in homine Deus; et eum sustinet venter, cui parvus fuerat mundus; et intra breve virginei corporis spatium pro nobis est incarnata maiestas. Fœcunda viscera Verbo auctore tenduntur, completisque mensibus venter caelestem hominem fudit. [...] Beata fœcunditas matris, per quam nobis nascitur geminata maiestas! Beata virginitas matris, quae caelestem filium adorare prius didicit quam nutrire. Ipsum ergo et nos Dominum et Salvatorem nostrum Iesum Christum adoremus.

PLS II, 1207 4. Audite Fratres carissimi, si fas est legis mysterium. Primus homo de terra et caelo, secundus de caelo et terra. Hic ex Deo et Maria, qui de caelo et terra; ille de terra et spiritu, qui de terra et caelo; uterque tamen ex virgine, et sine coitus permixtione; hic ex incorrupta, ille ex intacta; nullo enim adhuc semine nec vomere fuerat sauciata nec imbre. Per primum vita amissa, per secundum reddita; primus acceptam perdidit gratiam, secundus cum vita tribuit gratiam. Primus suasu virginis cecidit, secundus partu virginis quod iacebat erexit. Primus peccando mortis poenam protulit, secundus patiendo indulgentiam contulit. Primus pro culpa est de paradiſo electus, secundus pro gloria cruci mundi affixus. Ergo per feminam malum immo per feminam bonum; quia si per Evam cecidimus, per Mariam stamus; per Evam prostrati, erecti per Mariam; per Evam servituti addicti, per Mariam liberi effecti. Eva nobis sustulit diuturnitatem, perpetuitatem nobis reddidit Maria. Eva damnari nos fecit per pomum arboris, absolvit Maria per arboris donum, quia et Christus in ligno peperit ut fructus.

\* 1208 \* [...] Deus homo efficitur; redhibetur Deus; et hoc totum per Adam committitur, et lavatur per Mariam. Ergo felix Eva, per quam data est occasio! Immo felix Maria, per quam tributa est curatio! Felix Eva, per quam natus est populus! Felicior Maria, per quam natus est Christus! Igitur altera altera melior; immo et gloriosae utraeque, quia non beatificasset Mariam Christus, nisi Eva prior, de qua nata est ipsa Maria, definxisset; nec venisset ad populum, nisi prius illa deliquisset in saeculo. Haec mater humani generis dicitur, illa salutis. Eva nos educavit, roboravit Maria: per Evam crescimus, per Mariam

regnamus: per Evam seducti ad terram, ad caelum elevati per Mariam. Et ut totum breviter legis patefaciam sacramentum, et duas in unam fuisse, sicuti omnes sciunt, esse ostendam, in Eva iam tunc et Maria inerat, et per Mariam postea revelata est Eva.

1033

[...] *Factus*, sicut per apostolum audistis, *ex muliere, factus sub lege*.<sup>1</sup> Sed nemo cum mulierem audit matrem Domini, de nominis offensione moveatur. Virgo concepit ex Spiritu sancto, sed mulier nominatur ex sexu. Et ideo evangelista qui lectus est, virginem; apostolus autem, mulierem nuncupavit; ut omnes in partu virginis omnipotentiam agnoscerent divinitatis; appellatione autem mulieris, nomen conditionis audirent.

PLS  
II, 1209

7. Natus est ergo Dominus noster ex carne quidem, sed non ex corruptione carnali; natus ut homo, sed non genitus ut homo; ita suscepit carnem, ut servaret maiestatis honorem. Et sic segregando puritatem nativitatis suae a concretione colluvionis humanae, pergit quidem in ortu suo plenam hominis dispensationem, sed divinam tamen non deseruit dignitatem. Ideoque in mundo isto talis vita, qualis nativitate; puritatem ortus sui etiam in vitae sinceritate servavit.

#### DE NATIVITATE DOMINI<sup>2</sup>

1034

3. [...] *Faciamus hominem, ad imaginem et similitudinem nostram*.<sup>3</sup> Quod autem Dominus per obscena membra transitum fecit, facile superantur: nulla est obscenitas, ubi intacta virginitas: nec potest dici aliqua macula, ubi est incontaminata natura. Si sol iste corporeus ex luce et calore compositus per caenosa et squalida loca transitum facit, et pollui non potest, quanto magis incorporalis Christi divinitas nascendo per virginem non potuit inquinari? Virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit. Quod enim Eva perdidit, virgo Maria reddidit. Eva virgo nobis fecerat mortem, Maria virgo nobis genuit Salvatorem. Et idecirco iusta et aequa ratio persuasit, ut iisdem vestigiis quibus homo primus perierat, secundus salvaret.

PLS  
II, 1223

#### DE SANCTA DEI GENITRICE MARIA<sup>4</sup>

1035

1. Mariae nuptias virginis, et thalamum cum illaesa virginitate, temeraria narrare conatur humilitas. Ipsius tamen ipsa dignetur, trepidis sensibus adesse divinitas. Neque enim parvi ratio tremoris

PLS  
II, 1259

<sup>1</sup> Gal. IV, 4.

<sup>2</sup> Sermo Mai 117; cf. PLS II, 888.

<sup>3</sup> Gen. I, 26.

<sup>4</sup> Sermo Mai 168, africanus atque antiquus; cf. PLS II, 891.

assumitur, quando humanis vocibus secreta deitas paeconatur, ut immortalia mortalitas explicare contendat. Dum nobis pro fragilitate corporea vel sentire sufficiat, ut creatoris sui referat creatura cum virgine immaculata consortium, pro quo legatio dirigitur angelorum.

\* 1260 \* [...] Et voluit sibi incarnationenasci Dominum saeculo, qui secum consors consempiternus regnat in caelo. Tunc quoque elegit sibi in Maria spiritale Deus hospitium, cum qua caelestium intercurreret scriptura pactorum, et nullum nasceretur virginitati dispendium. De sublimi namque solio, quod immensae lucis splendore circumfluo, artifex construxerat sermo, et architectante lingua formaverat camerata suspendio, dum cohortes astantium et legiones officialium conspiceret angelorum, instruxit cum Gabrihele secreta colloquia, per quae divina possent inviolata castitate celebrari coniugia, quem sacris praemonens affatibus destinabat dicens: Suscipe Gabrihel, suscipe suave legationis huius officium, peracturus sanctum cum Maria commercium, quia te nostrum terris proferente mandatum, mundo nascetur maritante Verbo de virginitate remedium. Paronymphum te divini iubeo interesse coniugii, unde meae virtus assumpto homine germinet deitatis, et integra permaneat substantia castitatis. Mundum facies ascribi dotalibus, et thalamorum pretio caelum tua conferat pro dote promissio, quia talem eius utero nasci gaudeo filium, cui etiam in carne exercitus deserviat angelorum. [...]

PLS II, 1260 [...] Iesum carnaliter nasci censeo per Mariam, quae nullam sentiet de integritate iacturam. Et ne dubitet mater sui vocari Domini, quem ego meum filium volui nominari. Sicut per musicam David propheti cam paeconavit dicens: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*<sup>1</sup> Et ne ingrate suscipiat fieri se suo Domino matrem, cui me esse volui sine coniuge patrem; neque enim sunt in aliquo recusanda coniugia, quando ratio permanet castitatis illaesa; Spiritus sancti sermone paeagnabitur, per quam mundus cum genuerit iocundetur. Et erit sui mater auctoris, cui nomen exhibere gratulor genitoris. Deserviat itaque, ei pro matrimonio caelum, et pro dotalibus chorus innumerable angelorum. Quamvis, quid non subiaceat thalamis, qui consortia meruerit deitatis?

PLS II, 1260 3. Tum Gabrihel angelus sollicita velocitate \* festinus, ad terras per caeli tramitem commeabat. Illi namque per auras alarum velificante navigio, crocea lacertorum fulgebat extensio, cui divina fuerat commissa legatio. Qui cum per crassas nubium quodammodo densitates, et per astriferas caelis camerantibus regiones, quasi gradatim mandati concius pervolasset, praecipitatis pennarum alacritate

1036

1037

<sup>1</sup> Ps. II, 7.

remigiis, caelum volans miscuit terris, quia de terris Mariam Dominus elegerat maiestatis. Tunc etiam terris insedit sacrum portans Mariae mandatum, in cuius corde Dominus sibi iam parabat hospitium, cuius etiam obtinuerat maritante Verbo consortium. Et ait ad eam angelus: «Dirigit tibi, Maria, verbum Dominus, per quod Dei nascetur deitate similis Iesus Christus, quo nascente carnaliter consempiterno sibimet filio, diabolus nocere non praevaleat mundo, quia in eo totius saeculi constat rediviva redemptio. Spiritus in te residet Dei patris, de quo propaginem suscipes Salvatoris et maculam tuae non senties castitatis». O quam veneranda praegnacitas, de qua nulla dolorum pariendi nascitur difficultas, quia integra permanet inviolata virginitas! Neque enim deitatis transitus, clausa potuit virginalis gratiae portarum repagula reserare; cum praecedente iam tempore per prophetam Dominus dignatus fuerit praenuntiare dicens: *Vidi portam in domo Domini clausam. Et dixit ad me angelus: porta haec, quam vides, non aperietur, neque aliquis per eam transiet, quoniam Dominus solus intrat, et egredietur per eam, et semper erit clausa.*<sup>1</sup> Beata itaque foetante praegnata est subinde sermone; et interclusa virginitatis latebra, ad opera spatiosa se coepit breviter dilatare: et tunc divini palmitis novellante Verbo matries, botrum divinae sobolis, intra immaculatae scrobis spatia nutriebat. Occultabatur spiritualibus intra humanitatem deitas nutrimentis; et intra angusti corporis metas, caelestis versabatur origo sermonis. Retinebat occultam intra se humanitas deitatem; et proprium Maria portare exultabat auctorem, quia caelestem in se meruerat foecundante verbo germinare propaginem. Tunc itaque divini sermonis paulatim crescebat per modos ampliata praegnacitas, et inviolata regnabat cum praegnacitate virginitas. Intra brevitatem vertebatur viscerum, quem totum ferre vix potest caelum: humani dignatus est pectoris minima versari per spatia, cui caelestis throni non sufficiunt pro deitate palatia. Qui pluribus expletis humanitatis more mensibus, per inlaesam virginem producitur partus; quia pudor laedi non potuit,\* \* 1262 transeunte Christo, virgineus.

#### INFRA OCTAVAM [NATIVITATIS] DOMINI<sup>2</sup>

- 1038 [...] Quae est virgo tam sancta, nisi ista, per quam Deus venire dignatur? Quae tam speciosa, \* ut Deum quaerat sponsum? Quae tam fortis, ut tantam possit generare virtutem? Quae tam casta, ut sit

PLS  
II, 1274  
\* 1275

<sup>1</sup> Ezech. XLIV, 1-2.

<sup>2</sup> Sermo Mai 176. Addendus est sermoni Maurini app. 201 § 4 PL 39, 1988; cf. PLS II, 891.

virgo post partum? Nonne in figura Mariae habitum vidimus Ecclesiae? Haec parit non dolorem, sed gaudium: haec nutrit non corporis ubere, sed lacte doctoris.

DE NATALI DOMINI<sup>1</sup>

PLS II, 1339 Hodie, fratres carissimi, *caeli desuper roraverunt*: *hodie aperta est terra, et genuit Salvatorem*.<sup>2</sup> Felix illa terra, quae sine semine caelestem saeculo protulit panem, et mundo genuit salvatorem. Hodie inter caelum et terram pacem fecit filius virginis matris: culpas hodie genitricis abstulit uterus sanctitatis. Celebrant saecula tanti consulis diem, cuius nativitatem gemmatus iam pavet Herodes, ad cuius cunas regalis diadema terretur, cuius per praesepium tremit inmane palatum. Virtutem saeculum videt nascentis, qui prius terruit quam lactavit. O fidei pactum! O fidele secretum! Virgini promittit angelus filium nasciturum: virgo gaudet, cupidique effici mater: gemina ratione turbatur, quod per eam Deus velit in hominem nasci, et nulla possit incorrupti uteri damna sentire. Age, optime Gabrihel, tam mundo gaude negotio, et auribus sacrae virginis angelico ore tanti numinis nomen infunde. Scire debet virgo, cui paret assensum: isto nuptiali foederi corda, non membra, paranda sunt. Adventus eius in uterum ordinem refer: hoc virgo, hoc casta, hoc pudica cupid audire; quae virum non novit amare, novit de incorrupta virginitate gaudere. Iam indica, quaeso, et caelestis curiae pande secretum: noli, noli diutius rationi moras innectere: cogitantem de tua salutatione virginem vide. *Maria, inquit, cogitabat qualis esset ista salutatio. Et angelus ad eam: Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum; ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum.*<sup>3</sup> Subito puella territa mente est, et de sui uteri incorruptione secura suam interrogat castitatem. Quis hic, o castitas dulcis, novi sermonis portitor venit? <E> quidem damna nobis non inferunt, quae promittit: sed quomodo habere filium poterit non copulata marito? Itane aliquando contigit, virginem sine coitu concepisse, et contra naturam illibatam genuisse, gaudereque de nato, pudore servato? Audi quod mecum, castitas, admireris: audi; inquam, quod me magnam faciat genitricem, et per saecula cuncta felicem. Claustra ingredietur Deus, claustra nostri pudoris gravidata: videbor te teste quod virgo sim: celabitur lege servata nascendi: in sanctis nascetur

<sup>1</sup> Sermo Morin Guelferbytanus App. 1, africanus est atque antiquus; cf. PLS II, 898.

<sup>2</sup> Isa. XLV, 8.

<sup>3</sup> Lc. I, 29-31.

visceribus filius maiestatis. Nec aequitatem suam movit, quia homo fieri voluit, sed voluntatem patris implevit. Nascitur pulchra origine Deus, et natus assignat virginem matrem, et te, castitas, tui nominis perpetuitate gaudentem. *Ecce ancilla domini: fiat mihi secundum verbum tuum.*<sup>1</sup> O oboedientiasacrificio meliore! O fides, imple promissas fidei. Subito Spiritus sanctus insedit, et per aurem immaculatum corpus intravit: sedit in tribunali cordis eius, sanctificavit interiora eius, novumque in visceribus plasmabat Adam, et per quem factus est primum captivus, per ipsum redemptus est mundus. Statuto die Deum hominemque sacer virginis uterus fudit, et ad nativitatem pueri stella processit.

S. NILUS Abbas      († ca 430)

EPISTOLAE

- 1040 Lib. I, Ep. CLXXI. Ἀνθρωπος μὲν κατὰ τὸ φαινόμενον ὁ Σωτὴρ <sup>PG 79, 149</sup> Χριστός, Θεὸς δὲ ὁ αὐτὸς κατὰ τὸ νοούμενον, Γίδες δὲ ἀνθρώπου, καὶ διὰ τὸν Ἀδάμ, καὶ διὰ τὴν Παρθένον, ἐξ ὧν ἐγένετο, τοῦ μὲν ὡς προπάτορος, τῆς δὲ ὡς μητρὸς νόμῳ, καὶ οὐ νόμῳ γεννήσεως.
- 1041 Ep. CXCIII. Πᾶς δὲ Δεσπότης Χριστὸς ἀμήτωρ, καὶ ἀπάτωρ, καὶ ἀγενεαλόγητος, μαθεῖν βούλει. Ἀμήτωρ μὲν τὸ ὑπὲρ ἡμᾶς, ἀπάτωρ δὲ τὸ καθ' ἡμᾶς, ἀγενεαλόγητος δὲ τὸ ἄνω φησὶ γάρ δὲ προφήτης. «Τὴν δὲ γενεὰν αὐ-
- 
- 1040 Lib. I, Ep. CLXXI. Homo quidem oculis obiectus Servator Christus, Deus idem intellectu deprehensus, at Filius hominis propter Adam et Virginem, ex quibus ortum duxit, ab eo tanquam progenitore, ab hac more matris, sed non partus.
- 1041 Ep. CXCIII. Quomodo Christus Dominus *sine matre, et sine patre, et sine genealogia*<sup>2</sup> sit, perdiscere cupis. Secundum quod est supranos, dicitur sine matre; sed ut est secundum nos, sine patre; secundum quod autem ad superna pertinet, sine genealogia. Ait etenim propheta: *Generationem eius quis enarrabit?*<sup>3</sup> Verumtamen genera-

<sup>1</sup> Lc. I, 38.

<sup>2</sup> Hebr. VII, 3.

<sup>3</sup> Isa. LIII, 8.

- PL 39, 1995, 1996, 1997, 1998, 2011, 2012, 2013, 2031, 2063, 2104, 2105, 2106, 2107, 2189, 2190, 2192, 2193, 2195, 2197.
- PLS II, 966, 967, 968, 991, 996, 1007, 1008, 1021, 1027, 1029, 1034, 1035, 1037, 1038, 1040, 1045, 1047, 1050, 1051, 1099, 1104, 1109, 1114, 1115, 1116, 1135, 1180, 1181, 1184, 1186, 1187, 1188, 1189, 1192, 1229, 1232, 1237, 1258, 1275, 1276, 1277, 1283, 1285, 1286, 1289, 1327, 1328, 1362, 1376, 1436, 1463, 1481, 1586.

## QUODVULTDEUS († ca 453)

SERMO III<sup>1</sup>

**1287** Nuptiae, in quibus Christus et munerator et conviva discubuit; <sup>PL 47, 1144</sup> munerator scilicet in origine, conviva factus in genere, ut qui in primordio copulae novellae concesserat nasci ex homine hominem, ipse quoque nasci dignaretur ex virgine... Aures nostrae pulsatae nunc e sancto Evangelio sonuerunt: *Die, inquit, tertio nuptiae factae sunt in Chanan Galilaeae, et erat mater Iesu ibi; invitatus est autem Jesus cum discipulis ad nuptias.*<sup>2</sup> [...] Genetrix autem Christi illa, quae facinerosi concubitus pactum exhorruit, quae non solum corpore verum etiam mente virgo permansit, intererat invitata, conditione generis non participatione criminis, universitate nascendi non societate peccandi, quae... Christo, non quae mundo consentiret iucundo.

Haec igitur mater Christi longum mundi miserata laborem, quae se noverat de palmite fidei magnum duxisse... botrum, a proprio germine coepit exposcere vinum. Quando autem angelo credidit, tunc pro mundo suggessit: tunc inchoavit agere saeculi causam, quando non trepidavit ad nuntium. *Ecce enim ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*<sup>3</sup> Mox ex semine sancti Spiritus propagata in saltu virginali primitiva vitis effloruit, quae umbraculis opacata coelestibus subfrondet... nis occultum botrum procreavit. Pependit salus in fidei apice, et turguit botrus... Ecce postmodum ex matricis utero racemos divinae prolis animatus... natus est. Christus verus botrus continebat equidem intra se vitae vinum... crucis accesserat prelum. Dicit mater eius: Vinum non habent. O virgo sapientissima! Modo meruisti germinatam sobolem procreare, et iam botrum... ris \* exprimere? Evidem non potest nisi germen germini obviare, et (palmiti suo) resistere. Sed qui de ligno carpsit supplicium, in ligno debet expectare remedium; et qui in arbore inlicitam demessuit frugem, expectare debet ad crucem, ut ubi... hauserat siccitatem, ibi salutis accipiat potionem. Vinum, inquit, non habent. Attende, virgo, paupisper, praeparet iudeus lignum, descendant clavus in botrum, et... poterit vinum. Quid ante tempus curris ad lacum, cum needum imresserit Iudas protervum super uva calcaneum? Ipse est enim ille Iudas destructor sacrae vindemiae, qui XXX pactus argenteis

<sup>1</sup> Sermo hic (*In Io. II, 1-10*) antiquus, forsitan in Africa a Quodvultdeo conscriptus est (cf. PLS II, 881; Clavis 416).

<sup>2</sup> Io. II, 1.

<sup>3</sup> Lc. I, 38.

botrum divinae prolis iudaeis..., impiis venundavit. De quo in psalmis iam fuerat decantatum: *Nam et homo pacis meae, in quem speravi, qui edebat panem meum, ampliavit super me calcaneum.*<sup>1</sup> Aderit, virgo, certa dies qua prematur fructus tuus, et tuam ipsius animam pertranseat gladius, ut constiterit de botruo pendente quem profuderas ex radice.

*Vinum, inquit, non habent. Et Iesu: Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea.*<sup>2</sup> [...] Extulit hic Christus super matrem divinitatem suam. Non negavit matrem suam, neque se natum negavit e carne, sed maiestati suae suam subdidit genetricem. Et ideo ait: *Quid mihi et tibi, mulier? Nondum venit hora mea.* In miraculo enim deitas matre altior praedicatur; in hora autem, mortis communias intimatur.

### SERMO CONTRA IUDAEOS, PAGANOS ET ARIANOS<sup>3</sup>

**PL 42, 1124** Cap. XIII. [...] Ipse est enim et lapis ille abscissus de monte sine manibus concidentium, id est, Christus natus de virginе sine manibus complectentium: qui tantum crevit, ut mons magnus fieret, et impleret universam faciem terrae.<sup>4</sup> De quo monte dicit propheta, *Venite ascendamus in montem Domini.*<sup>5</sup> Et de quo David dicit, *Mons Dei, mons uber: utquid suspicamini montes incascatos, montem in quo placuit Deo habitare in ipso?*<sup>6</sup>

1288

### DE SYMBOLO<sup>7</sup>

**PL 40, 643** Sermo ad Catechumenos, cap. V, 11. Credimus in Filium eius Iesum Christum, natum de Spiritu sancto ex virginе Maria. Hanc nativitatem, incredule, quid expavescis? Noli credere, si tantum homo erat qui natus est si autem Deus homo erat, de qua voluit natus est, quia sicut voluit natus est. Illud potius mirare, quia Verbum suscepit carnem: nec est mutatum in carnem, quia manens Deus suscepit hominem. Caeterum quid miraris, quia genitrix suum genuit genitorem, quia creavit creatura factorem? Sic voluit nasci excelsus humilis, ut in ipsa humilitate ostenderet maiestatem. Portabat filium

<sup>1</sup> Ps. XL, 10.

<sup>2</sup> Io. II, 3, 4.

<sup>3</sup> Cf. PLS II, 1556 et III, 261, et Clavis 404.

<sup>4</sup> Dan. II, 34.

<sup>5</sup> Isa. II, 3.

<sup>6</sup> Ps. LXVII, 16-17.

<sup>7</sup> Sermo hic Quodvultdei est (cf. PLS III, 261 et II, 1360).

mater intacta, mirabatur et ipsa in aspectu suae prolis, quam amplexus non strinxerat maritalis. Sed, incredule, audi praedictum, cognosce impletum. David propheta dicit: *Mater Sion, dicet homo; et homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.*<sup>1</sup> Ipse qui fundavit eam Altissimus, ipse in ea factus est homo: Altissimus, quia talem matrem creavit; Altissimus, quia sic se in ea formavit, ut procedens ex eius utero, et filium eius redderet, et integratatem non corrumperet. Quae est gratia matris huius et virginis? Quae est gratia huius feminae, quae virum nesciens filium portat? Quae est gratia? Audite Gabrielem angelum eam salutantem: *Ave, inquit, gratia plena, Dominus tecum.*<sup>2</sup> Quando Angelus istam virginem sic salutavit, tunc eam Spiritus sanctus fecundavit: tunc illa femina virum sine viro concepit, tunc repleta est gratia, tunc Dominum suscepit, ut esset in ea qui fecerat eam. Neque enim, dilectissimi, credendum est, quod illa iam praesente ac protegente poterat illi feminae dominari corruptio, in qua non erat ardoris libido.

1290

14. Agnoscat et eius adolescentiam, videat multa et magna miracula, conversionem aquarum in vinum. In quo primo miraculo tentavit illa femina iubere se filio posse tanquam mater domina quae se agnoscebat ancillam. *Fili, ait, deficit illis vinum,* fac rursus ut aquae convertantur in vinum. Et ille ut distingueret inter Deum et hominem quia secundum hominem minor erat, secundum hominem subditus erat, secundum Deum autem supra omnes erat: *Quid mihi et tibi, inquit, mulier?* *Nondum venit hora mea.*<sup>3</sup> Tanquam ei diceret: Veniet hora, quando id quod natum est de te in cruce pendens agnoscat te, et discipulo dilecto commendet te; in hoc autem miraculo quid mihi et tibi? Non enim hoc processit ex te, sed ex eo qui fecit te: non competit tibi ut iubeas Deo, competit autem ut subdita sis Deo. Sed pia mater quae non aspere tulit admonitionem filii dicentis, *Quid mihi et tibi?* videat in caeteris miraculis Deum operantem, quem intuebatur filium adolescentem, videat caecorum illuminationem, leprosorum mundationem, claudorum cursus, surdorum auditus, daemonum fugationes; et quod maius his omnibus, mortuorum resurrectionem. Sed adhuc agnoscat haec mater, et expavescat filii sui etiam iuventutem.

PL  
40, 644

1291

Cap. VI, 15. Quid restat iuveni, nisi ut procedat velut sponsus de thalamo suo? Accipiat sponsus sponsam, \*quaeratur, inveniatur

PL  
40, 644  
\*645<sup>1</sup> Ps. LXXXVI, 5.<sup>2</sup> Lc. I, 28.<sup>3</sup> Io. II, 3-4.

● PL 40, 639, 698, 700.

● PL 42, 1122, 1130, 1108, 1204, 1206.

quae ei coniungatur. Non est solus homo, sed Deus est et homo: quaeratur quae ei coniungatur. Qualis est de qua natus est, talis ei inveniatur, quae et matrem reddat fecundam, et virginem servet intactam. Filius permanentis virginis, virginem permansuram ac cipiat. Ecce tempus est: modo iudaei suam impleant voluntatem, quando dignatur ipse dare potestatem. Agite, iudaei, nescientes nuptias Agni, date praemium pecuniae malo nebuloni Iudea: agite ut ille qui natus est de virgine, a Pontio Pilato suspendatur in cruce. Ascendat sponsus noster thalami sui lignum, ascendat sponsus noster thalami sui lectum. Dormiat moriendo, aperiatur eius latus, et Ecclesia prodeat virgo: ut quomodo Eva facta est ex latere Adae dormientis, ita et Ecclesia formetur ex latere Christi in cruce pendentis.

DE SYMBOLO <sup>1</sup>

<sup>PL 40, 655</sup> Ad Catechumenos sermo alius, cap. IV, 4. [...] *Exiet virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet:*<sup>2</sup> virgam significans virginem Mariam, et florem virgae, filium virginis Dominum Iesum Christum. Iudeai antequam ista fierent, legebant, et non intelligebant: coeperunt impleri quae promissa sunt, et non gaudebant, sed potius invidebant. Nascitur Christus ex virgine sicut flos ex virga, sine ullo composito semine. [...]

1292

<sup>\*656</sup> Iisdem gradibus, dilectissimi, quibus perierat humana natura, a Domino Iesu Christo reparata est. Adam superbus humilis Christus: per feminam mors, per feminam vita; per Evam interitus, per Mariam \* salus. Illa corrupta secuta est seductorem; haec integra peperit Salvatorem. Illa poculum a serpente propinatum libenter accepit, et viro tradidit, ex quo simul mererentur occidi: haec gratia coelesti desuper infusa vitam protulit, per quam caro mortua possit resuscitari. Quis est qui haec operatus est, nisi virginis filius et virginum sponsus? Qui attulit matri fecunditatem, sed non abstulit integritatem. Quod contulit matri suae, hoc donavit et sponsae suae. Denique sancta Ecclesia quae illi integro integra coniuncta est, quotidie parit membra eius, et virgo est.

1293

<sup>PL 40, 661</sup> Ad Catechumenos sermo alius, cap. I, 1. [...] Accepistis et Symbolum, protectionem parturientis contra venena serpentis. In Apocalypsi Ioannis apostoli scriptum est hoc, quod staret draco in con-

1294

<sup>1</sup> Et hic sermo Quodvultdei est (cf. PLS II, 1360 et III, 261).

<sup>2</sup> Isa. XI, 1.

<sup>3</sup> Etiam sermo hic Quodvultdei est (cf. PLS II, 1360 et III, 261).

spectu mulieris quae paritura erat, ut cum peperisset, natum eius comedederet.<sup>1</sup> Draconem diabolum esse, nullus vestrum ignorat. Mulierem illam virginem Mariam significasse, quae caput nostrum integra integrum peperit, quae etiam ipsa figuram in se sanctae Ecclesiae demonstravit: ut quo modo filium pariens virgo permansit, ita et haec omni tempore membra eius pariat, virginitatem non amittat.

**1295** Cap. IV. [...] Quis enim non expavescat, cum audit Deum natum? Audis nascentem, vide in ipso ortu miracula facientem. Alvis tumescit virginis, claustrum pudoris permanet: impletur uterus matris sine ullo complexu patris, sentit prolem quae se ignorabat coniugem. Angelus ad virginem loquitur, a virgine cor praeparatur, Christus fide concipitur. Miraris haec? Adhuc mirare. Parit mater et virgo, feta et intacta: nascitur filius sine homine patre, qui fecit et ipsam matrem. Factor omnium fit inter omnia: portatur manibus matris rector totius orbis: lambit ubera, regens sidera: tacet, et Verbum est. [...]

**1296** Gaudete, virgines sanctae, virgo peperit Christum. Non vos constret sterilitas, quarum fides magna est fecunditas; nec doleatis non vos esse matres, quae spiritualiter generatis, virgines permanentis, filios suscipitis, integritatem non amittitis. Accepistis ab illo nomen maternum, ut decus castitatis in vos permaneat sempiternum. Amate quod estis, servate quod accepistis. Imitamini fideles matrem capitis vestri, sponsi vestri: non vobis denegavit pignora, qui natus est de virginе Maria. Quod tantae matri contulit, et in sua carne servavit, hoc etiam vobis donavit virgo mater, saneta caro Christi, ab omni contagione integra.

PL  
40, 663PL  
40, 664

### S. EUCHERIUS Lugdunensis († 449/455)

#### LIBER FORMULARUM SPIRITALIS INTELLIGENTIAE

**1297** Cap. IV. [...] Rubus, \* ut quidam opinantur, Mariae virginis praefiguratio: eo quod quasi de humani corporis rubo, Salvatorem tamquam rosam emiserit; aut quod vim divini fulgoris, sine viri assumptione pertulerit. In Exodo: *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, et ridebat quod rubus arderet, et non combureretur.*<sup>2</sup>

PL  
50, 746  
\*747

#### INSTRUCTIONES

**1298** Lib. I. [...] *Mater Sion dicet homo, et homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus,*<sup>3</sup> quid hic sequemur?

PL  
50, 791

<sup>1</sup> Apoc. XII, 4.

<sup>2</sup> Exod. III, 2.

<sup>3</sup> Ps. LXXXVI, 5.

eredimus et fatemur: et in eadem ipsa carne in qua iacuit in sepulcro, post resurrectionem ascendisse in coelum, unde venturum exspectamus ad iudicium vivorum et mortuorum: \* Virginem quoque de qua natum scimus, et virginem ante partum, et virginem post partum, ne consortes Elvidiani erroris habeamur.

## RUFINUS Syrus (saec. IV-V)

LIBER DE FIDE<sup>1</sup>

<sup>PL 21, 1146</sup> XLIII. Factus igitur homo unigenitus Deus Verbum, ex Maria quidem semper virgine corpus accipiens, animam rationabilem sibi creando, eius substantiae cuius nostra est, ex ipsa semper Virgine nascitur homo sicuti Isaias prophetando dixit, *Ecce Virgo in utero accipiet et pariet filium.*<sup>2</sup> Semper autem Virginem dixit sanctam Mariam, quoniam sicut virgo concepit, sic etiam virgo permanens perperit. Nam quomodo signum quod datum est a Deo Achaz verum erit? Si igitur non permaneret virgo post partum, et quod virgo concepit, minime credendum est. Quid enim dicit Evangelista de Ioseph? *Et non cognovit eam donec peperit filium suum,*<sup>3</sup> id est, non noverat certius quod ipsa erat Virgo, quae Christum paritura praedicta est, nisi post partus editionem documenta \* virginitatis eius manere agnoverisset intacta. Necnon etiam ex consequentibus et adnunciis Christi signis, Angelis, stella, Simeone, Anna vel Magis, admonitione quoque Angeli, qui ad ipsum locutus est hoc modo, *Surge, accipe puerum et matrem eius.*<sup>4</sup> Non dixit uxorem tuam, ut scire posset quod Christi caussa Virgini Mariae datus fuerat ut minister. Unde Dominus signum virginitatis confirmare volens, post resurrectionem a mortuis, clausis ad Apostolos ingressus est ostiis, ostendens se ossa et carnem habentem.

## A[P]PONIUS (saec. V)

## IN CANTICUM CANTICORUM (405/415)

<sup>PLS I, 850</sup> Lib. III. [...] Tria igitur in se delectabilia et nimis oculis grata, lili natura continere probatur, idest candorem, odorem, [et quaeque adusta ignis medicina]. Quae tria admiranda simili ratione in

<sup>1</sup> Viri docti iudicant Rufinum, auctorem huius libri, esse *Rufinum natione Syrum* (cf. PLS I, 1098).

<sup>2</sup> Isa. VII, 14.

<sup>3</sup> Matth. I, 25.

<sup>4</sup> Matth. II, 13.

● PLS I, 1036, 1037, 1040.

πρῶτον εἶδε, καὶ τότε ἐγεύσατο τοῦ δένδρου· αὕτη πρῶτον εἶπε, καὶ τότε ἤκουσε τοῦ μακαρισμοῦ. «Οτε γὰρ ὁ Σωτὴρ ἐδίδασκεν, «Ἐπῆρε γυνὴ τις φωνὴν ἐκ τοῦ ὅχλου», καὶ λέγει αὐτῷ, πάντων ἀκούοντων· «Μακαρία ἡ κοιλία ἡ βαστάσασά σε, καὶ μαστοί, οὓς ἐθήλασας».

deinde ex arbore gustavit; haec primo dixit, et tunc beatitudinem audivit. Cum enim Salvator doceret, *Extollens vocem quaedam mulier de turba, cunctis audientibus, dicit illi: Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti.*<sup>1</sup>

### RUFINUS TYRANNIUS Aquileiensis (ca 345 † 410/411)

#### DE BENEDICTIONIBUS PATRIARCHARUM

PL 21, 302 Benedictio Iudee, 2. [...] Sed multo convenientius aptabitur huie loco mystica expositio, in qua catulus leonis,<sup>2</sup> Christus, non solum φυσικῶς, verum etiam τροπικῶς designatur. Nam Physiologus de catulo leonis haec scribit, quod cum natus fuerit, tribus diebus ac tribus noctibus dormiat: tum deinde patris fremitu vel mugitu, tanquam tremefactus cubilis locus, suscitet catulum dormientem. Iste ergo catulus ascendit ex germine: ex Virgine enim natus est, non ex semine, sed ex virgine absque concubitu virili, et absque semine naturali Christus. Velut virgultum, sive ramus, in quo manifestissime et veritas carnis assumptae ex Virgine declaratur in sacro sancto germine, et a contagio carnalis et humani seminis excusatetur.<sup>3</sup>

771

#### COMMENTARIUS IN SYMBOLUM APOSTOLORUM (404)

PL 21, 348 [...] 9. QUI NATUS EST DE SPIRITU SANCTO EX MARIA \* VIRGINE. 772  
\*349 Haec iam inter homines dispensationis nativitas est, illa divinae substantiae: haec dignationis est, illa naturae. De Spiritu Sancto ex Virgine nascitur: et iam in hoc loco mundior auditus requiritur et purior sensus. Huic enim, quem dudum de Patre natum ineffabiliter didicisti, nunc a Spiritu Sancto templum fabricatum intra secreta uteri virginalis intellige: et sicut in sanctificatione Sancti Spiritus nulla sentienda est fragilitas, ita et in partu Virginis nulla

<sup>1</sup> Le. XI, 27.

<sup>2</sup> Gen. XLIX, 9.

<sup>3</sup> CCL XX, 193.

intelligenda est corruptio. Novus enim huic saeculo datus est hic partus, nec immerito. Qui enim in caelis unicus Filius est, consequenter et in terra unicus est, et unice nascitur. Nota sunt omnibus et in Evangelii decantata de hoc scripta prophetarum, quae dicunt, quod *Virgo concipiet, et pariet filium.*<sup>1</sup> Sed et partus ipsius mirabilem modum Ezechiel propheta ante formaverat, Mariam figuralem portam Domini nominans, per quam scilicet Dominus ingressus est mundum. Dicit ergo hoc modo: *Porta autem quae respicit ad Orientem clausa erit, et non aperietur, et nemo transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel transibit per eam, et clausa erit.*<sup>2</sup> Quid tam evidens de conservatione Virginis dici poterat? Clusa fuit ea virginitatis porta: per ipsam intravit [al. introivit] Dominus Deus Israel, per ipsam in hunc mundum de utero Virginis processit, et in aeternum porta Virginis clausa, servata virginitate, permansit. Igitur Sanctus Spiritus refertur dominicae carnis, et templi eius creator. Incipe iam hinc intelligere etiam Spiritus Sancti maiestatem. Contestatur enim et Evangelicus sermo de ipso, quod cum oquenti Angelo ad Virginem, et dicenti: *Quia paries filium, et vocabis nomen eius Iesum: hic enim salvum faciet populum a peccatis suis,*<sup>3</sup> illa respondisset: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*<sup>4</sup> Et dixerit Angelus ei: *Spiritus Sanctus veniet super te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: et ideo quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>5</sup> Vide ergo cooperantem sibi invicem Trinitatem. Spiritus Sanctus venire dicitur super Virginem, et virtus Altissimi obumbrare ei. Quae est autem virtus Altissimi, nisi ipse Christus, qui est Dei [al. Domini] virtus et Dei sapientia? Cuius autem haec virtus est [al. tacetur est]? Altissimi inquit. Adest ergo Altissimus, adest et virtus Altissimi, adest et Spiritus Sanctus. Haec est Trinitas ubique latens, et ubique apparens, vocabulis personisque discreta, inseparabilis vero substantia deitatis: et quamvis solus Filius nascatur ex Virgine, adest tamen [al. tacetur tamen] et Altissimus: adest et Spiritus Sanctus, \* ut et conceptus Virginis sanctificetur, et partus.

\*350

773      11. Verum haec quia ex Scripturis propheticis asseruntur, possunt forte iudeos, quamvis sint infideles et increduli, confutare. Sed pagani solent irridere nos, cum audiunt praedicari a nobis Virginis partum: propter quod paucis eorum obtrectationibus respon-

PL  
21, 349<sup>1</sup> Isa. VII, 14.<sup>2</sup> Ezech. XLIV, 1-2.<sup>3</sup> Matth. I, 21.<sup>4</sup> Lc. I, 34.<sup>5</sup> Lc. I, 35.

dendum est. Omnis partus ex tribus (ut opinor) constat; si adultae aetatis sit femina, si virum adeat, si non sit illius vulva vitio sterilitatis occlusa. Ex his tribus in hoc partu, quem praedicamus, unum defuit, vir scilicet: et hanc partem (quia qui nascebatur non erat terrenus homo, sed caelestis) per spiritum caelestem dicimus, salva Virginis incorruptione, completam. [...] <sup>1</sup>

PL  
21, 351

774

12. Sed dicunt fortassis, quia possibile si fuerat Deo, ut virgo conciperet, possibile etiam fuerat ut pareret: sed indignum eis videri, ut tanta illa maiestas per genitales feminae transiret egressus: ubi quamvis nulla fuerit ex viri commistione contagio, fuit tamen ipsius puerperii obscoenae attractationis iniuria. Pro quo paulisper eis secundum sensum suum respondeamus. Si quis videat parvulum in profundo coeni necari, et ipse cum sit vir magnus et potens, extreum (ut ita dixerim) ingrediatur coenum, ut parvulum libret morientem, pollutusne a te accusabitur hic vir, qui paululum calcaverit luti, an ut misericors laudabitur, quod vitam contulerit morituro? Sed haec etiam de communi homine dicta sint. Redeamus nunc ad naturam eius, qui natus est. Quantum putas natura solis illo inferior est? Quantum creatura sine dubio creatore. Intuere nunc, si solis radius in coeni alicuius voraginem demittatur, nunquidnam aliquid inde pollutionis acquirit? Aut obscoenorum illustratio, solis ducitur in iniuriam? Ignis quoque quanto natura est inferior his de quibus sermo est? Et nulla materia, vel obscoena, vel turpis adhibita ei, ignem polluisse creditur. Cum [al. add. ergo] haec ita esse in rebus materialibus constet, tu in illa supereminenti et incorporea natura, quae super omnem ignem, et super omne lumen est, pollutionis aliquid putas ac [al. aut] obscoenitatis incidere? Tum deinde etiam ad [al. tacetur ad] illud adverte. Nos hominem a Deo creatum de terrae limo dicimus. Quod si obscoenitas Deo reputatur opus suum requirenti, multo magis ei reputabitur opus istud ab initio fabricanti. Et superfluum est dicere, cur per obscoena transierit, cum non \* possis dicere, cur obscoena condiderit. Et ideo obscoena haec esse, non natura, sed observantia docuit. Caeterum omnia quae sunt in corpore, ex uno eodemque luto formata, usibus tantum et officiis naturalibus distinguuntur.

\*352

Sed nec illud quidem absolutione vacare huius quaestionis omittamus, quod substantia Dei, quae omnino est incorporea, inseri corporibus, vel capi ab eis principaliter non potest, nisi aliqua sit media substantia spiritualis, quae capax divini spiritus possit esse. Verbi gratia, ut si dicamus, lux omnia quidem membra corporis

<sup>1</sup> CCL XX, 144, 145, 146.

illustrare potest, a nullo tamen eorum nisi a solo oculo capi potest. Solus est enim oculus qui capax est [*al. sit*] lucis. Et Filius ergo Dei nascitur ex Virgine, non principaliter soli carni sociatus, sed anima inter carnem Deumque media generatus. Anima ergo media, et in secreta rationabilis spiritus arce Verbum Dei capiente, absque ulla quam suspicaris iniuria, Deus est natus ex Virgine. Et ideo nihil ibi turpe putandum est, ubi sanctificatio spiritus inerat, et anima, quae erat Dei capax, particeps fiebat etiam carnis. Nihil ibi ducas impossibile, ubi aderat virtus Altissimi. Nihil de humana fragilitate cogites, ubi plenitudo inerat divinitatis.<sup>1</sup>

S. GAUDENTIUS Brixensis († 410/411)

TRACTATUS VEL SERMONES

- 775 Sermo III. [...] *Agnus enim perfectus, masculus*, inquit, *anniculus erit vobis:*<sup>2</sup> ut nihil mediocre de perfecto sentias, nihil infirmum de masculo, nihil de anniculo semiplenum. Perfectus est, *quia in eo habitavit omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*<sup>3</sup> Masculus est, quippe quia vir nasci dignatus est ex Virgine, ut sexui utriusque consuleret. PL 20, 865
- 776 Sermo VIII. [...] Benedixit ergo quod constituerat a primordio legitimum Christus coniugium, dum pergere ad nuptias non renuit invitatus: et tamen virginitatem docuit esse meliorem, dum magis per eam nasci dignatur. Probavit sanctam Virginem suum esse domicilium Deus, ubi columen pudoris perpetuum servet ingressus, dum sine detimento integratatis maternae nascitur, sine corruptela conceptus. [...] PL 20, 888
- 777 Sanctus evangelista non absolute ait, *die tertia nuptiae fiebant;* PL 20, 896 sed coniunctione praeposita loquitur, *et die tertia nuptiae fiebant in Cana Galilaeae: et erat mater Iesu ibi.*<sup>4</sup> Ubi? Utique apud gentes; nam beatam Mariam constat de gente moabitarum ex matre traxisse originem. *Booz enim genuit Obed ex Ruth,* utique illa muliere moabitide. *Obed autem genuit Iesse: Iesse genuit David regem;*<sup>5</sup> de eius semine nascitur Ioseph, cui desponsata virgo Maria (eiusdem quippe tribus, quia aliter non licebat) quae genuit Iesum, qui dici-

<sup>1</sup> CCL XX, 147, 148, 149.

<sup>2</sup> Exod. XII, 5.

<sup>3</sup> Coloss. II, 9.

<sup>4</sup> Io. II, 1.

<sup>5</sup> Matth. I, 5.

● PL 21, 319, 330, 344, 376, 377, 386, 603, 625.

■ PL 21, 713, 938. Quoad Comm. in LXXV Davidis psalmos, PL 21, 641, cf. PLS I, 1097.

## DE ECCLESIASTICIS DOGMATIBUS

**1473** Cap. LXIX. Integra fide credendum est beatam Mariam Dei Christi matrem, et virginem concepisse, et virginem genuisse, et post partum virginem permansisse. Nec est blasphemiae Helvidii acquiescendum qui dixit: Fuit virgo ante partum, non virgo post partum. PL 58, 996

RURICIUS (Senior) Lemovicensis<sup>1</sup> († post 507)

## EPISTOLA X

**1474** [...] Nam et Dominus in Evangelio, cum ei a circumstantibus diceretur: *Ecce mater tua, et fratres tui quaerunt te, volentes videre te ita respondit: Quae est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Et ostendens apostolos, sequentes se: Nonne hi, qui faciunt voluntatem Patris mei?*<sup>2</sup> Mater enim Christi dici possumus, quando Christum corde gestamus. Nam et S. Maria, quae et virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit, Dominum nostrum non complexu virili, sed fide maritante concepit. PL 58, 90

## S. AVITUS Viennensis Allobrogum (ca 450 † ca 518)

## EPISTOLAE

**1475** Ep. II. [...] Filium Dei, cum Patre ante saecula permanentem, quem idcirco ad salutem nostram descendisse de caelo ut corpus assumeret fides recta confitetur, negant in alvum femineam potuisse contrudi; cum Dei Filius, utique Deus, qui dixerat per prophetam: *Caelum et terram ego imleo,*<sup>3</sup> non potuerit venire quo erat, nisi per susceptionem carnis acquiesceret esse quod non erat. Quam conclusionem metuens Eutyches ille quem loquimur, cum in synodo superius designata studiose ab auditoribus urgeretur, ut Mariam virginem Θεοτόκον, id est quae Deum peperisset, pronuntiaret atque subscriberet, ad ingenii nequitiam fraude conversus, Χριστοτόκον, quae Christum tantummodo videretur edidisse, confessus est: ut scilicet

<sup>1</sup> Vel Lemovicinus (Clavis 985).

<sup>2</sup> Matth. XII, 47, 48, 49.

<sup>3</sup> Ier. XXIII, 24.

• PL 58, 760, 763, 825, 843, 854, 855, 856, 881, 902, 905, 907, 911, 919, 981, 982, 1068, 1077, 1101, 1106, 1110, 1112.

RUSTICUS<sup>1</sup> HELPIDIUS DOMNULUS († 501/502)

CARMINA IN HISTORIAM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI

## EVA A DIABOLO SEDUCTA

PL  
62, 543

Evae, viperea, vetitum decerpere pomum  
 Invidus, arte parat, tantae quae nescia fraudis  
 Credidit infelix socio peritura marito.

1471

## ANGELI AD MARIAM ADVENTUS

Angelus illaesum Mariae per somnia Ioseph  
 Connubium servare monet: hic dote repleta  
 Spiritus hoc quod sit flagrans, salvatur honore.

## GENNADIUS Massiliensis († 492/505)

## EPISTOLA DE FIDE

PLS  
III, 724

1472

[...] Filius ergo Dei, qui dicitur Verbum Dei et sapientia Dei, carnem adsumpsit ex virgine Maria, ut sicut vero ex Deo Patre est genitus verus Deus, ita fieret ex homine verus homo; non tamen in his duabus naturis duas habens personas, sed una persona Deus et homo. Filius Dei unigenitus verus et perfectus Deus, verus et perfectus homo, non adoptivus, neque putativus, sed verus et proprius filius Dei. Natus est ergo Dei filius ex virgine Maria, non per hominem, id est ex viri coitu, sed per virtutem Spiritus sancti conceptus ex virgine, ut ait ei angelus Dei: *Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum et caetera. Concipies et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum.*<sup>2</sup> Ait autem Maria ad angelum: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*<sup>3</sup> Et dixit ei angelus: *Spiritus \* sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, et quod nasceretur ex te, sanctum vocabitur et est filius Dei.*<sup>4</sup> Et ita natus est ex virgine Maria verus Deus et verus homo cum anima rationali et carne cum sensibus suis; per quos sensus veros in passione et ante passionem carnis dolores sustinuit, et in eadem carne mori dignatus est pro redemptione mundi, permanens in divinitate impassibilis.

<sup>1</sup> Vel Rusticius (Clavis 1506).<sup>2</sup> Le. I, 28, 31.<sup>3</sup> Le. I, 34.<sup>4</sup> Le. I, 35.

ρας ἡμῶν, τῷ Ἀθραὶ καὶ τῷ Ἰσαὰκ καὶ τῷ Ἰακώῳ, καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ εἰς τὸν αἰῶνα».

Τελειοῖ τὴν προφητείαν, οὐ μόνον τὴν ἴδιαν, ἀλλὰ καὶ τῶν προφητῶν κατὰ τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ Θεοῦ μέλλοντος ἐξ αὐτῆς γεννᾶσθαι, τοῦ κοινοῦ Σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ. Οὐκ οὖν εὔτελέστερα μὲν ἡ Μαρία προφητεύει, τῇ τελειοτάτῃ οἰκονομίᾳ διακονουμένη· καὶ ἀγάλλεται αὐτῆς τὸ πνεῦμα ἐπὶ τῷ Κυρίῳ. Εὐφρανέσθω δὲ καὶ ἡ Ἐκκλησία ἐπὶ τῷ νυμφίῳ καὶ Σωτῆρι. Εἰ γάρ ἐκείνη εὐφραίνετο καὶ πρὸ τῆς ἐκβάσεως τοῦ ἔργου, πῶς οὐ μᾶλλον χρὴ τὴν Ἐκκλησίαν νυμφευθεῖσαν, καὶ ἥδη τὰ σπέρματα τοῦ ἀγίου νυμφίου δεξαμένην τῇ διδασκαλίᾳ τῶν ἀγγελικῶν λόγων, πλέον μὲν εὐφράνεσθαι, ἀδιαλείπτως δὲ ἀγγαλιᾶσθαι, εὐχαριστεῖν δὲ ὑπερβαλλόντως, εὐδοκιμεῖν δὲ ἀρεσκόντως ἐν ἔργοις ἀρετῆς τῷ παραγενομένῳ Σωτῆρι Χριστῷ; ΖΩ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

*diae suae, sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et Isaac et Iacob, et semini eius in saecula.<sup>1</sup>*

Vaticinium non suum duntaxat, sed et prophetarum absolvit pollicitatione Dei, qui ex ipsa nasciturus erat communis Salvator Iesus Christus. Non humiliora itaque vaticinatur Maria, dum perfectissimae dispensationi ministrat; et exsultat spiritus eius in Domino. Exsultet et Ecclesia in sponso ac Salvatore. Si enim laetatur illa vel ante operis exitum, qui non magis congruit ut Ecclesia iam desponsata et per angelici sermonis doctrinam sancti Sponsi semine iam fecundata, multo magis gaudeat, et gaudeat indesinenter, et mirificas gratias agat, et virtutis operibus placere studeat Christo, qui factus est ei Salvator? Cui gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

### SALONIUS Viennensis Allobrogum <sup>2</sup> (saec. V)

#### IN PARABOLIS SALOMONIS EXPOSITIO

1433     *Veranus.* – Quid est quod ait: *Sapientia aedificavit sibi domum;*<sup>3</sup> PL 53, 974 et quam domum aedificavit sibi?

*Salonius.* – Sapientia, id est Dei Filius, aedificavit sibi domum, qui ipse creavit hominem in utero Virginis, quem in unitate suae personae assumpsit.

<sup>1</sup> Lc. I, 55.

<sup>2</sup> Vel Genavensis (Clavis, 499).

<sup>3</sup> Prov. IX, 1.

● PL 53, 988, 999.

● GELASIUS CYZICENUS (saec. V). PG 85, 1194, 1196, 1236, 1253, 1280,  
1281.

unus autem non conversione divinitatis in carne, sed adsumptione  
humanitatis in Deo; unus omnino non confusione substantiae sed  
unitate personae. [...] Anathema ergo duobus contrariis sibimet erro-  
ribus Photini vel Nestorii, quorum alter sancta[m] Maria[m] anthro-  
potocon tantum non etiam theotocon confitetur; alter vero theoto-  
con tantum, non etiam anthropotocon praedicat. Quia eadem beata  
virgo immaculato illo atque virgineo et singulari mirificoque parti,  
<sup>\*45</sup> neque sine homine Deum, neque \*absque Deo hominem peperisse  
credenda est; sed revera in unitate personae peperit Deum hominem  
et hominem Deum factum.

### SEDULIUS COELIUS († 449/450)

#### CARMEN PASCHALE (430?)

PL  
19, 595  
\*596

1236

- Lib. II, 28. Et velut e spinis mollis rosa surgit acutis,  
\* Nil, quod laedat, habens, matremque obscurat honore:  
30 Sic Eva de stirpe saera veniente Maria,  
Virginis antiquae facinus nova virgo piaret:  
Ut quoniam natura prior vitiata iacebat  
Sub ditione necis, Christo nascente, renasci  
Posset homo, et veteris maculam deponere carnis.  
35 Haec ventura senes postquam dixere prophetae,  
Angelus intactae cecinit properata Mariae,  
Et dictum comitata fides, uterumque puellae.  
\* Sidereum mox implet onus, rerumque creator  
Nascendi sub lege fuit; stupet innuba tensos  
40 Virgo sinus, gaudetque suum paritura parentem.  
Iamque novem lapsis, decimi de limine mensis  
Fulgebat sacrata dies, cum Virgine feta  
Promissum complevit opus Verbum caro factum,  
In nobis habitare volens; tum maximus Infans  
45 Intemerata sui conservans viscera templi,  
Illaesum vacuavit iter, pro virgine testis  
Partus adest, clausa ingrediens, et clausa relinquens.  
Quae nova lux mundo, quae toto gratia coelo!  
\* Quis fuit ille nitor, Mariae cum Christus ab alvo  
50 Processit splendore novo? Velut ipse decoro

\*597

\*598

- PLS III, 57.
- PLS III, 144, 145.
- PL 18, 12, 78, 81.
- PL 19, 561, 739.

Sponsus ovans thalamo, forma speciosus amoena  
 Prae natis hominum, cuius radiante figura  
 Blandior in labiis diffusa est gratia pulchris.

O facilis pietas! ne nos servile teneret

- 55 Peccato dominante iugum, servilia summus  
 Membra tulit Dominus, primique ab origine mundi  
 Omnia qui propriis vestit nascentia donis,  
 Obsitus exiguis habuit velamina pannis:  
 Quemque procellosi non mobilis unda profundi,
- 60 Terrarum non omne solum, spatiosaque lati  
 \* Non capit aula poli, puerili in corpore plenus  
 Mansit, et angusto Deus in praesepe quievit.

\*599

- Salve, sancta parens, enixa puerpera Regem,  
 Qui coelum, terramque tenet per saecula, cuius  
 65 Numen, et aeterno complectens omnia gyro  
 Imperium sine fine manet; quae ventre beato  
 Gaudia matris habens cum virginitatis honore,  
 \* Nec primam similem visa es, nec habere sequentem,  
 Sola sine exemplo placuisti femina Christo.

\*600

- 1237 Lib. V, 357. Discedat synagoga, suo fuscata colore,  
 Ecclesiam Christus pulchro sibi iunxit amore,  
 \* Haec est conspicuo radians in honore Mariae:
- 360 Quae cum clarifico semper sit nomine mater,  
 Semper virgo manet; huius se visibus astans  
 Luce palam Dominus prius obtulit, ut bona mater,  
 Grandia divulgans miracula, quae fuit olim  
 Advenientis iter, haec sit redeuntis et index.

PL  
19, 742

\*743

- 1238 5 Unius ob meritum cuncti perire minores,  
 Salvantur cuncti unius ob meritum.  
 Sola fuit mulier, patuit qua ianua letho:  
 Et qua vita redit, sola finit mulier.
- 1239 53 Virgo Maria nitet, nullo temerante pudore,  
 Post partum pueri virgo Maria nitet.

PL  
19, 753PL  
19, 757

## HYMNUS

- 1240 A solis ortus cardine  
 Ad usque terra limitem  
 Christum canamus principem,  
 Natum Maria virgine.

PL  
19, 763

Beatus auctor saeculi  
 Servile corpus induit,  
 Ut, carne carnem liberans,  
 Ne perderet, quos condidit.

Clausae parentis viscera  
 Coelestis intrat gratia,  
 Venter pueriae baiulat  
 Secreta, quae non noverat.

\* Domus pudici pectoris  
 Templum repente fit Dei,  
 Intacta nesciens virum  
 Virgo creavit filium.

Enixa est puerpera,  
 Quem Gabriel praedixerat,  
 Quem matris alvo gestiens  
 Clausus Ioannes senserat.

Feno iacere pertulit,  
 Praesepe non abhorruit,  
 Parvoque lacte pastus est,  
 Per quem nec ales esurit.

### S. PETRUS Chrysologus (ca 406 † ca 450)

#### SERMONES

<sup>PL 52, 335</sup> Sermo XLVIII. [...] *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria?*<sup>1</sup> Iterum, iudaee, matris nomen clamas, occultas Patris; patrem dicis, nomen non dicis: fabrum dicis, opus non dicis. Iudaee, decipiunt te ista, non decipiunt credituros. *Nonne mater eius dicitur Maria, et fratres eius Iacobus et Ioseph, et Simon, et Iudas, et sorores eius nonne omnes apud nos sunt?* Si mater, si fratres, si sorores apud vos sunt, pater ubi est? Vobiscum non est, quia Deus odit fictos, invidos deserit, declinat ingratos, sibi non sinit crudeles et impios commorari. *Et fratres eius et sorores eius, nonne omnes apud nos sunt?* Callide fratres ingeris, ostentas sorores, ut numeroso partu sanctae matris virginitas lateat, obscuretur integritas, et sentiatur de filio totum quod humanum est, nihil divinum. Iudaee, quos dicis fratres et sorores Christi, Cleophae sororis Mariae filii sunt, non Mariae; et fratribus et sororum filios fratres nuncupat et divina lex et humana cognatio. Ergo Christi fratres fecit non matris virginitas \* quae per-

<sup>1</sup> Matth. XIII, 55.

Restituit quod prima tulit. Non voce querelas  
 \* Excitet, aut gemitu moerentia corda fatiget  
 Antiqua pro lege dolor; scelera ipsa nefasque  
 Hac potius mercede placent, mundoque redempto  
 Sors melior de clade venit; persona ruinam,  
 Non natura, dedit; tunc femina feta periculum,  
 Nunc tumuit paritura Deum, mortalia gignens,  
 Et divina ferens, per quam Mediator in orbem  
 Prodiit, et veram portavit ad aethera carnem.

\*97

- 1622** Lib. II. [...] Davidica nam stirpe satus, genitrice Maria, PL 68, 179  
 Christus adest, quem tota canunt oracula vatum  
 Venturum sub carne Deum, seseque creantem  
 Virgineos intrare sinus.

- 1623** Corporis ille locus, quo circumciditur Abram, PL 68, 190  
 Luxuriam lascivus habet, vitique minister  
 Naturae sub lege iacet, pater ipse futurus  
 Seminis, unde salus ad vitam pullulat orbis,  
 Evacuat, quod culpa gravat, truncata libido  
 Virgineum promittit opus; haec namque propago  
 Divinum concepit iter; hinc sacra Maria est  
 Ad partum generata novum, quae, coniugis expers,  
 \* Mater inest, natusque Dei de Virginis alvo  
 Emicat, atque hominem mediator in omnia complet,  
 Hinc terrena levans, illic coelestia praestans.

\*191

- 1624** [...] Quantum tua, Christe, potestas PL 68, 219  
 in famulis operata facit! Tu redditus astris,  
 Aequalisque Patri de maiestate perenni  
 Iura superna regis; sed quod caro, corpore matris  
 Virginis orta tibi, regnum spoliavit Averni,  
 Vivaque de proprio revocasti membra sepulcro,  
 Teque probans voluisse mori, qua parte resurgis,  
 Et qua natus eras, iam ferrea vincula solvis.

### SERMONES AFRICANI<sup>1</sup> (saec. VI)

- 1625** Sermo 4. [...] Audisti virtutes, sensisti potentiam? Deum fatere qui missus est. Hunc per castos auditus virgo Maria incorrupto pudore concepit et solo verbo pregnata Deum Christum gennit incorrupta. Sed dum secum virgo angelo nuntiante tanti conceptus

PLS III, 1417

<sup>1</sup> Cf. PLS III, 1412.

• PL 68, 186.

rationem inquirit his se adloquitur verbis angelici nominis: « Vultus veros video et quae promittit impleri non dubito. Tamen *quomodo fiet istud quae virum non cognosco.*<sup>1</sup> Mater vocabor et virgo sum. Ero feta quae neandum sum maritata. » Et angelus ad Mariam. « Noli virgo, noli futura Dei mater et virgo mortalium considerare naturas. Ingens hoc arcanum est et caeleste consilium. Qui de te nasciturus est ipse te fecit. Noli, inquam, divinis rebus aliquid aequare terrenum, non te matrem viri facit accessus, sed *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.*<sup>2</sup>

PLS III, 1419 Sermo 6. [...] Solius enim Domini et beati Ioannis dies nativitatis in universo mundo caelebratur. Illum enim sterilis peperit, istum virgo concepit. In Elisabet sterilitas vincitur, in beata Maria conceptionis consuetudo mutatur. Elisabet virum cognoscendo filium genuit, Maria angelo credidit et concepit. Hominem concepit Elisabet, hominem Maria, sed Elisabet solum hominem; Maria Deum et hominem. Mira res est. Quomodo potuerit concipere creatura creatorem? Quid ergo intellegendum est, carissimi, nisi quia ipse sibi fecit carnem de sola matre qui fecit primum hominem sine patre et matre? Primus ille noster casus fuit quando femina per quam mortui sumus in corde concepit venena serpentis. Persuasit enim serpens peccatum et admissus est mala suadens. Si primus casus noster fuit cum femina concepit corde venena serpentis, non mirandum est quia salus nostra facta est cum femina concepit in utero carnem Omnipotentis, et quia uterque sexus ceciderat, uterque erat postea commendandus. Per mulierem missi sumus in interitu, per feminam accepimus indulgentiam peccatorum.

1626

### FACUNDUS Hermianensis (saec. vi)

#### PRO DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM (546/548)

PL 67, 530 Lib. I, cap. I. [...] Illud etiam quod beatam Mariam \* vere et proprie matrem Dei esse dixisti, in eadem synodi allocutione<sup>3</sup> invenimus esse firmatum, ubi dictum est: « Verum non latuit indormitabilem oculum naturae communis inimicus, sed tanquam lumina ria confestim Patres nostros, his quos tenebrarum pervaserat error, ostendit; qui cunctis reserarent intelligentiam fidei, et incarnationis

1627

<sup>1</sup> Lc. I, 34.

<sup>2</sup> Lc. I, 35.

<sup>3</sup> Loquitur ad Iustinianum Imperatorem de Synodo Chalcedonensi.

*Verbum caro fieret, et habitaret in nobis:*<sup>1</sup> ita intra viscera sanctae Mariae Virginis genitricis Dei unitis utriusque sine aliqua confusione naturis, ut qui ante tempora erat Filius Dei, fieret filius hominis; et nasceretur ex (in) tempore hominis more, matris vulvam natus non aperiens, et virginitatem matris deitatis virtute non solvens. Dignum plane Deo nascente mysterium, ut servaret partum sine corruptione, qui conceptum fecit esse sine semine, servans quod ex Patre erat, et repraesentans quod ex matre suscepit.

### A. M. S. BOETIUS (477/480 † 524)

#### BREVIS FIDEI CHRISTIANAE COMPLEXIO

1499

[...] Dum ibi Dei populus moraretur, post iudices et prophetas, reges instituti leguntur: quorum post Saulem primatum David de tribu Iuda legitur adeptus fuisse. Descendit itaque ab eo per singulas successiones regium stemma, perductumque est usque ad Herodis tempora, qui, primus ex gentibus, memoratis populis legitimus imperasse. Sub quo exstitit beata Virgo Maria, quae de Davidica stirpe pervenerat, quae humani generis genuit Conditorem. Hoc autem ideo, quia multis infectus criminibus mundus iacebat in mortem, electa est una gens, in qua Dei mandata clarescerent; ibique missi prophetae et alii sancti viri, per quorum admonitionem ipse certe populos a tumore pervicaciae revocaretur; illi vero, eosdem occidentes, in suae nequitiae perversitate manere voluerunt.

PL  
64, 1336

Atque iam in ultimis temporibus non prophetas neque alios sibi placitos, sed ipsum Unigenitum suum Deus per virginem nasci constituit, ut humana salus, quae per primi hominis inobedientiam deperierat, per hominem Deum rursus repararetur; et quia exstiterat mulier quae causam mortis primo viro suaserat, esset haec seunda mulier quae vitae causam humanis visceribus apportaret. Nec vile videatur quod Dei Filius ex virgine natus est, quoniam praeter naturae modum conceptus et editus est. Virgo itaque de Spiritu sancto incarnatum Dei Filium concepit, virgo peperit, post eius editionem virgo permansit, atque hominis factus est idemque Dei filius; ita ut in eo et divinae naturae radiaret splendor, et humanae fragilitatis appareret assumptio.

<sup>1</sup> Io. I, 14.

• PL 63, 480, 483, 519, 535, 536.

**LIBER DE PERSONA ET DUABUS NATURIS**  
**CONTRA EUTYCHEN ET NESTORIUM**

<sup>PL</sup>  
<sup>64, 1347</sup> Cap. V. Transeundum quippe est ad Eutychen, qui cum a ve-

1500

terum orbitis esset evagatus, in contrarium cucurrit errorem; asserens, tantum abesse ut in Christo gemina persona credatur, ut ne naturam quidem in eo duplarem oporteat confiteri; ita quippe esse assumptum hominem, ut ea sit adunatio facta cum Deo, ut natura humana non manserit. Huius error ex eodem quo Nestorii fonte prolabitur: nam sicut Nestorius arbitratur non posse esse naturam duplarem, quin persona fieret duplex, atque ideo, cum in Christo naturam duplarem confiteretur, duplarem credidit esse personam, ita quoque Eutyches non putavit naturam duplarem esse sine duplicatione personae; et cum non confiteretur duplarem esse personam, arbitratus est consequens esse ut una videretur esse natura. Itaque Nestorius recte tenens duplarem in Christo esse naturam, sacrilege confitetur duas esse personas, Eutyches vero recte credens unam esse personam, impie credit unam quoque esse naturam. Qui convictus evidentia rerum, quandoquidem manifestum est aliam naturam esse hominis, aliam Dei, ait duas se confiteri in Christo naturas ante adunationem, unam vero post adunationem. \* Quae sententia non aperte quod vult eloquitur. Ut tamen eius dementiam perscrutemur, adunatio haec aut tempore generationis facta est, aut tempore resurrectionis. Sed si tempore generationis facta est, videtur putare et ante generationem fuisse humanam carnem, non a Maria sumptam, sed aliquo modo alio praeparatam; Mariam vero Virginem appositam, ex qua caro nascetur quae ab ea sumpta non esset; illam vero carnem, quae ante fuerit, esse divisam atque a divinitatis substantia separatam; cum ex Virgine natus est, adunatam esse Deo, ut una videretur facta esse natura. Vel si haec eius sententia non est, illa esse poterit dicentis, duas ante adunationem, unam post adunationem, si adunatio generatione perfecta est, ut corpus quidem a Maria sumpserit, sed, antequam sumeret, diversam deitatis humanitatisque fuisse naturam: sumptam vero unam factam, atque in divinitatis cessisse substantiam. Quod si hanc adunationem non putat generatione, sed resurrectione factam, rursus id duobus fieri arbitrabitur modis: aut enim genito Christo et non assumente de Maria corpus, aut assumpta ab eadem carne, usque dum resurgeret, duas quidem fuisse naturas, post resurrectionem unam factam: de quibus illud disiunctum nascitur, quod interrogabimus hoc modo: Natus ex Maria

\*1348

Christus aut ab ea carnem humanam traxit, aut minime. Si non confitetur ex ea traxisse, dicat quo homine induitus advenerit; utrumne eo qui deciderat praevaricatione peccati, an alio? Si eo de cuius semine ductus est homo, quem vestita divinitas est? Nam si ex semine Abrahae atque David et postremo Mariae, non fuit caro illa quanatus est, ostendat ex cuius hominis sit carne derivatus: quoniam, post primum hominem, caro omnis humana ex humana carne deducitur. Sed si quem dixerit hominem, a quo generatio sumpta sit Salvatoris, praeter Mariam Virginem, et ipse errore confunditur, et ascribere mendacii notam summae Divinitati, illusus ipse, videbitur; quando quod Abrahae atque David promittitur in sanctis divinationibus, ut ex eorum semine toti mundo salus oriatur, aliis distribuit: cum praesertim si humana caro sumpta est, non ab alio sumi potuerit nisi unde etiam procreabatur. Si igitur a Maria non est sumptum corpus humanum, sed a quolibet alio, per Mariam tamen est procreatuum, quod fuerat praevaricatione corruptum, superius dicto repellitur argumento. Quod si non eo homine Christus induitus est qui pro peccati poena sustinuerat mortem, illud eveniet, ex nullius hominis semine talem potuisse nasci, qui fuerit sine originalis poena peccati. Ex nullo igitur talis sumpta est caro, unde fit ut noviter videatur esse formata. Sed haec aut ita hominum visa est oculis, ut humanum putaretur corpus, quod revera non esset humanum, quippe quod nulli originali subiaceret poenae; aut nova quaedam vera, nec poenae peccati subiacens originalis ad tempus hominis natura formata est. Si verum hominis corpus non fuit, aperte arguitur mentita divinitas, quae ostenderet hominibus corpus, quod cum verum \* non esset, tum fallerentur hi qui verum esse arbitrarentur. At si nova veraque non ex homine sumpta caro formata est, quo tanta tragœdia generationis? ubi ambitus passionis? Ego quippe, ne in homine quidem, non stulte fieri puto, quod inutiliter factum est. Ad quam vero utilitatem facta procreabitur tanta humilitas Divinitatis, si homo, qui periit, generatione ac passione Christi salvatus non est, quoniam negatur assumptus?

\*1349

- PL 64, 1333, 1338, 1346, 1349, 1352.

<sup>PL 17,  
626 (647)</sup> Sermo XI, 5. Tunc et vota nostra celebrata sunt, quando Christo 853

Ecclesia copulata est, sicut ait Ioannes: *Qui habet sponsam, sponsus est.*<sup>1</sup> Propter has ergo nuptias saltare nos convenit; siquidem et David rex pariter et propheta cum multa cecinerit, ante arcum Testamenti saltasse dicatur;<sup>2</sup> elevatus enim gaudio in saltationem prorupit. Praevidebit enim in Spiritu per Mariam de germine suo Ecclesiam Christi thalamo sociandam, de quo ait: *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.*<sup>3</sup>

### SULPICIUS SEVERUS (ca 360 † 420/423)

#### EPISTOLAE<sup>4</sup>

<sup>PL 20, 228</sup> Ep. II, III. Sed ut illustrius virginitatis meritum clareat, et 854

quam digna Deo sit manifestius intelligi possit, illud cogitetur quod Dominus et salvator noster Deus, cum propter humani generis salutem hominem dignaretur assumere, non alium quam virginalem uterum elegerit, ut huiusmodi plurimum sibi placere monstraret, et ut pudicitiae bonum. utrique sexui intimaret. Virginem matrem habuit virgo mansurus. In se viris, et in matre feminis praebuit virginitatis exemplum. Quo demonstratur in utroque sexu beatam integritatem divinitatis habere plenitudinem meruisse, dum tantum in matre fuit quidquid habebat in filio.

<sup>1</sup> Io. III, 29.

<sup>2</sup> II Reg. VI, 14.

<sup>3</sup> Ps. XVIII, 6; CCL XXIII, 274; Sermo hic, secundum Mutzenbecher, est genuinus; cf. PLS III, 369. S. Maximus in hoc sermone iterat quod dixit in sermone CIV (cf. n. 847). Unica variatio est in verbo *Ecclesiam* quod inventur in hoc loco.

<sup>4</sup> Ep. II, Pelagii fortasse est (PLS I, 792 et 1105).

● PL 57, 347, 442, 549.

■ PLS III, 371, 373.

δοτρείω καὶ ἐν ὑγροῖς γενόμενος, σῶμα ἔοικεν εἶναι ὑγρὸν καὶ διειδές, φωτὸς καὶ πνεύματος γέμον, οὕτω καὶ ὁ σαρκωθεὶς Θεὸς λόγος, φῶς ἐστι νοερόν, διὰ φωτὸς καὶ ὑγροῦ ἐκλάμψας σώματος.

carne et concha, ac liquore exsistens corpus videtur esse lucidum ac liquidum, lucis ac spiritus plenum, ita et incarnatum Deus verbum lux est spiritualis per lucidum ac liquidum corpus fulgens.

**Q. S. F. TERTULLIANUS (ca 158 † 220/230)**

**APOLOGETICUS (197)**

PL  
1, 394  
<sup>(452)</sup>  
\*395

67

Cap. XXI. [...] Venit igitur qui [...] venturus a Deo praenuntiabatur, Christus ille \* filius Dei. Huius igitur gratiae disciplinaeque arbiter et magister, illuminator atque deductor generis humani Filius Dei annuntiabatur, non quidem ita genitus, ut erubescat de filii nomine aut de patris semine. [...] \* Ceterum Dei Filius nullam de impudicitia habet matrem,<sup>1</sup> etiam quam videtur habere, non nupserat. [...] \* Iste igitur Dei radius, ut retro semper praedicabatur, delapsus in virginem quandam et in utero eius caro figuratus, nascitur Homo Deo mixtus.<sup>2</sup>

\*397  
(455)

\*399  
(457)

**DE PRAESCRIPTO HAERETICORUM (198)**

PL  
2, 26

68

Cap. XIII. Regula est autem fidei ut iam hinc quid defendamus profiteamur, illa scilicet qua creditur, unum omnino Deum esse, nec alium praeter mundi conditorem, qui universa de nihilo produxerit per Verbum suum primo omnium emissum. Id Verbum Filium eius appellatum, in nomine Dei varie visum a patriarchis, in prophetis semper auditum, postremo delatum ex Spiritu Patris Dei et virtute in virginem Mariam, carnem factum in utero eius, et ex ea natum egesse Iesum Christum.<sup>3</sup>

PL  
2, 36

69

Cap. XXIII. [...] Caeterum si reprehensus est Petrus quod, cum convixisset ethnicis, postea se a convictu eorum separabat personarum respectu, utique conversationis fuit vitium, non praedicationis. Non enim ex hoc alias Deus, quam Creator; et alias Christus, quam ex Maria, et alia spes quam resurrectio annuntiabatur.<sup>4</sup>

• PG 8, 890. PG 9, 349, 688.

<sup>1</sup> In quibusdam Codicibus invenitur « Nullam de pudicitia habet matrem »; Christus enim non est natus de nuptiis, ne quidem iustis et legitimis.

<sup>2</sup> CCL I, 123, 124, 125.

<sup>3</sup> CCL I, 197.

<sup>4</sup> CCL I, 205.

- 70 Cap. XXXVI. [...] Ista quam felix Ecclesia! [...] Unum Deum PL<sub>2, 49</sub>  
Dominum novit, creatorem universitatis, et Christum Iesum ex  
virgine Maria Filium Dei creatoris.<sup>1</sup>

#### DE RESURRECTIONE CARNIS (208/211)

- 71 Cap. XX. [...] Virgo concepit in utero non figurate, et peperit PL<sub>2, 821</sub>  
Emmanuelem, Nobiscum Deum Iesum, non oblique.<sup>2</sup>

#### DE ANIMA (208/211)

- 72 Cap. XXVI. [...] Aspice etiam singulares conceptus, et quidem PL<sub>2, 694</sub>  
monstrosiores, sterilis et virginis, quae vel hoc ipso imperfectos  
edere potuissent pro eversione naturae, ut altera seminis stupida,  
altera intacta. [...] Exsultat Elizabeth, Ioannes intus impulerat;  
glorificat dominum Maria, Christus intus instinxerat.<sup>3</sup>

#### ADVERSUS VALENTINIANOS (208/211)

- 73 Cap. XXVII. Nunc redbo de Christo, in quem tanta licentia PL<sub>2, 581</sub>  
Iesum inserunt quidam, quanta spiritale semen animali cum inflatu  
infulciunt, fartilia nescio quae commenti et hominum et deorum  
suorum [...] per virginem, non ex virgine editum quia delatus in  
virginem transmeatorio potius quam generatorio more processerit;  
per ipsam, non ex ipsa; non matrem eam, sed viam passus.<sup>4</sup>

#### DE CARNE CHRISTI (208/212)

- 74 Cap. V. [...] Humana [caro] sine dubio, ut nata de homine, ideo-  
que mortalis haec erit in Christo, quia Christus homo et filius hominis. Aut eur homo Christus et filius hominis, si nihil hominis et  
nihil ex homine? Nisi si aut aliud est homo quam caro, aut aliunde  
caro hominis, quam ex homine; aut aliud Maria, quam homo, aut  
homo deus Marcionis. Aliter, non diceretur homo Christus, sine  
carne; nec hominis filius, sine aliquo parente homine: sicut nec  
Deus, sine Spiritu Dei; nec Dei Filius, sine Deo patre.<sup>5</sup>

- 75 Cap. VII. Sed quotiens de nativitate contenditur, omnes qui PL<sub>2, 766</sub>

<sup>1</sup> CCL I, 216-217.

<sup>2</sup> CCL II, 945.

<sup>3</sup> CCL II, 822.

<sup>4</sup> CCL II, 772.

<sup>5</sup> CCL II, 881.

respuunt eam ut praeiudicantem de carnis in Christo veritate, ipsum Deum volunt negare esse natum, quod dixerit:<sup>1</sup> *Quae mihi mater, et qui mihi fratres?* Audiat igitur et Apelles, quid iam responsum sit a nobis Marcioni eo libello, quo ad Evangelium ipsius provocavimus, considerandam scilicet materiam pronuntiationis istius. Primo quidem, nunquam quisquam adnuntiasset illi matrem et fratres eius foris stare, qui non certus esset habere illum matrem et fratres, et ipsos esse, quos tunc nuntiabat, vel retro cognitos, vel tunc ibidem compertos, licet propterea abstulerint haereses ista de Evangelio, quod et creditum patrem eius Ioseph fabrum, et matrem Mariam, et fratres et sorores eius optime notos sibi esse dicebant, qui mirabantur doctrinam eius.<sup>2</sup>

<sup>PL 2, 781</sup> Cap. XVI. [...] Qui ideo non putant carnem nostram in Christo fuisse, quia non fuit ex viri semine, recordentur Adam ipsum in hanc carnem non ex semine viri factum. Sicut terra conversa est in hanc carnem sine viri semine, ita et Dei Verbum potuit sine coagulo in eiusdem carnis transire materiam.<sup>3</sup> <sup>76</sup>

<sup>PL 2, 781</sup> Cap. XVII. Sed remisso Alexandro cum suis syllogismis, quos in argumentationibus torquet, etiam cum psalmis Valentini, quos magna impudentia quasi idonei alicuius auctoris interserit, ad unam iam lineam congressionem dirigamus, an carnem Christus ex virginе acceperit, ut hoc praecipue modo humanam eam constet, si ex humana matrice substantiam traxit. Quamquam liquit iam et de nomine hominis, et de statu qualitatis, et de sensu tractationis, et de exitu passionis humanam constitisse. Ante omnia autem commendanda erit ratio quae praefuit, ut Dei Filius de virginе nasceretur. Nove nasci debebat novae nativitatis dedicator, de qua signum daturus Dominus ab Esaia praedicabatur. Quod est istud signum? *Ecce virgo concipiet in utero, et pariet filium.*<sup>4</sup> Concepit igitur virgo et peperit Emmanuelē, Nobiscum Deum. Haec est nativitas nova, dum homo nascitur in Deo; \* in quo homine Deus natus est, carne antiqui seminis suscepta, sine semine antiquo, ut illam novo semine, id est, spiritualiter reformaret exclusis antiquitatis sordibus, expiatam. Sed tota novitas ista, sicut et in omnibus, de veteris figura est, rationali per virginem dispositione Domino nascente. Virgo erat adhuc terra nondum opere compressa, nondum sementi subacta: ex ea hominem factum accepimus a Deo in animam vivam. Igitur si primus Adam de terra traditur, merito sequens, vel novissimus Adam, ut

<sup>1</sup> Matth. XII, 48.

<sup>2</sup> CCL II, 886, 887.

<sup>3</sup> CCL II, 903.

<sup>4</sup> Isa. VII, 14.

Apostolus dixit, proinde de terra, id est, carne nondum generationi resignata, in spiritum vivificantem a Deo est prolatus. Et tamen, ne mihi vacet incursus nominis Adae, unde Christus Adam ab Apostolo dictus est, si terreni non fuit census homo eius? Sed et hic ratio defendit, quod Deus imaginem et similitudinem suam, a diabolo captam, aemula operatione recuperavit. In virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum aedificatorum mortis; in virginem aequa introducendum erat Dei Verbum extlectorum vitae: ut quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eumdem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti: credidit Maria Gabrieli. Quod illa credendo deliquit, haec credendo delevit. « Sed Eva nihil tunc concepit in utero ex diaboli verbo ». Imo concepit. Nam exinde ut abiecta pareret, et in doloribus pareret, verbum diaboli semen illi fuit. Enixa est denique diabolum fratricidam. Contra, Maria eum edidit, qui carnalem fratrem Israel, interemptorem suum, salvum quandoque praestaret. In vulvam ergo Deus Verbum suum detulit, bonum fratrem, ut memoriam mali fratris eraderet. Inde prodeundum fuit Christo ad salutem hominis, quo homo iam damnatus intraverat.<sup>1</sup>

78 Cap. XVIII. Nunc, ut simplicius respondeamus, non competebat \* ex semine humano Dei Filium nasci, ne si totus esset filius hominis, non esset et Dei filius, nihilque haberet amplius Salomone, et amplius Iona; et de Hebionis opinione credendus erat. Ergo, iam Dei Filius ex Patris Dei semine, id est spiritu, ut esset et hominis filius, caro ei sola erat ex hominis carne sumenda, sine viri semine. Vacabat enim viri semen, apud habentem Dei semen. Itaque, sicut nondum natus ex virgine, patrem Deum habere potuit sine homine matre; aequa, cum de virgine nasceretur, potuit matrem habere hominem sine homine patre. Sic denique homo cum Deo, dum caro hominis cum spiritu Dei. Caro sine semine, ex homine; spiritus cum semine, ex Deo. Igitur si fuit dispositio rationis super Filium Dei ex virgine proferendum, cur non ex virgine acceperit corpus, quod de virgine protulit? Quia aliud est quod a Deo sumpsit. Quoniam, inquiunt, *Verbum caro factum est.*<sup>2</sup> Vox ista quid caro factum sit contestatur; nec tamen periclitatur, quasi statim aliud sit factum caro, et non Verbum. Si ex carne factum est verbum caro, aut si ex semine ipso factum est, Scriptura dicat. Cum Scriptura non dicat, nisi quod sit factum, non et unde sit factum; ergo ex alio, non ex semine ipso suggerit factum. Si non ex semine ipso, sed ex alio,

PL  
2, 782  
\*783

<sup>1</sup> CCL II, 904-905.

<sup>2</sup> Io. I, 14.

iam hinc tracta, ex quo magis credere congruat, carnem factum Verbum, nisi ex carne, in qua et factum est, vel quia ipse Dominus sententialiter et definitive pronuntiavit:<sup>1</sup> *Quod in carne natum est, caro est*, quia ex carne natum est. Sed si de homine tantummodo dixit, non et de semetipso, plane nega hominem Christum, et ita defende non et in ipsum competisse. Atquin subiicit: *Et quod de spiritu natum est, spiritus est*. Quia Deus spiritus est, et de Deo natus est.<sup>2</sup>

PL  
2, 785

79

Cap. XIX. [...] Intelligimus ergo, ex concubitu nativitatem Domini negatam, quod sapit voluntas viri et carnis, non ex vulvae participatione. Et quid utique tam exaggeranter inculcavit, non ex sanguine, nec ex carnis voluntate, aut viri, natum; nisi quia ea erat caro, quam ex concubitu natam nemo dubitaret? Negans porro ex concubitu, non negavit ex carne; imo confirmavit ex carne, quia non proinde negavit ex carne, sicut ex concubitu negavit. Oro vos, si Dei spiritus non de vulva carnem participaturus descendit in vulvam, cur descendit in vulvam? Potuit enim extra eam fieri caro spiritalis simplicius multo, quam intra vulvam fleret extra vulvam. Sine caussa eo se intulit, unde nihil extulit. Sed non sine caussa descendit in vulvam: ergo ex illa accepit. Quia si non ex illa accepit, sine caussa in illam descendit, maxime eius qualitatis caro futurus, quae non erat vulvae, id est spiritalis.<sup>3</sup>

PL  
2, 785

80

Cap. XX. Qualis est autem tortuositas vestra, ut ipsam *ex syllabam*, praepositionis officio adscriptam, auferre quaeratis, et alia magis uti, quae in hac specie non invenitur penes Scripturas sanctas? *Per virginem natum, non ex virgine; et in vulva, non ex vulva.* Quia et angelus in somnis ad Ioseph: *Nam quod in ea natum est, inquit,<sup>4</sup> de Spiritu Sancto est;* non dixit *ex ea*. Nempe tamen, etsi *ex ea* dixisset, *in ea* dixerat: in ea enim erat, quod ex ea erat. Tantumdem ergo, et cum dicit, *in ea*, et *ex ea* consonat; quia ex ea erat, quod in ea erat. Sed bene, quod idem dicit Matthaeus, originem Domini decurrentis ab \* Abraham usque ad Mariam: *Iacob, inquit, generavit Ioseph, virum Mariae, ex qua nascitur Christus.* Sed et Paulus grammaticis istis silentium imponit: *Misit, inquit,<sup>5</sup> Deus Filium suum factum ex muliere.* Numquid *per mulierem*, aut *in muliere?* Hoc quidem impressius, quod *factum* potius dicit, quam *natum*: simplicius enim enuntiasset *natum*. *Factum* autem dicendo, et

<sup>1</sup> Io. III, 6.<sup>2</sup> CCL II, 905-906.<sup>3</sup> CCL II, 907.<sup>4</sup> Matth. I, 20.<sup>5</sup> Gal. IV, 4.

*verbum caro factum est consignavit, et carnis veritatem ex virgine factae asseveravit.* Nobis quoque ad hanc speciem Psalmi patrocinabuntur, non quidem apostatae, et haeretici, et platonici Valentini, sed sanctissimi et receptissimi prophetae David. Ille apud nos canit Christum, per quem se cecinit ipse Christus. Accipe Christum, et audi Dominum Patri Deo colloquenter: *Quia tu es qui avulsisti me ex utero matris meae:* ecce unum. *Et spes mea ab uberibus matris meae;* super te sum projectus ex vulva: ecce aliud. *Et ab utero matris meae Deus meus es tu:*<sup>1</sup> ecce aliud. Nunc ad sensus ipsos decernemus. *Avulsisti me,* inquit, *ex utero.* Quid avellitur, nisi quod inhaeret, quod infixum, innexum est ei, a quo, ut auferatur, avellitur? Si non adhaesit utero, quomodo avulsus est? Si adhaesit qui avulsus est, quomodo adhaesisset, nisi dum ex utero est per illum nervum umbilicarem, quasi folliculi sui traducem, adnexus origini vulvae. Etiam cum quid extraneum extraneo agglutinatur, ita concarnatur et convisceratur cum eo cui agglutinatur, ut cum avellitur, rapiat secum ex corpore aliquid a quo avellitur, quasi sequelam quamdam abruptae unitatis, et producis mutui coitus. Caeterum quae ubera matris suae nominat? Sine dubio, quae hausit. Respondent obstetrices, \* medici et physici de uberum natura, an aliter manare soleant, sine vulvae genitali passione, suspendentibus exinde venis sentinam illam interni sanguinis et ipsa translatione decoquentibus in materiam lactis laetiorem. Inde adeo fit, ut uberum tempore, menses sanguinum vacent. Quod si Verbum caro ex se factum est, non ex vulvae communicatione, nihil operata vulva, nihil funeta, nihil passa; quomodo fontem suum transfudit in ubera, quae, nisi habendo, non mutat? Habere autem sanguinem non potuit lacti subministrando, si non haberet caussas sanguinis ipsius, avulsionem scilicet suae carnis. Quid fuerit novitatis in Christo ex virginе nascendi, palam est: scilicet, solummodo hoc, quod ex virginе, secundum rationem quam edidimus; et uti virgo esset regeneratio nostra, spiritualiter ab omnibus inquinamentis sanctificata per Christum, virginem et ipsum, etiam carnaliter, ut ex virginis carne.<sup>2</sup>

\*787

- 81 Cap. XXI. Si ergo contendunt hoc competisse novitati, ut quemadmodum non ex viri semine, ita nec ex virginis carne caro fieret Dei Verbum; quare non hoc sit tota novitas, ut caro non semine nata, carne processerit? Accedant adhuc cominus ad congressum: *Ecce,* inquit, *virgo concipiet in utero.*<sup>3</sup> Quidnam? Utique Dei Ver-

<sup>1</sup> Ps. XXI, 10.<sup>2</sup> CCL II, 908-910.<sup>3</sup> Isa. VII, 14; Matth. I, 23.PL<sub>2, 787</sub>

bum, non viri semen: certe ut pareret filium. Nam *Et pariet*, inquit, *filium*. Ergo, ut ipsius fuit concepisse, ita ipsius est quod peperit; licet non ipsius fuerit quod concepit. Contra si Verbum ex se caro factum est, iam ipsum se concepit, et peperit, et vacat prophetia. Non enim virgo concepit, neque peperit, si non quidquid peperit ex verbi concepto, caro ipsius est. Sola haec autem prophetae vox evacuabitur? An et angeli, conceptum et partum virginis annuntiantis? An et omnis iam Scriptura, \* quaecumque matrem pronuntiat Christi? Quomodo enim mater, nisi quia in utero eius fuit? Sed si nihil ex utero eius accepit, quid matrem eam faceret, in cuius utero fuit? Hoc nomen non debet caro extranea. Matris uterum non appellat, nisi filia uteri, caro. Filia uteri porro non est, si sibi nata est. Tacebit igitur et Elizabeth prophetam portans iam Domini sui concium infantem, et insuper Spiritu Sancto adimpta. Sine caussa enim dicit: *Et unde mihi, ut mater Domini mei ad me veniat?*<sup>1</sup> Si Maria non filium, sed hospitem in utero gestabat Iesum. Quomodo dicit: *Benedictus fructus uteri tui?* Quis hic fructus uteri, qui non ex utero germinavit; qui non in utero radicem egit; qui non eius est, cuius est uterus? Et qui utique fructus uteri? Christus. An quia ipse est flos de virga profecta ex radice Iesse; radix autem Iesse, genus David; virga ex radice, Maria ex David? Flos ex virga, filius Mariae, qui dicitur Jesus Christus, ipse erit et fructus. Flos enim fructus: quia per florem, et ex flore, omnis fructus eruditur in fructum. Quid ergo? Negant et fructui suum florem, et flori suam virgam et virgae suam radicem, quo minus suam radix sibi vindicet per virgam proprietatem eius quod ex virga est, floris et fructus. Siquidem omnis gradus generis ab ultimo ad principalem recensetur, ut iam nunc carnem Christi, non tantum Mariae, sed et David per Mariam, et Iesse per David, sciant adhaerere. Ideo hunc fructum ex lumbis David, id est, ex posteritate carnis eius iurat illi Deus concessurum in throno ipsius. Si ex lumbis David, quanto magis ex lumbis Mariae, ob quam in lumbis David!<sup>2</sup>

PL 2, 788

82

\*789 Cap. XXII. Deleant igitur et testimonia daemonum filium David proclamantia Iesum: sed testimonia Apostolorum delere non poterunt, si daemonum indigna \* sunt. Ipse imprimis Matthaeus, fidelissimus Evangelii commentator, ut comes Domini, non aliam ob caussam, quam ut nos originis Christi carnalis compotes faceret, ita exorsus est: *Liber geniturae Iesu Christi, filii David, filii Abraham.*<sup>3</sup> His originis fontibus genere manante, cum gradatim ordo

<sup>1</sup> Lc. I, 43.<sup>2</sup> CCL II, 910-912; Matth. XX, 30; Marc. X, 47; Lc. XVIII, 38.<sup>3</sup> Matth. I, 1.

deducitur ad Christi nativitatem, quid aliud quam caro ipsa Abrahae et David, per singulos traducem sui faciens, in virginem usque describitur inferens Christum, imo ipse Christus proditur de virgine? Sed et Paulus, utpote eiusdem Evangelii et discipulus et magister, et testis, qua eiusdem ipsius Christi apostolus, confirmat Christum ex semine David secundum carnem, utique ipsius. Ergo ex semine David caro Christi. Sed secundum Mariae carnem, ex semine David: ergo ex Mariae carne est, dum ex semine est David. Quocumque detorseris dictum, aut ex carne est Mariae, quod ex semine est David; aut ex David semine est, quod ex carne est Mariae. Totam hanc controversiam dirimit idem Apostolus, ipsum definiens esse Abrahæ semen. Cum Abraham, utique multo magis David, quasi recentioris. Retexens enim promissionem benedictionis nationum in nomine Abraham: *Et in semine tuo benedicentur omnes nationes: non, inquit, dixit, Seminibus, tanquam de pluribus; sed Semine, tanquam de uno, quod est Christus.*<sup>1</sup> Qui haec legimus et credimus, quam debemus et possumus agnoscere in Christo carnis qualitatem? Utique non aliam, quam Abraham; siquidem semen Abraham Christus: nec aliam, quam Iesse, siquidem ex radice Iesse flos Christus: nec aliam, quam David, siquidem fructus ex lumbis David, Christus: nec aliam quam ex Maria, siquidem ex Mariae utero, Christus. Et adhuc superius: nec aliam quam Adam, siquidem secundus Adam, Christus. Consequens ergo est, ut aut illos spiritalem carnem habuisse contendant, quo eadem conditio substantiae dederunt in Christo: aut concedant carnem Christi spiritalem non fuisse, quae non de spiritali stirpe censemur.<sup>2</sup>

83 Cap. XXIII. Sed agnoscimus adimpleri propheticam vocem Simeonis, \* super adhuc recentem infantem Dominum pronuntiatam: *Ecce hic positus est in ruinam et suscitationem multorum in Israel, et in signum quod contradicetur.*<sup>3</sup> Signum enim nativitatis Christi, secundum Esaiam: *Propterea dabit vobis Dominus ipse signum: ecce virgo concipiet in utero, et pariet filium.*<sup>4</sup> Agnoscimus ergo signum contradicibile, conceptum et partum virginis Mariae; de quo Academicci isti « Peperit, et non peperit; Virgo, et non virgo » quasi non, etsi ita dicendum esset, a nobis magis dici conveniret. Peperit enim, quae ex sua carne; et non peperit, quae non ex viri semine. Et virgo, quantum a viro; non virgo, quantum a partu. Non tamen ut ideo, peperit, et non peperit; et ideo, Virgo, quae non virgo, quia non

PL  
2, 789  
\*790

<sup>1</sup> Gal. III, 16.

<sup>2</sup> CCL II, 912-914.

<sup>3</sup> Lc. II, 34.

<sup>4</sup> Isa. VII, 14.

de visceribus suis mater. Sed apud nos nihil dubium, nec retortum in ancipitem defensionem. Lux, lux; et tenebrae, tenebrae, et *Est, est*; et, *Non, non*. *Quod amplius, hoc a malo est.*<sup>1</sup> Peperit, quae peperit. Et si virgo concepit, in partu suo nupsit, ipsa patefacti corporis lege, in quo nihil interfuit, de vi masculi admissi, an emissi, idem illud sexus resignaverit. Haec denique vulva est propter quam et de aliis scriptum est: *Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum vocabitur Domino.*<sup>2</sup> Quis vere sanctus, quam Dei Filius? Quis proprie vulvam adaperuit, quam qui clausam patefecit? Caeterum, omnibus nuptiae patefaciunt. Itaque magis patefacta est, quia magis erat clausa. Utique magis non virgo dicenda est, quam virgo, saltu quodam mater ante, quam nupta. Et quid ultra de hoc retractandum est, cum hac ratione Apostolus, non ex virgine, sed ex muliere editum Filium Dei pronuntiavit, agnovit adaperiae vulvae nuptialem passionem? Legimus quidem apud Ezechiel de vacca illa quae peperit, et non peperit. Sed videte, ne vos iam tunc providens Spiritus Sanctus notarit hac voce, disceptaturos super ute- rum Mariae. Caeterum, non contra illam suam simplicitatem, prouniasiasset dubitative, Esaia dicente: *Concipiet, et pariet.*<sup>3</sup>

## ADVERSUS MARCIONEM (208/212)

- |                         |  |
|-------------------------|--|
| <sup>PL</sup><br>2, 289 | Lib. II, IV. [...] <i>Non est bonum solum esse hominem.</i> <sup>4</sup> Sciebat 84<br>illi sexum Mariae, et deinceps Ecclesiae profuturum. <sup>5</sup>   |
| <sup>PL</sup><br>2, 338 | Lib. III, XIII. [...] Virginem, inquit, parere natura non patitur: et tamen creditur prophetae. Et merito. Praestruxit enim fidem incredibili rei, rationem edendo, quod in signo esset futura. <i>Propterea, inquit, dabit vobis Dominus signum: ecce virgo concipiet in utero et pariet filium.</i> <sup>6</sup> Signum autem a Deo, nisi novitas aliqua monstruosa, iam signum non fuisset. Denique et Iudei, si quando ad nos deiciendos mentiri audent, quasi non virginem, sed iuvenculam concepturam et paritaram Scriptura contineat, hinc revincuntur quod nihil signi videri possit res quotidiana, iuvenculae scilicet praegnatus et partus. In signum ergo disposita virgo et mater merito creditur; infans vero bellator non aeque. |
| <sup>PL</sup><br>2, 344 | Lib. III, XVII. [...] Si enim plenitudo in illo spiritus constitit, 86   |

<sup>1</sup> Matth. V, 37.<sup>2</sup> Exod. XIII, 3.<sup>3</sup> CCL II, 914-915<sup>4</sup> Gen. II, 18.<sup>5</sup> CCL I, 479.<sup>6</sup> Isa. VII, 14.

agnosco virgam de radice Iesse; flos eius meus erit Christus, *in quo requievit, secundum Isaiam,<sup>1</sup> \* spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et vigoris, spiritus agnitionis et pietatis, spiritus timoris Dei.* Neque enim ulti hominum diversitas spiritalium documentorum competebat, nisi in Christum: flori quidem ob gratiam spiritus adaequatum; ex stirpe autem Iesse deputatum, per Mariam inde censem.<sup>2</sup>

\*345

87 Cap. XX. [...] *Ecce testimonium cum nationibus posui, principem et imperantem nationibus. Nationes \* quae te non sciunt, invocabunt te, et populi configuent ad te.*<sup>3</sup> Nec enim haec in David interpretaberis, quia praemisit: *Et disponam vobis dispositionem aeternam, religiosa et fidelia David.*<sup>4</sup> Atquin hinc magis Christum intelligere debebis ex David deputatum carnali genere, ob Mariae virginis censum; de hoc enim promisso iuratur in psalmo ad David: *Ex fructu ventris tui collocabo super thronum tuum.*<sup>5</sup> Quis iste venter est? Ipsius David? Utique non; neque enim paritus esset David. Sed nec uxoris eius; non enim dixisset: *Ex fructu ventris tui;* sed potius, «*Ex fructu ventris uxoris tuae*». Ipsius ergo dicendo ventrem, superest ut aliquem de genere eius ostenderit, cuius ventris futurus esset fructus caro Christi, quae ex utero Mariae floruit. Ideoque et fructum ventris tantum nominavit, ut proprie ventris; quasi solius ventris, non etiam viri: et ipsum ventrem ad David redegit, ad principem generis, et familiae patrem. Nam quia viro deputare non poterat virginis eum ventrem, patri deputavit. Ita, quae in Christo nova dispositio invenitur hodie, haec erit quam tunc Creator pollicebatur: religiosa et fidelia David, iam sancta religione, et fidelis ex resurrectione. Nam et Natham propheta in secundo Basiliarum, professionem ad David facit: *Semini eius quod erit, inquit, ex ventre ipsius.*<sup>6</sup> Hoc si in Salomonem simpliciter edisseres, risum mihi inœties. Videbitur enim David peperisse Salomonem. An et hic Christus significatur, ex eo ventre semen David, qui esset ex David, id est Mariae? Quin et aedem Dei magis Christus aedificaturus esset, hominem scilicet sanctum, in quo potiore templo inhabitaret Dei Spiritus et in Dei Filium magis Christus habendus esset, quam Salomon filius David.<sup>7</sup>

PL  
2, 349  
\*350<sup>1</sup> Isa. XI, 2.<sup>2</sup> CCL I, 530.<sup>3</sup> Isa. LV, 4.<sup>4</sup> Isa. LV, 3.<sup>5</sup> Ps. CXXI, 11.<sup>6</sup> II Reg. VII, 12.<sup>7</sup> CCL I, 535, 536.

<sup>PL 2, 362</sup> Lib. IV, cap. I. [...] Adeo pristinum testamentum temporale significat, dum mutabile ostendit, etiam dum aeternum de postero pollicetur. Nam per Isaiam: <sup>1</sup> *Audite me, et vivetis, et disponam vobis testamentum;* adiiciens: *Sancta et fidelia David;* ut id testamentum in Christo decursurum demonstraret. Eumdem ex genere David secundum Mariae censem, etiam in virga ex radice Iesse processura figurate praedicabat.<sup>2</sup>

<sup>PL 2, 378</sup> Cap. X. [...] De Filio hominis duplex est nostra praescriptio, neque mentiri posse Christum, ut se filium hominis pronuntiaret si non vere erat; neque filium hominis constitui, qui non sit natus ex homine, vel patre vel matre; atque ita discutiendum, cuius hominis accipi debeat, patris an matris. Si ex Deo Patre est, utique non ex homine; si non et ex homine [patre], superest ut ex homine sit matre; si ex homine [matre], iam apparent quia ex virginе. Cui enim homo pater non datur, nec vir matri eius deputabitur; porro, cui vir non deputabitur, virgo est. Ceterum duo iam patres habebuntur, Deus et homo, si non virgo sit mater; habebit enim virum, ut virgo non sit; et habendo virum, duos patres faciet, Deum et hominem, ei qui et Dei et hominis esset filius. Talem, si forte, Castori aut Herculi nativitatem tradunt fabulae. Si haec ita distinguuntur, id est, si ex matre filius est hominis, quia ex patre non est; ex matre autem virginе, quia non ex patre homine; hic erit Christus Isaiae, quem concepturam virginem praedicat.

<sup>\*379</sup> Qua igitur ratione admittas filium hominis, Marcion, circumspicere non possum. Si patris hominis, negas \* Dei Filium; si et Dei, Herculem de fabula facis Christum; si matris tantum hominis, meum concedis; si neque matris [neque patris] hominis, ergo nullius hominis est filius, et necesse est mendacium admiserit, qui se quod non erat dixit. Unum potest angustiis tuis subvenire, si audeas aut Deum tuum patrem Christi hominem quoque cognominare, quod de Aeone fecit Valentinus; aut virginem hominem negare, quod ne Valentinus quidem fecit [...] \* In illam necesse est amenantiam tendat, ut et filium hominis defendat, nec mendacem eum faciat; et ex homine neget natum, ne filium virginis concedat.<sup>3</sup>

<sup>1</sup> Isa. LV, 3.

<sup>2</sup> CCL, I, 546.

<sup>3</sup> CCL I, 563 ss.

- 90 Lib. V, cap. V. [...] Quid infirmum Dei fortius homine, nisi nativitas et caro Dei? Ceterum si nec natus ex virgine Christus, nec carne constructus, ac per hoc neque crucem, neque mortem vere perpessus est, nihil in illo fuit stultum et infirmum.<sup>1</sup> PL 2, 482
- 91 Cap. VIII. [...] *Prodibit virga de radice Iesse et flos de radice ascendet, et requiescat super eum Spiritus Domini*<sup>2</sup> [...] Christum enim in floris figura ostendit oriturum ex virga profecta de radice Iesse, id est Virgine generis David filii Iesse.<sup>3</sup> PL 2, 489
- 92 Cap. IX. [...] Fortasse an et mystice factum sit ut nocte Christus nasceretur, lux veritatis futurus ignorantiae tenebris. Sed nec generavi te dixisset Deus, nisi filio vero. Nam etsi de toto populo ait filios generavi;<sup>4</sup> sed non adiecit ex utero. Cur autem adiecit ex utero, tam vane, quasi aliquis hominum ex utero natus dubitaretur, nisi quia curiosius voluit intellegi in Christum; ex utero generavi te, id est, ex solo utero, sine viri semine, carni deputans ex utero spiritus?<sup>5</sup> PL 2, 493

#### DE MONOGAMIA (213)

- 93 Cap. VIII. [...] Quis enim corpus Domini dignius initiaret, quam eiusmodi caro, qualis et concepit illud et peperit. Et Christum quidem virgo enixa est, semel nuptura post partum,<sup>6</sup> ut uterque titulus sanctitatis in Christi sensu dispungeretur, per matrem et virginem et univiram.<sup>7</sup> PL 2, 939

#### DE VIRGINIBUS VELANDIS (213)

- 94 Cap. I. [...] Regula quidem fidei una omnino est, sola immobilis, et irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, et Filium eius Iesum Christum, natum ex virginе Maria.<sup>8</sup> PL 2, 889
- 95 Cap. VI. Videamus nunc si et Apostolus formam vocabuli istius secundum Genesim observet, sexui deputans illud, sic mulierem vocans virginem Mariam, quemadmodum et Genesis Evam. Scribens enim ad Galatas: *Misit, inquit, Deus Filium suum factum ex* PL 2, 897

<sup>1</sup> CCL I, 677.

<sup>2</sup> Isa. XI, 1.

<sup>3</sup> CCL I, 686.

<sup>4</sup> Isa. I, 2.

<sup>5</sup> CCL I, 690.

<sup>6</sup> Hieronymus, contra hanc sententiam Tertulliani, scribit: «Et de Tertulliano quidem nihil amplius dico quam Ecclesiae hominem non fuisse» (*De perpetua virginitate B. Mariae adv. Helvidium*: PL 23, 211).

<sup>7</sup> CCL II, 1239.

<sup>8</sup> CCL II, 1209.

*muliere*,<sup>1</sup> quam utique virginem constat fuisse, licet Hebion resistat. Agnoseo et angelum Gabrielem ad virginem missum; sed cum benedicit illam, inter mulieres, non inter virgines deputat: *Benedicta tu inter mulieres*.<sup>2</sup> Sciebat et Angelus mulierem etiam virginem dici. Sed et ad haec duo ingeniose quidam respondisse sibi visus est: quoniam quidem despontata est Maria, idcirco et ab Angelo et ab Apostolo mulierem pronuntiatam: despontata enim quodammodo nupta: tamen inter quodammodo, et verum, satis interest duntaxat in loco; nam alibi ita sane habendum est. Nunc vero non quasi iam nuptam mulierem Mariam pronuntiaverunt \* sed quasi nihilominus foeminam, etiamsi non sponsam, quasi hoc a primordio dictam. Illud enim praeiudicet necesse est, a quo forma descendit. Caeterum quod pertineat ad hoc capitulum, si hic despontatae adaequatur, ut ideo mulier dicta sit Maria, non qua foemina, sed qua marita; iam ergo Christus non ex virgine natus est, quia ex despontata, quae virgo esse desierit hoc nomine. Quod si ex virgine natus est, licet ex despontata, tamen integra, agnosce mulierem etiam virginem, etiam integrum dici. Hic certe nihil prophetice dictum videri potest, ut futuram mulierem, id est, nuptam Apostolus nominaret dicendo, *factum ex muliere*. Non enim poterat posteriorem mulierem nominare, de qua Christus nasci non habebat, id est, virum passam; sed illa quae erat praesens, quae erat virgo, et mulier vocabatur per vocabuli huius proprietatem, secundum primordii formam, virginis, et ita universo mulierum generi defensam.<sup>3</sup>

\*898

## ADVERSUS PRAXEAM (post 213)

PL 2, 190

96

Cap. XXVII. [...] «Ecce, inquiunt, ab angelo praedicatum est: *Propterea quod nasceretur sanctum, vocabitur Filius Dei*».<sup>4</sup> Caro itaque nata est; caro itaque erit Filius Dei. Imo de Spiritu Dei dictum est.

Certe enim de Spiritu Sancto virgo concepit; et quod concepit, id peperit; id ergo nasci habebat quod erat conceptum et parendum; id est Spiritus, cuius et vocabitur nomen Emmanuel, quod est interpretatum *Nobiscum Deus*.<sup>5</sup>

<sup>1</sup> Gal. IV, 4.<sup>2</sup> Lc. I, 42.<sup>3</sup> CCL II, 1215, 1216.<sup>4</sup> Lc. I, 32.<sup>5</sup> CCL II, 1198.

DE PRAESCRITIONIBUS ADVERSUS HAERETICOS<sup>1</sup> ■

97 Cap. XLVIII. Carpocrates praeterea hanc tulit sectam. Unam esse dicit Virtutem in superioribus principalem, ex hac prolatis angelos, atque virtutes: quos distantes longe a superioribus virtutibus, mundum istum in inferioribus partibus condidisse; Christum non ex virgine Maria natum, sed ex semine Ioseph, hominem tantummodo genitum, sane p[ro]ae caeteris iustitiae \* cultu, vitae integritate meliorem.<sup>2</sup>

PL  
2, 66PL  
2,\*67

98 Cap. XLIX. Valentinus autem haereticus multas introducit fabulas. \* ... [Dicit] Christum autem missum ab illo propatore, qui est Bythos. Hunc autem in substantia corporis nostri non fuisse, sed spiritale nescio quod corpus de caelo deferentem, quasi aquam per fistulam, sic per Mariam virginem transmeasse, nihil inde vel accipientem vel mutuantem.<sup>3</sup>

PL  
2, 67  
\*69

99 Cap. LIII. [...] Accedit his Theodotus haereticus byzantius: qui posteaquam Christi pro nomine comprehensus negavit, in Christum blasphemare non destitit. Doctrinam enim introduxit, qua Christum hominem tantummodo diceret, Deum autem illum negaret; ex Spiritu quidem Sancto natum ex virgine, sed hominem solitarium, atque nudum, nulla alia p[ro]ae caeteris, nisi sola iustitiae auctoritate. Alter post hunc Theodotus haereticus erupit, qui et ipse introduxit alteram sectam, et ipsum hominem Christum tantummodo dicit ex Spiritu Sancto, ex virgine Maria conceptum pariter et natum; sed hunc inferiorem esse \* quam Melchisedech, eo quod dictum sit de Christo: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.*<sup>4</sup>

PL  
2, 72

\*73

CARMEN ADVERSUS MARCIONEM<sup>5</sup> ■

100 Cap. VII. [...] Et virga styracis fructus nucis adtulit ipsa: Virginis haec species, genuit quae sanguine corpus, Coniunctum: in ligno sedavit mortis amarum

PL  
2, 1082

<sup>1</sup> Opus Romae conscriptum, forsitan a S. Zephirino PP vel a quadam clericu romano. Cf. PLS I, 29.

● PL 1, 175, 1252.

<sup>2</sup> CCL II, 1405.

<sup>3</sup> CCL II, 1406, 1407.

<sup>4</sup> Ps. CIX, 4; CCL II, 1410.

<sup>5</sup> Carmen hoc non est Tertulliani. Nonnulli putant in Gallia prodiisse saec. iv. Cf. PLS I, 29.

Interius fructum dulcem, de Spiritu sancto.  
Sicut Esaias virgam de semine Iesse  
Praedixit Mariam, de qua Flos exit in orbem.<sup>1</sup>

S. HIPPOLYTUS Romanus (ca 172 † ca 235)

FRAGMENTA IN PROVERBIA

<sup>PG</sup>  
<sup>10,</sup> 621 [...] Τῆς Ἐκκλησίας μὴ καταλιμπανούσης ἐν κόσμῳ τὴν ἐλπίδα, τῆς τὰ πάντα φερούσης Χριστοῦ σαρκώσεως, τρίβον νεκρώσεως ἐν ἄδου οὐκ ὑπελίπετο. - Τίνος, ἀλλ’ ἡ τοῦ ἐκ Πνεύματος ἀγίου καὶ παρθένου γεγεννημένου; δες τὸν τέλειον ἀνθρωπον ἀνανεώσας ἐν κόσμῳ ἐπιτελεῖ τὰς δυνάμεις, ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος Ἰωάννου, ὡς καὶ ὁ εὐαγγελιστὴς μαρτυρεῖ· ἦν δὲ ὁ Ἰησοῦς ἀρχόμενος ὡς ἐτῶν τριάκοντα· τούτου οὖν τὸ νέον καὶ ἀκμαῖον τῆς ἡλικίας, δες διοδεύων κατὰ πόλεις καὶ χώρας, ἵστο τὰς νόσους καὶ τὰς ἀσθενείας τῶν ἀνθρώπων.

<sup>PG</sup>  
<sup>10,</sup> 624 « Τρία ἔστιν ἀδύνατά μοι νοῆσαι, καὶ τὸ τέταρτον οὐκ ἐπιγινώσκω· ἵχνη ἀετοῦ πετομένου », τοῦ Χριστοῦ τὴν ἀνάληψιν. Καὶ « ὁδοὺς ὅφεως ἐπὶ πέτρας ». διάδοιος οὐχ εὑρεν ἵχνος ἀμαρτίας ἐν τῷ σώματι τοῦ Χριστοῦ. Καὶ « τρίθους νηὸς ποντοπορούσης », τῆς Ἐκκλησίας ὡς ἐν πελάγει τῷ βίῳ τούτῳ, τῇ εἰς Χριστὸν ἐλπίδι διὰ τοῦ σταυροῦ κυθερωμένης. Καὶ « ὁδοὺς ἀνδρὸς ἐν νεό-

<sup>PG</sup>  
<sup>10,</sup> 622 [...] Cum Ecclesia spem suam non dimitat, quam habet erga omnis boni fontem, Christi incarnationem, semitam mortis in inferno non facit. Cuiusnam, nisi nati de Spiritu sancto et virgine? Qui perfectum hominem in mundo renovans prodigia edidit, capto initio a Ioannis baptismate, sicut evangelista testatur. Erat autem Iesus incipiens quasi annorum triginta. In hac igitur iuvenili et florente aetate, circumiens civitates et regiones, hominum morbos et infirmitates sanabat.

<sup>PG</sup>  
<sup>10,</sup> 623 Tria ego intelligere nequeo, et quartum penitus ignoro: vestigium aquilae volantis; nempe Christi ascensum. Viam serpentis in petra; nempe diabolus non invenit peccati vestigium in corpore Christi. Et semitam navis mare decurrentis; nempe Ecclesiae in huius mundi pelago fluctuantis, et ob spem suam in Christum a cruce quasi gubernaculo rectae. Denique vias viri in adolescentia, illius nimirum

<sup>1</sup> CCL II, 1447.

● PL 2, 34, 154, 157, 176, 189, 335, 363, 404, 405, 406, 427, 450, 451, 469, 506, 515, 521, 754, 760, 767, 768, 769.

■ PL 2, 1090.

mundo migravit ad Christum. Quae nec de corruptione suscepit contagium, nec resolutionem pertulit in sepulcro; pollutione libera, germe gloria, assumptione secura, paradiso dote praelata; nesciens damna de coitu, sumens vota de fructu; non subdita dolori per partum, non labori per transitum, nec vita voluntate, nec funus solvitur vi naturae.

**S. VENANTIUS H. C. FORTUNATUS (ca 530 † ca 600)**

CARMINA MISCELLANEA

PL  
88, 264

Lib. VIII, cap. III. De Nativitate Domini.

1658

Agnoscat omne saeculum

Venisse vitae praemium:  
Post hostis asperi iugum,  
Apparuit redemptio.

Isaias quae concinit,  
Completa sunt in Virgine,  
Annuntiavit angelus,  
Sanctus replevit Spiritus.

Maria ventre concipit  
Verbi fideli semine,  
Quem totus mundus non capit,  
Portant puellae viscera.

Radix Iesse floruit,  
Et virga fructum edidit.  
Fecunda partum protulit,  
Et virgo mater permanet.

Praeseppe poni pertulit,  
Qui lucis auctor exstitit,  
Cum Patre coelos condidit,  
Sub matre pannos induit.

PL  
88, 268

Cap. VI. De virginitate.

1659

[...] Respic qui voluit nasci se ventre puellae,

Et Domini summi qua caro carne venit.

Spiritus intactam venerabilis attigit alvum,

Virgineam cupiens inhabitare domum.

Hanc Deus ingrediens, hominis quae nesciit usum,

Sola suo nato conscientia virgo viro.

Concipiente fide, nullo se semine lusit

Et quo factus homo est, non fuit alter homo.

Virginitas felix, quae partu est digna Tonantis,

Quae meruit Dominum progenerare suum.

Templa Creatoris sunt membra pudica puellae,

Et habitat proprius tale cubile Deus,

\* Quantum sponsa potest de virginitate placere,

\*269

Ipsa Dei genitrix nonnisi virgo placet.

Sara, Rebecca, Rachel, Esther, Iudith, Anna, Noëmi,

Quamvis praecipue culmen ad astra levent:

Nulla tamen meruit mundi generare parentem,

Quae Dominum peperit, clausa Maria manet.

Intemerata Deum suspendit ab ubere natum,

Et panem coeli munere lactis alit.

Hoc ergo in sponsae nunc viscere diligit ipse,

Quod prius in matre legit honore sacer.

Pectora liberius penetrat sibi cognita soli,

Et quo nemo fuit, laetior intrat iter.

Haec sua membra putans, quae nulla iniuria fuscat,

Quae neque sunt alio participata viro,

Mitis in affectu, pectus complectitur illud,

Promptus amore colens, quo alter amator abest.

Cum sua regna Deus pariter velit omnibus esse,

Hoc commune tamen Christus habere fugit.

Per paradisiacas epulas cupit esse cohaeres,

Virgineam solus vult habitare domum.

Castra pudicitiae melius rex ipse tuetur,

Si sibi non violet turba dicata fidem.

Ipse voluntatem si viderit esse fidelem,

Proque suis famulis et Deus arma tenet.

Lorica, galea, clypeo praemunit amantem,

Et stabilit solidum mentis in arce gradum.

Ballista iaculans pro te mox exit in hostem,

Perdat ut adversos, qui tibi bella movent,

Currit ad amplexus post praelia gesta triumphans,

Infigens labiis oscula casta sacris.

Blanditur, refovet, veneratur, honorat, obumbrat,

Et locat in thalamo membra pudica suo.

Siderei proceres ad regia vota frequentes,

Certatim veniunt, agglomerando chorum.

\* Quo praeter cherubin, seraphin, reliquosque beatos,

\*270

Aligeros comites, quos tegit umbra Dei,

Bis duodena senum concursat gloria vatuum

Attonitu, sensu plaudere, voce, manu.

His venit Elias, illis in curribus Enoch,  
Et nati dono, virgo Maria prior. [...]

- <sup>PL 88, 276</sup> Cap. VII. In laudem S. Mariae Virginis.<sup>1</sup> 1660
- Lingua prophetarum cecinit de virgine partum,  
Nuntia fert terris angelus ista poli.
- \*<sup>277</sup> \* Consona vox hominum memorat, hoc ferre puellam:  
Quod daret absque viri germine virgo virum.  
Hoc Evangelio concordans pandit Isaías;  
Quae Deus inspirat, haec canit ipse tuba:  
Eloquio torrens, et rite profunda locutus  
Emanuel nostrum, virgine dante, canens,  
Praedicens olim, ut de matre Tonantis honore,  
Radicis florem Iessea virgo daret.  
Virgo haec virga fuit, de qua flos Christus abortus  
Cuius odor vivax membra sepulta levat.  
Laxus morte iacens, de cuius aromate tactus,  
Postque diem quartum Lazarus ore reflat,  
Hanc Ieremias utero ipso sanctificatus,  
Monstrans voce pari, sic quoque vatis ait:  
Ecce dies venient et David suscito germen,  
Et regnabit Rex, atque erit hic sapiens.  
Hoc germen iustum virgo est, et Rex suus infans,  
Iudicium faciens, arbiter, orbis herus.  
Psalmographi plectro cantata est ista virago,  
Cum daret arte melos vox, lyra, chorda, chorus.  
Mater Sion, dicit, homo, et homo factus in illa est,  
Ipse hanc fundavit, factus in ipsa et homo est.  
Sic quoque qui fundavit eam, est altissimus ipse,  
Haec Sion mater, virgo Maria fuit.  
Qui tanquam sponsus thalamo procedit ab alto,  
Exsultatque gigas Christus, eundo viam,  
O uteri thalamus, nova iunctio facta salutis,  
Qua Deus, atque caro nupsit honore novo!  
Quo Deus amplexus carnem est, caro iuncta cohaesit,  
Stat Deus, atque homo fit, Christus utrumque genus:  
Non Deus in carnem est versus, Deus accipit artus;  
Non se permutans, sed sibi membra levans,  
Cuius non poterat deitas per aperta videri,  
Velamen sumpsit, carne videndus homo

<sup>1</sup> Venantii est etiam hymnus *Quem terra, pontus, sidera* Breviarii Romani.

Unus in ambabus naturis, verus in ipsis,  
 Aequalis matri hinc, par deitate Patri.  
 Non sua confundens, sibi nostra sed omnia nectens,  
 Quem sine peccato gignit uterque virum.  
 De Patre natus habens divina, humanaque matris,  
 De Patre sublimis, de genitrice humilis.  
 Quando incorporeus pie corporis induit artus,  
 Aequalis matri fit, minor inde Patri.  
 Carnem, animam, ossa, cutem, nervos, venas, femur, ungues:  
 Formam servi assumens, minor inde Patri.  
 Sed redeo, qua virgo trahit mihi laude canenda,  
 Qualis nulla fuit, nulla futura venit.  
 Quemque pluunt nubes iustum de rore superno,  
 Haec Salvatorem germine terra dedit.  
 Haec porta est clausa, in quam intrat vir, nemo nec exit;  
 Ni Dominus solus, cui quoque clausa patent.

- 1661** Cuius in adventu exsiluit de ventre Ioannes,  
 Infans personuit munere praeco novus.  
 \* Trans uterum matris, quasi per specularia cernens, \*278  
 Materna et puero membra fenestra fuit.  
 Quando exsultavit, ventrem de ventre salutans,  
 Dum pede non potuit motibus ivit iter.  
 Credo, et prostratus iacuit, palmasque tetendit,  
 Ante Redemptorem parvula membra movens  
 Corrigiamque pedum quoniam est non solvere dignus,  
 Pronus adoravit, credo, tremente genu.  
 Nobilis Elizabeth, de qua canit alta prophetans,  
 Haec, operante Deo, germina laeta refert:  
 O benedicta inter mulieres, unde mihi hoc,  
 Me ut mater Domini visitet alma mei?  
 Hanc Gabriel vocitat benedictam laude puellam,  
 Et merito extollit, quae nova dona gerit:  
 Quae genitura foret benedictum germine fructum,  
 Quem Hieremias voce tonante refert:  
 Hic Deus est noster, non absque illo alter habetur,  
 Post haec in terris visus homo est habitus;  
 Quem Daniel sanctum sanctorum praedicat unum,  
 De monte excisus qui angelus et lapis est.  
 De quo Moyses: Deus excitat ecce prophetam,  
 Vobis, ex vestris fratribus, orbis opem.  
 Si qua anima hunc non audierit, qui exterminat illum  
 De populo vindex ipse propheta suo est.

David dixit: Adorabunt hunc munere reges,  
 Servibunt gentes, et Saba dona dabit.  
 Accipiens Simeon manibus quem iustus utrisque,  
 Decrepitus senio haec pia verba dedit:  
 Nunc dimitte in pace tuum servum, auctor ab alto.  
 Viderunt oculi iam quia vota mei.  
 Quando salutare hoc merui, tua verba secundum,  
 Ferre manu, et visu cernere iure Deum.  
 O sacra virgo Dei, talem generando Maria,  
 Per quem lumen habet plebs tenebrosa prius,  
 In regione umbrae mortis lux orta refulsit,  
 Admirabilis est consiliarius hie.  
 Qui Deus est fortis, Pater, atque in saecula princeps,  
 Imperii cuius pax sine fine manet.  
 Rorarunt coeli nubes, iustumque pluerunt,  
 Quem Salvatorem germine virgo dedit. [...]

PL 88, 279 O virgo insignis, nobisque medela monades

1662

Quam Deus implevit totius orbis ope.  
 Quaeque creatorem meruisti ventre tenere,  
 Et generare Deum concipiente fide.  
 Mundatura novo partu de crimine mundum,  
 atque sacro fetu progenitura Deum.  
 Humano generi genuit quos Eva dolores,  
 Curavit genitus, virgo Maria, tuus.  
 Peccati iaculo defixa in stirpe cicatrix  
 Ulcera nulla gerit, nec sua signa patent.  
 Succus amarus enim vetiti de cortice ligni,  
 Stante Redemptoris de cruce dulce sapit.  
 Sub pomì specie mors tunc de fronde pependit,  
 Nunc tuus est uterus, hinc cibus, inde salus.  
 Fructu sancta pio renovasti tempora rerum.  
 Lucidiorque dies, te generante, nitet.  
 Post tenebras solem revocat tuus alvus in orbem,  
 Cum Domini iubaris irradavit apex.  
 In te habitans mundi lumen statione corusca,  
 Floruit interius per tua membra Deus,  
 Nunc vivax fulgor penetrans et ad ima profundi,  
 Orbem alit, astra regit, tartara luce replet.  
 Cuius mundi uno est haec machina tecta pugillo,  
 Clauditur in fibris, casta puella, tuis.  
 Supportans fabricata fabrum, atque humana Tonantem,  
 Virgula radicem, facta creantis opem.

Qualiter illa novum tenuerunt viscera lumen,  
 Quod decus intus erat, quisve honor inde foras?  
 Gaudia quanta sinus hilaris tuus ille vehebat,  
 Cum tua membra premens, plus relevabat onus?  
 Tum genitrix, de fasce levis, de prole salubris,  
 Rem splendoris habens, lux neque pondus erat.

\* Auxilium de flore gerens, de fruge levamen,  
 Spem et coeli panem spica novella gerens.  
 Cuius erat stella, et sol matutinus in alvo.

Infra arcum abscondens fulgida luna iubar.  
 Anniculum portans agnum antiquumque gigantem,  
 Deque tribu Iuda qui leo fortis erat. [...]

1663 Quis te tunc sensus, Domini pia mater, habebat,  
 Cum tibi talis erat fetus, honore novus?

Praemia quanta uterum implebant, et gaudia pectus,  
 Coelorum artificem cum tua ferret humus?

O meritis radians, dic, virgo, putasne videbas  
 Angelicos cursus ire, redire novos?

Militiam coeli cum te servare vicissim  
 Sentires animo, saepe levata manu.

Quae circa te acies, vel quando iter ire parares,  
 Millia praegressus concomitando tuos?

Quid Michaël faceret ductor, sub principe celso,  
 Quid gereret Gabriel, nuntius ille sacer?

Qualiter aut Raphaël occursum impenderet almae,  
 Te portante, Dei dum putat esse thronum?

Credo alter cuperet plantis substernere palmas;  
 Ille excussa ala subnitidare viam.

Duceret iste auras ne te gravis ureret aestus,  
 Ille levans pinnas vertat ut imber aquas.

Iste ad frena manum retinens, ne sarcina lapset,  
 Neu pes offendat pendula turba vetat.

\* Quot vigiles turmae, cum te sopor altus haberet,  
 Solaque dormitans tot vigilare dares?

Sidereo obsequio, meritis dignissima virgo,  
 Cum te divinis cingeret ala choris.

Cuius honore mero sol ipse tremisceret ortum,  
 Lunaque sub pedibus quaereret esse tuis.

Artificique suo se machina subderet orbis,  
 Ac miraretur per tua membra Deum.

O virgo excellens, vincens super omnia matres,  
 Quam genus erexit, cui Deus alta dedit!

\*280

PL  
88, 280

\*281

Cuius fructus adest, et flos non perdit honores,  
 Quae nato es genitrix, et tibi virgo manes.  
 Felix quae generi humano sub Tartara lapsa,  
 Ad coelos facta es sors, via, porta, rota.  
 Aula Dei, ornatus paradisi, gloria regni,  
 Hospitium vitae, pons penetrando polos.  
 Arca nites, et theca potens gladii bis acuti,  
 Ara Dei assurgens, luminis alta pharos.  
 Celsa super cedros, et vasta cacumina montis,  
 Subque tuis plantis et rota solis adest.  
 Virgineo coetu, dux sexu prima secundo,  
 Praelata astrigeris sola puella choris.  
 Figmentum figuli, super omnia vasa decorum,  
 Atque creaturae fulgida massa novae.  
 Candelabrum pulchrum, verbi capiendo lucernam,  
 Quam formam sculpsit tam super astra faber.  
 Ornans Ierusalem sanctam, speciosa venustas,  
 A facie templi vas in honore Dei.  
 Exsuperans portas Sion splendore coruseo,  
 Stans merito fidei, gemma superba throni.  
 Ore diem iaculans, radios a fronte sagittans,  
 Luminibus rutulis, lumen honore rotans.  
 Sidereum speculum, illustris domus Omnipotentis,  
 Vultibus ex illis fulgura clara ferens.  
 Nomen honoratum, benedicta Maria per aevum,  
 Ad laudem artificis nobilis artis opus.  
 Dulcis et angelico pretioso puella relatu,  
 Omnes ultra homines dona decoris habens.  
 Inde rubore rosas, candore hinc lilia vincens,  
 Flos novus e terra, quem polus arce colat.  
 Crystallum, electrum, aurum, ostrum, concha alba, smaragdus,  
 Quo tua forma nitet, cuncta metalla iacent.  
 Nix premitur candore tuo, sol erinis honore,  
 Pallescunt radii, virgo, decore tui.  
 Lychnites hebes est, cedit tibi Lucifer ardens,  
 Omnibus officiis lampade maior ades.  
 Occulti in terris sacramenti conscientia summi,  
 Et secreta poli sunt patefacta tibi.  
 Dignus ager Domini, generans sine semine frugem,  
 Et ne cassa seges, messe repleta places.  
 Sola sine exemplo fecunda, et libera nexu,  
 Ignara amplexus, mater opima sinu.

- 1664 Virgo intacta manens, fidei ubertate marita,  
 Inscia coniugio, feta negante viro.  
 Accipis, ut nescis: sic reddis ut integra constes,  
 Nec violata paris, nec pariendo doles.  
 Et tamen est genitus Deus et homo, verus, et unus,  
 Spiritus atque caro Christus, utrumque genus.  
 In deitate Patri aequalis, vel corpore matri,  
 Et sine peccato de genitrice caro.  
 Factor dans legem, factus sub lege minister:  
 Ipse pater mundi, filius ipse tibi.  
 Unde tuum, mater, generas natum atque parentem:  
 Hinc prolem, inde patrem: hoc Deus, illud humus.  
 Cuius honore sacro, genitrix, transcendis Olympum.  
 Et super astrigeros erigis ora polos.  
 Conderis in solio felix regina superbo,  
 Cingeris et niveis lactea virgo choris.  
 Nobile nobilior circumsistente senatu,  
 Consulibus celsis celsior ipsa sedes.  
 Sic iuxta genitum regem regina perennem,  
 Ornata ex partu, mater opima, tuo.  
 Occurrunt proceres, et gloria magna Ioannes,  
 Notus et ante Deum, quam pateretur homo.  
 Fratribus ascitis, Paulus, reliquisque beatis,  
 Doctor apostolicus, fulgida palma Petrus.  
 Diligit has portas Sion super omnia Iacob,  
 Pro patribus genitos quos in amore Deus.  
 Qui omnes ore suo ornati, super astra coruscant,  
 Si sic discipuli, quid pia mater erit?  
 Hinc patriarcharum numero sociante, prophetae  
 Conveniunt celso munera ferre throno  
 Martyrii hinc inde cohors redimita coronis,  
 Principe cum Stephano civica turba poli.  
 Primitiae florum, Bethlemitica passio lactans,  
 Quae meruit nascens vivere morte magis.  
 Italiae mundique caput quos Roma retentat,  
 Urbs vel Alexandri, aut Antiochenus ager.  
 Quos Hierosolymis, aut quos Byzantium oris:  
 Quos Patra, quos Ephesus, Naddaver arce tenet.  
 Quos Oriens, Occasus habet, quos Africa, et Arctos,  
 Quosque sepultat humus, cingit et Oceanus,  
 Natio, gens, populus, regiones, agmina, reges,  
 Undique currentes ad nova dona patris.

Aethiopes, Thraces, Arabes, Dacus, Indus, Alanus,  
     Aurora, et vesper, Persa, Britannus adest.  
 Intrantes in regna Dei pietate redempti,  
     Gaudia visuri regis in arce poli.  
 Quos recipit sacra porta Petri, quos ianua Pauli,  
     Postis ad Andreeae limen Achaia petit.  
 Mattheus Aetiopes, Ephesinos valva Ioannis,  
     Et quem quisquis amat, hunc sua porta rogat.  
 Horum ante adventum te qualiter ornat amator,  
     Portavit quem uterus, virgo beata, tuus?  
\*283\* Dans tibi larga poli, cui tu domus areta fuisti,  
     Ventrис pro hospitio restituendo thronum.  
 Componendo caput niveum diademate fulvo,  
     Et gemmis rutilam comit honore comam:  
 Annectens niveo pretiosa monilia collo,  
     Fulgore et vario pectora pura tegens.  
 Quam speciosum humeris imponit honoris amictum,  
     Splendore ardescens purpura tinteta nitet!  
 O quoties coctum zonae micat aura per aurum,  
     Pallida nec pallae est fimbria luce nitens!  
 Quis tibi digna canat, quantum decus exeat ore,  
     Aut de veste tui gemma virore micet?  
 Quando strata iacet pedibus pretiosa smaragdus,  
     Quando pavimentis alba topazus adest.  
 Quodque oculus non vidit agens, non audiit auris,  
     Ornamenta tibi haec, pia virgo, nitent.  
 Cum regio ergo poli, totusque exercitus astri,  
     Te ornatam inspiciet, laudibus ora movent.  
 Incipiens Michaël praeconia ferre beatae,  
     Cumque suis turmis, haec tibi, virgo, refert:  
PL  
88, 283O decus excellens, o femina forma salutis,  
     Partus fruge potens, virginitate placens!  
 Per quam est se nasci dignata redemptio mundi,  
     Et reparare genus quod tulit Eva ferox.  
 Hanc tibi, mater, opem legionum millia mille,  
     Per classes resonant carmine, voce, lyra.  
 Angelus inde tuos repetit paronymphus honores,  
     Qui tibi de coelis nuntia sancta vehit.  
 Dicens: O felix, imitari nescia virgo,  
     Cuius et agnus ovis, conterit ora lupi.  
 Tartara disrumpens, patriae captiva reducens,  
     Et libertati post iuga pressa refers.

Excipit has iterum ingeminans pars altera laudes,  
     Perstrepit et cunctis vox revoluta choris.  
 Incipit inde alios producere terra favores,  
     Zachariae genitus, vox, tuba, praeco, sonus,  
 Cum Petro et Stephano, ducibusque in millibus amplis  
     Agminibus, mistis plausibus alta canens:  
 O virgo insignis, benedicta ad gaudia nata,  
     Auxilium terrae, fulgor honorque poli.  
 Ecce tuus florens uterus quae praestitit orbi,  
     Te generante fide nos paradisus habet.  
 Quid sumus, aut fuimus? Quos merserat Eva profundum,  
     De limo in coelum nos facit ire sinu.  
 Laudibus his, Domini genitrix, fragor intonat astris.  
     Militiaeque poli haec tibi clangor agit.  
 Ast ego ferre volens, videor subducere laudes,  
     Nam tibi quisque cupit voce favere sacrae.  
 Mens oret genitum, sic matri digna loquatur.  
     Cuius amore pio, vivis honore novo.  
 \* Pulchra super gemmas, splendorem solis obumbrans,  
     Alta super coelos, et super astra nitens.  
 Vellere candidior niveo, rutilantior aura,  
     Fulgidior radio, dulcior ore favo,  
 Suavior, et roseo nimium rubicundior ostro,  
     Vincis aromaticas mentis odore comas.  
 Chara, benigna, micans, pia, sancta, verenda, venusta,  
     Flos, decus, ara, nitor, palma, corona, pudor.  
 Per quem omnes fines terrae meruere salutem,  
     Gaudet et orbs totus, pontus, arena, polus.  
 Haec tibi qui indignus quamvis corde, ore susurro,  
     Spes mihi sis veniae, quae vehis orbis opem.

\*284

COMMENTARIUS IN SYMBOLUM ATHANASIANUM<sup>1</sup>

**1666** Homo est ex substantia matris in saeculo natus, Dei filius Verbum PLS III, 730  
 Patris caro factum; non quod divinitas mutasset deitatem, sed adsumpsit humanitatem, hoc est *Verbum caro factum est*<sup>2</sup> ex utero virginali; veram humanam carnem traxit, et de utero virginis verus homo sicut et verus Deus est in saeculo natus, quia mater quae genuit virgo ante partum et virgo post partum permansit. In saeculo, id est,

<sup>1</sup> Commentarius hic, forsitan, est Venantii Fortunati. Cf. PLS III, 725.<sup>2</sup> Io. I, 14.

in isto sexto miliario in quo nunc sumus, Deus et homo Christus Iesus, unus Dei filius et ipse virginis filius. Quia dum deitas in utero virginis humanitatem adsumpsit, et cum ea per portam virginis integrum et inlaesam nascendo mundum ingressus est virginis filius; et homo quem adsumpsit idem est Dei filius, sicut iam supradiximus, et deitas et humanitas in Christo, et Dei Patris pariter et virginis matris filius.<sup>1</sup>

### EVAGRIUS Scholasticus (ca 536 † ca 600)

#### HISTORIA ECCLESIASTICA

PG 86<sup>bis</sup>, Lib. I, cap. II. [...] Ἀναστάσιος τις πρεσβύτερος, τὴν γνώμην κακό-  
δοξος, Νεστορίου καὶ τῶν Νεστορίου Ἰουδαικῶν δογμάτων διάπυρος \* ἐρα-  
στῆς, ὃς καὶ συνέδημός οἱ γέγονε πρὸς τὴν ἐπισκοπὴν ἀπαίροντι, ὅτε καὶ  
Θεοδώρῳ κατὰ τὴν Μοψουεστίαν συντυχὼν ὁ Νεστόριος, τῆς εὐσεβείας παρε-  
τράπη, τῶν ἐκείνου διδαχμάτων ἀκροασάμενος, ὡς Θεοδούλῳ περὶ τούτων  
ἐπιστολικῶς γέγραπται, τὰς διαλέξεις τῷ φιλοχρίστῳ λαῷ ποιούμενος ἀνὰ τὴν  
Ἐκκλησίαν Κωνσταντινουπόλεως, ἀναφανδὸν ἐτόλμησεν εἰπεῖν· Θεοτόκον  
τὴν Μαρίαν καλείτω μηδείς. Μαρία γάρ ἄνθρωπος ἦν· ὑπὸ ἀνθρώπου δὲ  
Θεὸν τεχθῆναι ἀδύνατον. Πρὸς ταῦτα τοῦ φιλοχρίστου λαοῦ δυσχεράναντος,  
καὶ βλασφημίαν εἰκότως ἥγουμένου τὴν διάλεξιν, Νεστόριος ὁ τῆς βλασφη-  
μίας καθηγητής, οὐ μόνον οὐδὲκάλυσεν, οὐδὲ τοῖς ὀρθοῖς προσετίθετο δόγ-

1667

PG 86<sup>bis</sup>, Lib. I, cap. II. [...] Fuit quidam Anastasius presbyter, haud \* qua-  
\*2423 quam sanae fidei; Nestorii eiusque iudaicorum dogmatum fautor  
\*2426 acerrimus; qui etiam Nestorium ad episcopatum urbis Regiae profi-  
cissentem fuerat comitatus; quo quidem tempore Nestorius apud  
Mopsuestiam congressus cum Theodoro, audita illius doctrina, a  
recta pietate deflexit, sicut in Epistola quadam de his rebus agens  
scribit Theodulus. Hic igitur Anastasius cum in Ecclesia Constanti-  
nopolitana sermonem haberet ad populum Christi amantem, ausus  
est palam ac diserte dicere: Mariam nemo Deiparam vocet; nam Maria  
homo fuit: fieri autem non potest, ut ex homine nascatur Deus. Iis  
auditis, cum populus Dei graviter commotus esset, et sermonem  
illum, uti par erat, blasphemiam duceret, Nestorius auctor illius blas-  
phemiae, non modo Anastasium non prohibuit, nec rectae sanaeque  
doctrinae patrocinium suscepit; verum iis quae ab Anastasio dicta

1667

<sup>1</sup> PL 88, 589.

● PL 88, 175; PLS III, 717, 734.

■ PL 88, 265, 348.

veruntamen secundum humanitatem, secundum quam potuit Deus nasci.

<sup>PL  
67, 912</sup> Ep. V, 3. [...] Manens enim Deus Filius una in Trinitate persona, venit ad Virginem; nec sibi aliam de ea personam assumpsit, sed aliam sic unitatem personae suae suscepit, ut persona quae semper erat, naturam susciperet carnis, haberetque duas, una Christi persona, naturas. Nec ambigere oportet quomodo credatur humana natura, ex initio sui, Dei Verbi habuisse personam; scientes quia non hominem formatum, neque conceptum, neque vita sua quadam vel in matris utero vivere iam incipientem Deus assumpsit; sed omnino antequam aliquid Maria conciperet, ante omnem formati formandive hominis causam, Deus volens homo fieri, virginalis palatum ventris intravit; et virtute divinitatis munus largiens fecunditatis, assumpsit ex ea quam habere voluit matrem, nostri generis veram carnem.

1555

#### EPISTOLA DOGMATICA ADVERSUS ARIANOS ALIOSQUE HAERETICOS

<sup>PLS  
IV, 32</sup> 11. [...] Sequetur hunc Eutyches dissimiliter perfidus, sed similiter condemnandus, in una Christi persona duas manifeste substanzias permanere cognoscens, unam quam videbit, ut confundatur; aliam quam non videbit, ut puniatur: auditurus, sicut omnes impii, tollatur impius ut non videat claritatem Dei: nec audebit amplius suspicari, nihil Christum de Mariae genitricis carne sumpsisse: sed velit nolit, aspiciet Dominum ipsum esse filium David, quia natus est *ex semine David*.<sup>1</sup> Quomodo autem ex semine David nasci potuit, sine semine viri conceptus et natus, nisi quia de semine David caro extitit B. Mariae, quae materiam carnis nascituro ex se Domino ministravit?

1556

#### VERECUNDUS († 552)

##### IN CANTICUM DEUTERONOMII

<sup>PLS  
IV, 57</sup> II. *Exspectetur sicut pluvia eloquium meum, et descendant sicut ros verba mea.*<sup>2</sup>

1557

Ex persona Patris agnoscitur, eius Eloquium novissimis est temporibus exspectatum, quia *Verbum caro factum est et habitavit*

<sup>1</sup> Rom. I, 3.

<sup>2</sup> Deut. XXXIII, 2.

• PL 67, 889, 894, 896, 898, 902, 908, 911, 940, 941.

*in nobis:*<sup>1</sup> pluviae comparatum, pro eo quod de nube intelligibili Maria matre descendens, terrae nostri corporis sociatus, sanctis nos praedicationibus, tamquam pluviis, irrigavit.

### PRIMASIUS Hadrumetinus († 552)

#### COMMENTARIA IN APOCALYPSIM

- 1558 Lib. III, cap. X. [...] Finis enim legis Christus ad iustitiam omni PL 68, 864 credenti. Qui Christus, id est Veritas, tunc de terra, id est de Maria, nasci voluit, quando iustitia de coelo prospexit.<sup>2</sup>
- 1559 Cap. XII. [...] Quod si etiam de Christi persona specialiter velis accipere,<sup>3</sup> excepto cruciatu, quem in partu B. Mariam non est credendum habuisse, quam novimus nullum in conceptu peccatum libidinis contraxisse, recte potes caetera coaptare, si rufi draconis insidias, persecutioes quas ab ipsis incunabulis ab Herode<sup>4</sup> Christus pertulit. PL 68, 874

#### SUPER APOCALYPSIM

- 1560 Lib. IV, cap. XIV. [...] Gaudia propria virginum Christi non PLS 1218 sunt eadem, non virginum, quamvis Christi: nam sunt aliis alia, sed nullis talia. Item in haec sequimini agnum quia et agni caro, utique virgo: hoc enim in se retinuit auctius, quod matri non abstulit conceptus, et natus. Merito eum sequimini virginitate cordis et carnis, *quocumque ierit.*<sup>5</sup> Quid est enim sequi, nisi imitari?

<sup>1</sup> Io. I, 14.

<sup>2</sup> Ps. LXXXIV, 12.

<sup>3</sup> Apoc. XII, 1 ss.

<sup>4</sup> Matth. II, 13.

<sup>5</sup> Apoc. XIV, 4.

● PLS IV, 77, 170, 201.

■ PL 68, 417, 456, 502, 533, 550, 552, 594, 655, 682, 690, 692, 698, 713, 719, 729, 742.

● PL 68, 885.

● VICTOR (saec. vi): PL 68, 941.

● LIBERATUS (saec. vi): PL 68, 971, 972, 973, 975, 981, 983, 987, 1023, 1024, 1036.

Θεόν, τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν, τὸν γεννηθέντα ἐκ Πνεύματος ἀγίου καὶ Μαρίας τῆς Παρθένου. Ἐπεὶ χρυσὸς ἡμῖν καὶ ἀργυρος ἡ μαργαρίται οὐχ ὑπάρχουσιν.

### S. VICTORINUS Petovionensis M. (ca †304)

#### DE FABRICA MUNDI

- 172 [...] Quis itaque lege Dei doctus, quis plenus Spiritu sancto, non respiciat corde, ea die Gabriel \* angelum Mariae virginis evangelizasse, qua die draco Evam seduxit; ea die Spiritum sanctum Mariam virginem inundasse, qua lucem fecit. PL 5, 312  
\*313

### S. METHODIUS Ep. M. († 311)

#### CONVIVIUM DECEM VIRGINUM <sup>1</sup>

- 173 Cap. IV. [...] "Ηρμοζε γάρ τὸ πρωτόγονον τοῦ Θεοῦ καὶ πρῶτον βλάστημα \* καὶ μονογενές, τὴν σοφίαν, τῷ πρωτοπλάστῳ καὶ πρώτῳ καὶ πρωτόγονῳ τῶν ἀνθρώπων ἀνθρώπῳ κερασθεῖσαν ἐνηγθρωπηκέναι. Τοῦτο γάρ εἶναι τὸν Χριστόν, ἀνθρωπὸν ἀκράτῳ θεότητι καὶ τελείᾳ πεπληρωμένον, καὶ Θεὸν ἐν ἀνθρώπῳ κεχωρημένον· ἦν γάρ πρεπαδέστατον, τὸν πρεσβύτατον τῶν αἰώνων καὶ πρῶτον τῶν ἀρχαγγέλων, ἀνθρώποις μέλλοντα συνομιλεῖν, εἰς τὸν πρεσβύτατον καὶ πρῶτον τῶν ἀνθρώπων εἰσοικισθῆναι τὸν Ἀδάμ. Ταύτη γάρ ἀναζωγραφῶν τὰ ἔξ ὑπαρχῆς, καὶ ἀναπλάσσων αὕθις ἐκ

Christum, qui natus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine. Nam aurum aut argentum vel margaritas non me habere scias, nisi Dominum Iesum Christum.

- 173 Cap. IV. [...] Decebat \* enim Primogenitum Dei, ac unigenitum germen, id est Sapientiam, primum formato primoque ac primogenito hominum generis homini admistum, hominem fieri. Id enim Christum esse, hominem pura perfectaque deitate plenum, et Deum qui in homine capiatur. Congruentissimum quippe erat antiquissimum aeonum et primum archangelorum cum hominibus versatum, in antiquissimo primoque hominum inhabitare, id est Adamo. PG 18, 66  
\*67

■ *Epistola supp. S. Eutychiani Pp.* (saec. III): PL 5, 168, 169 (cf. PLS I, 73).

■ *Epistola supp. S. Caii Pp.* (saec. III): PL 5, 185, 187, 188 (cf. PLS I, 73).

● PG 10, 554. «*Adamantius*» (saec. III exeunte): PG 11, 1717, 1844, 1845. Cf. ALTANER 217. PG 18, 212.

● PL 5, 324. PLS I, 91, 103, 122.

<sup>1</sup> *Sermo de Simeone et Anna non est Methodii.* Cf. BARDENHEWER, I, 220.

## S. VIGILIUS PP. († 555)

## EPISTOLA ENCYCLICA (die 5 februarii a. 552)

<sup>PL 69, 56</sup> [...] *Tu es Christus Filius Dei vivi.*<sup>1</sup> Sacratissimae scilicet myste- 1561  
 rium incarnationis eius aperiens, dum in unitate personae, servata  
 geminae proprietate naturae, homo idemque Deus, et quod ex ma-  
 tre semper virgine sumpsit in tempore, et quod natus ex Patre est  
 \* ante saecula, \* permaneret. Inconfuse autem, et indivise, atque in-  
 convertibiliter et subsistentialiter uniens sibi carnem Deus Verbum  
 Emmanuel noster qui lege et prophetis annuntiantibus exspecta-  
 batur, advenit. *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis:*<sup>2</sup> totus  
 in suis, totus in nostris, assumens ex vulva carnem cum anima ra-  
 tionali et intellectuali: et, sicut scriptum est, *aedificans sibi domum,*  
*tanquam sponsus procedens de thalamo suo,*<sup>3</sup> ineffabili salutarique  
 mysterio, qui in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum,  
 et Deus erat Verbum, incarnatus Deus Dei Filius ex Spiritu sancto,  
 et ex beata Maria semper virgine humanitatis sumpsit initium; ut  
 nos aeternitatis suae faceret cohaeredes.

## CONSTITUTUM DE TRIBUS CAPITULIS (14 maii a. 553)

<sup>PL 69, 73</sup> Cap. I, responsio. In suprascripto primo capitulo quoniam 1562  
 per circuitus id videtur astrui, quia homo purus ex sancta virgine  
 Maria natus sit, dicendo: Si fatemur Deum verbum, qui consubstan-  
 tialis est Patri, carne ex eadem virgine natum, necesse est ut carnem  
 consubstantialem Patri consequenter esse dicamus. Ideoque qui-  
 cunque huiusmodi intellectus sapit, docet, credit, aut praedicat,  
 et non eumdem Verbum ac Filium Dei per secundam nativitatem  
 ex sancta Maria incarnatum et natum credit, anathema sit.

<sup>PL 69, 86</sup> Cap. XXVI, responsio. In suprascripto vigesimo septimo ca- 1563  
 pitulo, ubi de Mattheo evangelista exponitur, quia consummatis  
 temptationibus accesserunt angeli, ut ministrarent Christo, dicitur:  
 Quia sicut et alii per meritum honorato Christo subvenerint angeli,  
 et quia sic ad Christum in coelos ascenderint et descenderint angeli,  
 tamquam ad amicum et domesticum Dei. Qui ergo haec ita sapit,  
 docet, credit aut praedicat, et non ut vero Deo, veri Dei Filio, uni

<sup>1</sup> Matth. XVI, 16.<sup>2</sup> Io. I, 14.<sup>3</sup> Ps. XVIII, 6.

eidemque cum assumpta ex utero Virginis perfecta humanitate, angeli utpote Creatori et Domino deservierint atque deserviant, anathema sit.

- 1564** Cap. XLIV, responsio. In suprascripto quadragesimo quarto <sup>PL 69, 92</sup> capitulo dicitur: Cum ergo interrogent: Hominis genitrix, an Dei genitrix Maria dicatur, quasi ex respondentis persona dicitur, utraque dici, et adiungitur: Unum quidem natura rei, alterum autem relatione; et additur: Hominis enim genitrix natura, quia homo erat et in ventre Mariae, qui et processit inde: Dei autem genitrix, quia Deus erat in homine nato: et adiicitur: Non ille circumscriptus secundum naturam, sed quod in eo erat affectu voluntatis. Quae verba item et unum hominem Christum, et duos filios beatae Mariae demonstrant. Quod qui ita sapit, docet, credit aut praedicat, et non Deum verbum, qui ante omnia saecula ex Patre ineffabiliter natus est, eumdem ex sancta Virgine Maria (sicut in primo capitulo diximus) per secundam nativitatem suam incarnatum \* et natum unum in utraque natura inconfusa inseparabilique cognoscit, anathema sit. <sup>\*93</sup>
- 1565** Cap. XLV, responsio. In suprascripto quadragesimo quinto capitulo dicitur, quia per gratiam sit filius qui ex Maria natus est homo, natura autem Deus Verbum: et quasi ratiocinatur dicendo: Quod gratia, non natura, et quod natura, non gratia; et adiungitur: Sufficit corpori quod ex nobis est secundum gratiam filiatio, et non supra naturam elevetur, et Deus Verbum pro debita a nobis gratiarum actione non iniurietur; quae verba nudum hominem ex Virgine Maria significant, qui per gratiam appelletur Filius Dei. Qui ergo haec ita sapit, docet, credit aut praedicat, anathema sit. <sup>PL 69, 93</sup>
- 1566** Cap. XLVI, responsio. In supradicto quadragesimo sexto capitulo dicitur, ut Mariae filius Deus Verbum non existimetur, adiciendo: Quia mortalis mortalem generat secundum naturam, et corpus simile sibi. Quae verba et purum hominem de sancta Virgine Maria significant, et duos filios introducunt. Qui ergo ita sapit, docet, credit aut praedicat, anathema sit. <sup>PL 69, 93</sup>
- 1567** Cap. LX, responsio, I. Rursus tamen hoc specialiter dicimus: ut si quis, servata inconvertibilitate naturae divinae, non confiteratur Verbum carnem factum, et ex ipsa conceptione de utero Virginis humanae naturae sibi secundum subsistentiam unisse principia, sed tanquam cum existenti iam homine fuerit Deus Verbum, ut per hoc non sancta Virgo vere Dei genitrix esse credatur, sed verbo tenus appelletur, anathema sit. <sup>PL 69, 104</sup>

## EPISTOLA DE THEODORO

<sup>PLS</sup>  
<sup>IV, 1251</sup> [...] Illa vero dogmata quae sola fidem catholicam [qua] in supra  
scriptis quattuor synodis ab apostolis traditam et usque ad se custo-  
ditam nobis tradidisse noscuntur, inviolabiliter operante gratia Do-  
mini custodimus confitentes nos de sacramento incarnationis Domini  
Dei nostri Iesu Christi secundum intellectum memoratorum patrum  
et beatissimidecessoris nostri Leonis, ut breviter dicamus, hoc sa-  
puisse vel sapere: verbum ac filium Dei, qui intemporaliter atque  
ineffabiliter ex Patre natus est sine matre et est Patri atque Spiritui  
sancto aequalis et consubstantialis atque coaeternus, cum venisset  
<sup>\*1252</sup> plenitudo temporis pro salute humani \* generis descendisse in uterum  
virginis a Patris gloria minime recedendo et sine conversione sua  
<naturae> incarnatum et hominem factum natum esse matris vir-  
ginis integritate reservata, quippe qui superveniente Spiritu sancto  
et virtute Altissimi obumbrante sine homine patre conceptus unus  
idemque <sit> filius Dei Patris et filius hominis matris. Neque enim  
adsumpta natura humana coaeternitas facta est, sed sancta Tri-  
nitas mansit Trinitas, adsumptione carnis singulari Verbo Domini  
ineffabiliter conservans unius personae sibi substantia Dei et homi-  
nis veritatem, quoniam post incarnationem Verbi ac Dei non eum  
tantummodo dicimus Deum nec tantummodo hominem, sed Deum  
perfectum et eundem ipsum hominem perfectum, unum filium Dei;  
quem ex duabus et in duabus naturis inseparabiliter inconfuseque  
unitis agnoscimus passibilem carne et eundem ipsum impassibilem  
deitate, consubstantiale Patri secundum divinitatem et consub-  
stantiale nobis eundem ipsum secundum humanitatem, per om-  
nia nobis similem absque sorde peccati.

- PLS IV, 1342, 1343, 1345, 1346, 1348.

1568

## VIGILIUS Thapsitanus (saec. V)

## CONTRA EUTYCHETEM

<sup>PL</sup>  
62, 96 Lib. I, III. Manichaeum itidem cum de veritate dominici corporis obtundo, quod non fallaci simulatione et quibusdam illusionum praestigiis fuerit susceptum, tumentem Virginis alvum allego; praestolati temporis moras, quas diutius intra materni uteri hospitium, usque ad legitimum partus diem peregit insinuo: puerperii cunas, vagitum infantis, aetatis profectum, ad ultimum passionis ludibria, crucis patibulum, confixiones clavorum, aperti lateris cruentum simul et laticem, descensionem, sepulturam, resurrectionem.

<sup>PL</sup>  
62, 105 Lib. II, IV. [...] Certum est Dominum Iesum \* Christum, secundum catholicam fidem et praeconia Scripturarum duas habere nativitates, unam de Patre sine tempore, alteram de matre sine semine: et harum duarum nativitatum utramque gerens naturam, Dei scilicet qua de Patre natus est, et hominis qua est de matre progenitus, unus idemque Deus et homo est Christus. Gemina enim nativitas, geminam uni Christo dedit naturam, dum qui Deus est de Patre, idem et homo est de matre. Has itaque naturas, quas ex utroque habet parente, Apostolus duas nominat formas, dicens de ipso: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.*<sup>1</sup> De quibus formis, sive quam ex Deo Patre habet, sive quam ex homine matre accepit, prophetali vaticinio clarius constat expressum; Isaías de servili forma eius, quae passionis vilitate quodammodo indecora apparuit, ita loquente: *Inglorius, inquit, erit inter viros aspectus eius, et forma eius inter filios hominum.*<sup>2</sup> Et iterum: *Vidimus, inquit, eum, et non erat in eo species, neque decor; sed forma eius despecta et deficiens super filios hominum.*<sup>3</sup> Et haec quidem de servili forma in qua universas passionis iniurias pertulit, Isaías locutus est.

<sup>PL</sup>  
62, 108 VII. Verbum Dei credimus descendisse de coelo, sine carne, sine hominis appellatione; sic tamen ut non desereret coelos; hoc Verbum virginali utero incarnatum, non in carne mutatum, hominis Filium factum et appellatum. Si quis aliter credit, sine dubio anathema est. Si quis dicit hominem, id est carnem, de coelo descendisse, profecto anathema est.

<sup>1</sup> Philipp. II, 6, 7.

<sup>2</sup> Isa. LIII, 14.

<sup>3</sup> Isa. LIII, 2.

1439

Lib. III, I. Quoniam Entychiana haeresis in id impietatis prolapsa est ut non solum Verbi et carnis unam credat esse naturam, verum etiam hanc eamdem carnem non de sacro Mariae Virginis corpore assumptam, sed de coelo dicat, iuxta infandum Valentini et Marcionis errorem, fuisse deductam: ita pertinaciter Verbum carnem asserens factum, ut per Virginem, ac si aqua per fistulam transisse videatur; non tamen ut de Virgine aliquid, quod nostri sit generis, assumpsisse creditur; optimum duxi etiam hanc impietatis partem veritatis assertione destruere, et omnem tetri dogmatis nebulosam caliginem penitus dissipare. Maxime quod multum ad utriusque naturae confessionis veritatem proficiat, divinis approbare testimoniis, Filium Dei humanum corpus de Virginis carne sumpsisse.

PL  
62, 111

II. Ergo quia isti secundum rectiore catholicae fidei tramitem, et Nicaeni auctoritatem concilii, fatentur Filium Dei, non extrinsecus, non ex nihilo, sed ex Patre genitum, et eiusdem, cuius Pater est, esse naturae; ut veritas generationis in eo praecipue cognoscatur, si in Filio paternae naturae proprietas non negatur, admonendi sunt secundum hanc confessionis regulam, hunc eumdem Filium de Virgine natum, eiusdem profecto Virginis carnis habuisse naturam. Nec hinc eos Ariana haeresis insolubili quaestionis laqueo retineat obligatos, tali obiectionis syllogismo utens: Si Filius Dei natus ex homine matre, nihil ex ea habuit quod humanae esset naturae; sine dubio, natus ex Patre, nihil ex eo habuit quod eiusdem possit esse naturae. Quia si vere, inquit, asseritis Filium natum de Virgine, naturam materni corporis non habuisse, concedite et mihi pari conditione fatenti, eumdem Filium natum de Patre naturam Patris habere non posse.

Quid igitur, o Eutychianistae, submittitis tam validis obiectionibus perfidia colla; et de mendacio transitis ad mendacium ut fatemini Filium ex Patre genitum, paternae divinitatis extorrem esse naturae; sicut fatemini eumdem Filium de matre genitum, materni, id est humani corporis naturam non habuisse? Cur non magis si aliquid sapientiae geritis, de veritate mendacium destruitis; ut, sicut creditis, et vere creditis, Filium ex Patre sine tempore natum, Patris habere naturam, ita credatis eumdem ex matre sine semine natum, humani corporis habere naturam?

III. Quid enim angelus ad Mariam locutus est? *Spiritus sanctus*, inquit, *superveniet in te, et virtus \* Altissimi obumbrabit tibi: ideoque quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.*<sup>1</sup> Non ait, *quod nascetur per te*, ut quasi nudum quemdam Verbi transitum per Virginem

\*112

indicaret; sed, *quod nascetur ex te*, ut veritatem corporis sumendi ex Virgine manifestius declararet. Nam quae fuit causa Dei Verbo, per uterum Virginis transitum facere, si nihil inde quaerebat assumere? Aut quomodo ex semine David natus, vel factus creditur esse, si ex generis eius prosapia corpus negetur assumpsisse? Denique Paulus apostolus sic ait: *De Filio suo qui factus est ex semine David secundum caramen.*<sup>1</sup> Et iterum ad Galatas: *Misit*, inquit, *Deus Filium suum factum ex muliere.*<sup>2</sup> Quomodo is qui erat factus est, cum fieri eius soleat proprium esse qui nunquam ante substiterit, nisi quia factus quod non erat, id est homo, non alinde carnem assumpsit, nisi ex hominum genere ex quo factus est quod non fuit? Unde et ipse Filius formatum se ex utero per Isaiam loquitur, dicens: *Et nunc dicit Dominus formans me ex utero servum sibi.*<sup>3</sup> Quid itaque ex utero formatum accipitis, Verbum, an carnem? Si Verbum, ergo aut informe fuit, aut penitus non existens, ut formatio ei, aut essentiam dederit, ut subsisteret; aut ex subsistente in formitate materiae, in meliorem status qualitatem provexerit, ut perfectus et integer appareret. Quod opinari cum sit impium et sacrilegum, illud sine dubio restat, ut caro ex corpore formata sit uteri virginalis: secundum quam propter unionem personae, cum sit Deus, servus factus est Patris. Unde ad eum dicit in psalmo: *O Domine, ego servus tuus et filius ancillae tuae.*<sup>4</sup> Et iterum: *De ventre matris meae, Deus meus es tu.*<sup>5</sup> Qui si de ventre matris ancillae nihil acciperet, non eum intra famuli appellationem servilis naturae conditio detineret.

IV. Sed iam videamus quibus prophetia figuris utatur, ut ostendat eum ex materni corporis veritate, veram carnis assumpsisse naturam. Dicit ergo Isaias: *Egredietur virga de radice Iesse, et germen de radice eius ascendet et requiescat super eum Spiritus Domini.*<sup>6</sup> Quis dubitet germen de natura eiusdem virgulti unde prorumpit, subsistentiae sua formam accipere? Aut quis neget cuiusque ligni virgam, naturae sua germina propagare? Non enim aliud ex alio, sed sui generis speciem unumquodque lignum producere, et usitata rerum exempla testantur, et divinarum Litterarum auctoritas docet, quae ita in Genesi loquitur: *Et dixit Deus: Germinet terra \* herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum, faciens fructum iuxta genus*

\*113

<sup>1</sup> Rom. I, 3.<sup>2</sup> Gal. IV, 4.<sup>3</sup> Isa. XLIX, 5.<sup>4</sup> Ps. CXV, 16.<sup>5</sup> Ps. XXI, 11.<sup>6</sup> Isa. XI, 1, 2.

*suum, et cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita.<sup>1</sup>* Si ergo generis sui ac naturae suae germina et fructum propriae qualitatis ex sese ligna producunt, non dubium est Iesseiae radicis virgam, beatam videlicet Mariam, naturae suae germen, id est Dominum Iesum Christum, ex suae carnis materia protulisse. In cuius inclyti sacramenti mysterium, sacerdotis Aaron virga absque opere et subsidio terreni cultus, absque consuetis et legitimis ruralis ministerii alimentis, in tabernaculo foederis posita germinavit; manifesto satis et aperto designans indicio, Mariam Virginem absque terreni, id est humani seminis officio, Christum Dominum parituram. Quod et in Daniele certo futuri mysterii praesagio demonstratur,<sup>2</sup> dum sine manibus excidi lapis de monte videtur, id est Christus sine humani coitus opere, de Virginis corpore nasciturus ostenditur. Quis tam stolidae atque alienae mentis erit, ut lapidem credat de monte sine manibus excisum, et non credat Christum de corpore Virginis sine semine natum, cum magis illud tantummodo visum, hoc autem veracissime fuerit factum? Quia ut crederetur quod mirabiliter futurum erat in Christo, mirabilis eiusdem facti praecessit imago; ut sicut lapis sine manibus excidi de monte, et sicut virga germinare potuit sine cespite, ita Christus de Virgine nasci potuerit sine semine. Quod etiam Iacob in suis benedictionibus declarat, dum sub persona Iudei prophetiam aptat et dirigit in Christum, dicens: *Ex germine mihi ascendisti.*<sup>3</sup> Non ait, «ex semine», sed *ex germine*, illius sine dubio virginis, quae de Iesse orta radice, novo miraculi genere, Christum Dominum germinavit.

VIII. Iacob etiam benedicens Ioseph filium suum, ab huius sacramenti mysterio non recessit, dicens: *Benedicet te benedictionibus coeli desuper, et benedictionibus terrae habentis omnia.*<sup>4</sup> Quae est benedictio coeli, nisi Verbum quod de coelo descendit? Et quae est benedictio terrae habentis omnia, nisi Christi caro, quae de terra, id est de terreno Virginis corpore sumpta est, in qua omnium spiritualium gratiarum redundat veritas, et totius benedictionis fructus exuberat? In quo fructu, qui procul dubio Christus est, cunctorum fidelium benedictio consummatur, ut David ait: *Terra dedit fructum suum. Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus.*<sup>5</sup> \* Quae est terra quae fructum benedictionis dedit, nisi Maria, cui dicitur: *Benedicta tu,*

<sup>1</sup> Gen. I, 11.

<sup>2</sup> Dan. II, 34.

<sup>3</sup> Gen. XLIX, 9.

<sup>4</sup> Gen. XLIX, 25.

<sup>5</sup> Ps. LXVI, 7.

*et benedictus fructus ventris tui.*<sup>1</sup> Et in Genesi: *Benedictiones*, inquit, *uberrum et vulvae?*<sup>2</sup> Et in Psalmis: *Filii merces, fructus ventris?*<sup>3</sup> Et: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam?*<sup>4</sup> De quo fructu hic idem sacri carminis auctor in alio psalmo concinit: *Veritas de terra orta est, et iustitia de caelo prospexit. Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum?*<sup>5</sup> In quo evidenter utriusque naturae confessionem praedicans, perfidorum ora obtundit, dum veritatem de terra ortam, et iustitiam de caelo asserit prospexit. Quia Christus ex utroque substantiam habens, de caelo scilicet, quia de Patre genitus; de terra autem, quia et de matre natus est, utriusque parentis habet geritque naturam. *A summo coeli egressio eius.*<sup>6</sup> Summum enim coeli Pater: *Et processio eius tanquam sponsi,*<sup>7</sup> de thalamo uteri virginalis. Quod mysterium utriusque naturae etiam Isaias iisdem significationibus pandens, coeli haud dubium et terrae, sic locutus est dicens: *Rorate, coeli, desuper, et nubes pluant iustum; aperiatur terra et germinet Salvatorem.*<sup>8</sup>

IX. Vide quam consonis veritas muniatur prophetica auctoritate sententiis. Quod enim David ait: *Iustitia de caelo prospexit*, hoc Isaias dixit: *Nubes pluant iustum*. Et quod ille subiunxit: *Et terra nostra dabit fructum suum*, hoc iste addidit: *Aperiatur terra, et germinet Salvatorem;* perspicuo satis et aperto, imo proprio Filii Dei nomine usus; ut fructum et germen terrae saepius in prophetia nominatum, nativitatem Christi ex Maria esse nullus audeat dubitare. De quo germine vel fructu idem adhuc Isaias loquitur, dicens: *In die illa erit germen Domini in magnificentia, et gloria, et fructus terrae sublimis.*<sup>9</sup> Relictusne est ullus ambigendi locus, quin clareat germinis et fructus nomine Christum apertissime significari, qui in tanta gloria et magnificentia sublimatus est, *ut in nomine eius omne genu flectatur, celestium, terrestrium et inferorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris?*<sup>10</sup> Unde quod ait Apostolus: *Propter quod et Deus illum exaltavit.*<sup>11</sup> Et nunc propheta:

<sup>1</sup> Lc. I, 42.

<sup>2</sup> Gen. XLIX, 25.

<sup>3</sup> Ps. CXXVI, 3.

<sup>4</sup> Ps. CXXXI, 11.

<sup>5</sup> Ps. LXXXIV, 12, 13.

<sup>6</sup> Ps. XVIII, 7.

<sup>7</sup> Ibid. 6.

<sup>8</sup> Isa. XLV, 8.

<sup>9</sup> Isa. IV, 2.

<sup>10</sup> Phil. II, 10-11.

<sup>11</sup> Phil. II, 9.

*Et erit fructus terrae sublimis*, manifestissime id quod de terra, id est ex Maria sumptum est, exaltatum et sublimatum intelligi voluit. Caeterum id quod de Patre est, semper sublime fuit.

X. Sed nec de rore coeli, quod in Verbi Dei figura sit positum, ulla dubietatis patet occasio, cum ipse dixerit Isaias: *Et nubes pluant iustum:*<sup>1</sup> et alibi satis apertius imbri coelesti Verbum suum Patrem comparasse descripserit: nam ita ex persona eius dicit: *Quomodo si descendat imber aut nix de coelo, et illuc non revertatur (sed inebriat terram, et facit eam germinare): sic erit Verbum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet \*quaecumque volui, et prosperabitur in his ad quae misi illud.*<sup>2</sup> Quis in tam aperta et absolutissima divinae praedicationis claritate, lumen non aspiciat veritatis? Ecce Verbum Dei sicut imber in terra, id est in gremio sinus Mariae influere dicitur; quam sancti Spiritus ebrietate foecundatam, in germine dominici ortus prorumpere faciat, et turgentis alvi pretiosissimum edere fructum. Quod Verbum, quia incarnatum (quod est carne induitum) homo esse voluit, nudum et vacuum ad Patrem, a quo fuerat missus, reverti non potuit; sed in eodem quo induitum est corpore coelestia penetravit. Et ideo eum Pater vacuum ad se dicit non posse reverti, quia nefas est, ex quo in Virginis terram descendit, nudum eum et homine vacuum confiteri; id est, absque humani corporis natura solam eius asserere deitatem. Æqualis enim et eiusdem periculi res est, aut divinam eius tantummodo, aut humanam fateri naturam, quia unum sine alio non proficit ad salutem.

\*117

#### CONTRA ARIANOS, SABELLIANOS etc. DIALOGUS

1440

Lib. III, VII. [...] Maxime cum pleraque inveniantur in rebus corporeis et corruptioni subiectis ita ministrari vel \*nasci, ut nullum suis unde gignuntur materiis afferant detrimentum, sicut lumen a lumine sumptum, vel accessu, et per quamdam profectus nativitatem ministratum, diminutionis damnum originali possit afferre materiae, cum et divinus sacratissimae Virginis partus, et tale aliquid in se miro atque inexplicabili sacramentorum mysterio fuisse demonstret, dum sine damno pudoris Deo plenus uterus vacuatur. Et si virginalis integritas, si natura corruptioni obnoxia, Deum pariendo non corrumpitur, quomodo natura incorruptibilis Patris eumdem Deum generando corrumpi potuisse credatur?

PL  
62, 233  
\*234

<sup>1</sup> Isa. XLV, 8.

<sup>2</sup> Isa. LV, 10, 11.

DE UNITATE TRINITATIS<sup>1</sup>

1441

<sup>PL  
62, 340</sup> Cap. X. [...] Sicut enim sine exemplo mater genuit auctorem suum, sic ineffabiliter Pater genuisse credendus est Filium coaeternum. De matre natus est qui ante iam fuit: de Patre qui aliquando non defuit. Hoc fides credat, intelligentia non requirat: ne aut non inventum putet incredibile, aut repertum non credit singulare. Ecce enim de matre natus est Christus, nec ideo tamen per contactum viri matris pudor est imminutus. Virgo peperit, quia virgo concepit: et non servato rerum ordine, ex integro matris corpore integrum corpus Christus assumpsit. Si ergo novo more, nullo exemplo, secundum carnem natus docetur ex corpore: quid mirum si non secundum consuetudinem humani partus processit ex Patre? Non minuit substantiam matris, ex sola genitus filius, et sine damno corporis parientis, natum filii novimus corpus: et minuisse incorporealem Patris substantiam creditur, cum ex eodem ipso substantialiter atque incorporaliter prolatus, dicitur genitus? Ergo si naturam rerum intelligentia duce perpendimus, demus initium, si non negamus occasum.

1442

<sup>PL  
62, 341</sup> Cap. XII. *Fel.* – Dum torrentis modo omnia quae a nobis sunt, dicta praecipitas, duos admodum christos, non unum praedicas. Et non immerito; nam si in eo nihil penitus divinitas pertulit, secundum hominem Christus alias fuit; alioquin per affectum communis deitatis, etiam ad Patrem passio ipsa pervenit.

\*342 - *Aug.* Non ita est. Ego enim Salvatorem nostrum non confundo, non divido. Non confundo, ne aut incorpoream et imaginariam carnem; aut carnalem et \* mortalem praedicem deitatem. Non separo, ne Dei Patris unam secundum carnem, et alteram secundum maiestatem introducere videar prolem: quia idem Dei Filius et sine inicio processit ex Patre, et secundum tempus nasci est dignatus ex Virgine. Impassibilis in suo, passus in nostro, dum incomprehensibilem maiestatem velut quodam indumento carnis vestire dignatus est. Ex utroque una mediatoris persona, non una substantia. Una inquam persona, ne sit non unus Christus; non una substantia, ne mediatoris dispensatione submota, aut Dei tantum dicatur, aut hominis Filius. Non ergo in Christo susceptam carnem perpetuate divinae generationis extendo: nec immensam deitatem corporei ortus aetate concludo; quia idem in divinitate auctor est rerum, qui in carne Redemptor est hominum: idem impassibilis in se, qui passus in corpore,

<sup>1</sup> Vigilii Thapsensis videtur esse (cf. PLS II, 1557).

dum sic utriusque naturae proprietatem vere ex utraque gignenti similis natus expressit, ut et veram carnem suscepisse eum constet ex matre, et indifferentem deitatem habere constet ex Patre. Quibus in unam personam incomprehensibili mediatoris dispensatione coniunctis, servavit singulis propria, sed coniunxit propriis aliena. Servavit propria, dum non amisit immensitatem divinitatis, et infirmitatem non respuit carnis. Coniunxit propriis aliena, dum idem atque inseparabilis Christus, et proprio carnis occiditur, et proprio deitatis apud inferos non tenetur. Proprio carnis gustavit vita mortem: et proprio deitatis, perpetuam reddidit carnem. Non ergo recte dicitur in Filio Pater esse passus, quoniam in carne quae ei non est cum Patre communis, passus est Filius. Itaque gloriae causa maiestate, dum maiestas humiliata docetur in carne. Sed utrumque non de duabus christis, sicut putas, sed de uno atque eodem ipso, quem post partum Virginis Deum et hominem novimus, nos certum est praedicare.

**1443** Cap. XIV. [...] Ingressus est Virginis uterum Dei Filius, ut iterum nasceretur ante iam genitus: et suscepit totum hominem, qui iam habebat a Patre plenissimam deitatem. Non dissimilis Genitori cum nasceretur ex aeterno perpetuus; non dissimilis homini, cum ex matre nascitur moriturus. Idem tamen et aeternus in suo, et moriturus in nostro, dum utrumque continet ex seipso, et neutrum perdit ex altero. Sieque ex Deo et homine non imperfectus, sed in diversa proprietate plenissimus natus est Christus, sicut ex anima et corpore unusquisque hominum docetur esse perfectus. Non aliud homo corpus, aliud animus, quamvis aliud animus, aliud corpus, unus tamen atque idem homo, et corpus docetur et animus. Rursum non unum atque id ipsum corpus et animus, quia ex utroque homo factus est unus [...].

[...] Sic post partum Virginis non aliud Dei, et aliud hominis, sed idem Christus Dei et hominis Filius fuit. Et sicut in uno homine aliud animus, aliud corpus: sic in mediatore Dei et hominum, aliud Dei Filius, aliud hominis fuit, unus tamen ex utroque Christus Dominus fuit. Aliud, inquam, pro discretione substantiae, non aliud pro unitate personae.

**1444** Cap. XVI. Sic ergo, imo multo incomprehensibilius atque sublimius natus est susceptione perfecti hominis de matre Filius Dei, qui est per omnipotentiam singularem genitis omnibus non facultas tantum, sed et causa nascendi. Secundum hominem, inquam, de Virgine natus est Deus, eo pacto quo cum corpore nasci docetur et animus: non quia utriusque una substantia est, sed quia ex utraque fit una persona. Non aliud homo corpus, et aliud animus, sed unus homo cor-

PL  
62, 343

PL  
62, 345

pus et animus. Sic post partum Virginis, non alius Dei Filius et alius hominis, sed idem Christus Dei et hominis Filius. Et sicut in uno homine aliud corpus et aliud animus; sic in uno mediatore aliud Dei, aliud hominis Filius; sed idem tamen et non alius Dei quam hominis Filius; quamvis propter aliud Dei, et propter aliud hominis Filius. Non ab initio carnis coepisse dicimus Filium Dei, ne temporalem credit aliquis deitatem. Non ab aeterno Filii Dei novimus carnem, ne non veritatem humani corporis, sed quamdam eum suscepisse putemus imaginem. Neque enim consumit maiestatem Filii Dei veritas carnis; aut veritatem carnis, immensitas deitatis; dum unum radiat virtutibus suis, aliud docetur infirmitatibus nostris. Unus autem atque inseparabilis Christus et humiliatur assumptis, et glorificatur in propriis; cum affici non dedignatur iniuriis, et aequalitatem custodit genitoris. Genuit ergo Maria et non genuit Filium Dei. Genuit, quando ex ipsa secundum carnem natus est Christus; non genuit, quando de Patre sine initio exstitit Filius. Genuit, quando ex hac *Verbum caro processit ut habitaret in nobis*; non genuit quando *in principio erat Deus Verbum*.<sup>1</sup> quod originem praestitit universis. Noli ergo partu Virginis determinare \* originem Dei Verbi. Noli de Virgine genitum corpus coaeternum dicere deitati; quia *mediator Dei et hominum homo Christus Iesus*<sup>2</sup> prima nativitate coaeternus est Patri, secunda particeps temporis nostri: in illa auctor temporis, in ista particeps est aetatis.

\*346

PL  
62, 348

Cap. XX. [...] Sensit igitur mortem divinitas Christi, participatione humani affectus quem sponte sua susceperebat, non naturae suae potentiam perdidit per quam cuncta vivificat. Sic in sepulcro carnem suam commoriendo non deseruit, sicut in utero Virginis con-nascendo formavit. [...].

1445

[...]. Fecit carnem in utero matris, habes auctorem operis: ipse in hac nasci dignatus est, habes opus auctoris: una tamen persona est, salva utriusque proprietate substantiae, et auctoris et operis.

1446

PL  
62, 348  
\*349

Cap. XXI. Non ergo ad Mariam locali motu divinitas venit, \* sed ineffabili potentiae suae manifestacione, et uterum, gignendus, implevit, et totum quod est substantiae suae plenitudine non privavit. Non dimisit Patrem cum venit ad Virginem. Ubique totus, ubique perfectus, quia nec divisionem incorporea simplicitas recipit, et partes plenitudo non novit.

<sup>1</sup> Io. I, 1.<sup>2</sup> I Tim. II, 5.

SERMO IN NATALI DOMINI<sup>1</sup>

**1447** 2. [...] Dominus itaque noster Iesu Christus, ordine nativitatis excepto, homo verus procreatus ex virginе est, eodemque omnipotentiae signo conceptus et natus. Virginem habuit matrem, cum portaretur in utero virginis, et cum ex utero funderetur: nec tamen ista nativitas coniugia damnavit, sed potentiam divinitatis honoravit. PL  
39, 1981

IOANNES Ep. Tomitanus (saec. V)

DE DUABUS HAERESISIBUS NESTORIANORUM ET EUTYCHIANISTARUM<sup>2</sup>

**1448** [...] Nestoriani, a Nestorio quondam Constantinopolitanae urbis episcopo dicti sunt, qui adserebat sanctam virginem Mariam theodochon, non theotocon, hoc est \*susceptricem Dei esse, non genitricem. Non enim unum atque eundem Deum et hominem Christum Dei filium credit, sed alterum ex Deo Patre adserit natum, alterum ex matre virgine separat procreatum; indignum namque existimat confiteri, quod ipse Dei filius in utero beatae virginis conceptus et incarnatus sit, sed hominem tantum modo formatum in utero, et postmodum Deo coniunctum Christum editum esse prouuntiat. Quem Nestorium, sancta synodus Epheso congregata, ab episcopatus honore depositum, atque in exilio relegavit, ibi suae perfidiae poenas meritas luiturum [...] Alii [Apollinaristae] autem eiusdem perfidiae sectatores dicunt quod filius Dei non de Mariae virginis carne, hoc est nostrae naturae, sed passibilem unde voluit sibi adsumpsit; alii de caelestibus eum et spiritualibus coaeternam habuisse existimant, ac per uterum Mariae virginis veluti aquam per fistulam nihil ex ea carnis adsumens transisse contendunt. PLS  
II, 1585  
\*1586

<sup>1</sup> Sermo hic fortasse Vigilii Thapsitani est (cf. PLS II, 846 et III, 1259).

<sup>2</sup> Cf. PLS II, 1584.

● PL 62, 97, 99, 100, 107, 119, 123, 124, 127, 129, 130, 131, 132, 138, 139, 140, 142, 148, 149, 151, 182, 188, 189, 190, 194, 203, 216, 230, 242, 243, 344, 348, 349, 861, 868, 906, 914, 975, 1071.

● EUTROPIUS presbyter (saec. V). Vide locum, Eutropio attributum, sub titulo « Incertus Auctor ». Cf. Al 383.

■ PL 62, 158, 163, 172, 177, 369, 373, 399; PLS III, 1260.

έσο, αίρετικέ, ώς εἰς ἀνθρωπὸν τὰς βλασφημίας ἐκτείνων. Οὐκ ἀνθρωπός  
ἐστιν, ὁ ὑπὸ σοῦ εἰς τὴν τοῦ δούλου καὶ τοῦ κτίσματος τάξιν καταγόμενος.

tice, impunitatem tibi policeare, quasi in hominem blasphemas voces  
detorqueas.<sup>1</sup>

### S. VINCENTIUS Lirinensis († ca 449)

#### COMMONITORIUM I

- 1230** XII. [...] Utile igitur fuerit, in excursu, quid supra memorati haeretici sentiant breviter exponere, id est, Photinus, Apollinaris, Nestorius. Photini ergo secta haec est. Dicit Deum singulum esse et solitarium, et more iudaico confitendum. Trinitatis plenitudinem negat, neque ullam Dei Verbi aut ullam Spiritus sancti putat esse personam. Christum vero hominem tantummodo solitarium adserit, cui principium adscribit ex Maria: et hoc omnimodis dogmatizat, solam nos personam Dei Patris et solum Christum hominem colere debere. Haec ergo Photinus. Apollinaris vero in unitate quidem Trinitatis quasi consentire se iactitat, et hoc ipsum non plena fidei sanitatem; sed in Domini incarnatione aperta professione blasphemat. Dicit enim in ipsa Salvatoris nostri carne aut animam humanam penitus non fuisse, aut certe talem fuisse cui mens et ratio non esset. Sed et ipsam Domini carnem non de sanctae Virginis Mariae carne susceptam, sed de coelo in Virginem descendisse dicebat; eamque nutabundus semper et dubius modo coaeternam Deo Verbo, modo de Verbi divinitate factam praedicabat. Nolebat enim in Christo esse duas substantias, unam divinam, alteram humanam, unam ex Patre, alteram ex matre; sed ipsam Verbi naturam putabat esse discissam, quasi aliud eius permaneret in Deo, aliud vero versum fuisse in carnem; ut cum veritas dicat ex duabus substantiis unum esse Christum, ille contrarius veritati ex una Christi divinitate duas adserat factas esse substantias. Haec itaque Apollinaris. Nestorius autem contrario Apollinari morbo, dum sese duas in Christo substantias distinguere simulat, duas introducit repente personas, et inaudito scelere duos \* esse vult filios Dei, duos Christos, unum Deum, alterum hominem, unum qui ex Patre, alterum qui sit generatus ex matre. Atque ideo asserit sanctam Mariam non *Theotocon*, sed *Christotocon* esse dicendam: quia scilicet ex ea non ille Christus qui Deus, sed ille

PL 50, 654

\*655

<sup>1</sup> Homilia haec reaperte est Acacii M., secundum I. ORTIZ DE URBINA: *Acacio di Melitene*, EnC I, 158. Cf. Bar II, 171.

qui erat homo, natus sit. Quod si quis eum putat in litteris suis unum Christum dicere et unam Christi praedicare personam, non temere credat. Aut enim istud fallendi arte machinatus est, ut per bona facilius suaderet et mala, sicut ait Apostolus: *Per bonum mihi operatus est mortem.*<sup>1</sup> Aut ergo, ut diximus, fraudulentiae causa quibusdam in locis scriptorum suorum unum Christum et unam Christi personam credere se iactitat, aut certe post partum iam Virginis ita in unum Christum duas perhibet convenisse personas, ut tamen conceptus seu partus Virginei tempore, et aliquanto postea duos Christos fuisse contendat: ut cum scilicet Christus homo communis primum et solitarius natus sit, et nec dum Dei Verbo personae unitate sociatus, postea in eum adsumentis Verbi persona descenderit; et licet nunc in Dei gloria maneat adsumptus, aliquandiu tamen nihil inter illum et caeteros homines interfuisse videatur.

PL  
50, 658

1231

XV. Haec igitur in Christo personae unitas nequaquam post Virginis partum, sed in ipso Virginis utero compacta atque perfecta est. Vehementer enim praecavere debemus, ut Christum non modo unum, sed etiam semper unum confiteamur: quia intoleranda blasphemia est ut etiamsi nunc eum unum esse concedas, aliquando tamen non unum, sed duos fuisse contendas, unum scilicet post tempus baptismatis, duos vero sub tempore nativitatis. Quod immensum sacrilegium non alter profecto vitare poterimus nisi unitum hominem Deo, sed unitate personae, non ab ascensu, vel resurrectione, vel baptismo, sed iam in matre, iam in utero, iam denique in ipsa virginali conceptione fateamur: propter quam personae unitatem indifferenter atque promiscue et quae Dei sunt propria tribuuntur homini, et quae carnis propria adscribuntur Deo. Inde est enim quod divinitus scriptum est et filium hominis descendisse de coelo, et Dominum maiestatis crucifixum in terra. Inde etiam est ut carne Domini facta, carne Domini creata, ipsum Verbum Dei factum, ipsa sapientia Dei impleta, scientia creata dicatur; sicut in praescientia manus ipsius et pedes eius fossi esse referuntur. Per hanc, inquam, personae unitatem illud quoque similis mysterii ratione perfectum est, ut carne Verbi ex integra matre nascente, ipse Deus Verbum natus ex Virgine catholicissime credatur, impiissime denegetur. Quae cum ita sint, absit ut quisquam sanctam Mariam divinae gratiae privilegiis et speciali gloria fraudare conetur. Est enim singulari quodam Domini ac Dei nostri, Filii autem sui, munere verissime ac beatissime *theotocos* confitenda: sed non eo modo *theotocos* quo impia quaedam

<sup>1</sup> Rom. VII, 13.

● PL 50, 659.

haeresis suspicatur, quae adserit eam Dei matrem sola appellatione dicendam, quod eum scilicet pepererit hominem qui postea factus est Deus; sicut dicimus Presbyteri matrem, aut Episcopi matrem, non iam Presbyterum aut Episcopum pariendo, sed eum generando hominem qui postea Presbyter vel Episcopus factus est. Non ita, inquam, sancta Maria *theotocos*, sed ideo potius quoniam, ut supra dictum est, iam in eius sacrato utero sacrosanctum illud mysterium perpetratum est, quod propter singularem quamdam atque unicam personae unitatem, sicut Verbum in carne caro, ita homo in Deo, Deus est.

[EXCERPTA]<sup>1</sup>

- 1232** [Prologus]. [...] Qui Nestorius, profanae novitatis adsertor, unum Deum et salvatorem nostrum Iesum Christum, scelerata et impia dissensione, in duos christos dividere conatus est. \* Iam quasi ut consequenter et necessario, abnegata Trinitatis fide, quaternitatem nobis colendam induceret. Adserit ergo duos esse filios Dei, duos christos, alterum Deum alterum hominem. Et, quia, inquit, sancta Maria non Verbum Deum sed Christum hominem solitarium communi hominum more peperit, idcirco est non theotocos sed christotocos nominanda.
- 1233** III. [...] Unus idemque Christus, secundum aliud atque aliud, et non factus et factus, et increatus et creatus, et homoousion Deo Patri et homoousion matri, et aequalis Patri et minor Patre, catholicissime verissimeque dicatur.
- IV. Quia in uno eodemque Christo non se divinitas convertit in carnem, sed potius carnem adsumpsit humanam de carne virginis, eamque sibi non post uterum sed in utero a primo statim momento maternae conceptionis initivit.
- 1234** VIII. Quia unius eiusdemque Christi beata mater sancta virgo Maria, neque solum Deum neque solum hominem, sed Deum pariter et hominem in unitate personae peperisse credenda est; atque ideo non christotocos tantum, sed etiam theotocos christiane catholiceque dieitur.
- 1235** [Epilogus]. Quae cum ita sint, catholicissime atque verissime sancta virgo Maria theotocos pariter et anthropotocos confitenda est; quia uno eodemque partu et Deum perfectum et hominem perfectum peperit; utrumque autem unum Filium Dei, unum dominum et salvatorem nostrum. Deus enim et homo non duo sed unus est Christus;

PLS  
III, 23  
\*24

PLS  
III, 24

PLS  
III, 25

PLS  
III, 44

<sup>1</sup> Madoz, Madrid, 1940 (cf. PLS III, 23). Prologus et epilogus tantum sunt veri. Reliqua omnia S. Augustini sunt.

unus autem non conversione divinitatis in carne, sed adsumptione humanitatis in Deo; unus omnino non confusione substantiae sed unitate personae. [...] Anathema ergo duobus contrariis sibimet erroribus Photini vel Nestorii, quorum alter sancta[m] Maria[m] anthropotocon tantum non etiam theotocon confitetur; alter vero theotocon tantum, non etiam anthropotocon praedicat. Quia eadem beata virgo immaculato illo atque virgineo et singulari mirificoque partu, neque sine homine Deum, neque \* absque Deo hominem peperisse credenda est; sed revera in unitate personae peperit Deum hominem et hominem Deum factum.

\*45

### SEDULIUS COELIUS († 449/450)

#### CARMEN PASCHALE (430?)

PL  
19, 595  
\*596

1236

Lib. II, 28. Et velut e spinis mollis rosa surgit acutis,

\* Nil, quod laedat, habens, matremque obscurat honore:

30 Sic Eva de stirpe sacra veniente Maria,

Virginis antiquae facinus nova virgo piaret:

Ut quoniam natura prior vitiata iacebat

Sub ditione necis, Christo nascente, renasci

Posset homo, et veteris maculam deponere carnis.

35 Haec ventura senes postquam dixere prophetae,

Angelus intactae cecinit properata Mariae,

Et dictum comitata fides, uterumque puellae.

\* Sidereum mox implet onus, rerumque creator

Nascendi sub lege fuit; stupet innuba tensos

40 Virgo sinus, gaudetque suum paritura parentem.

Iamque novem lapsis, decimi de limine mensis

Fulgebat sacrata dies, cum Virgine feta

Promissum complevit opus Verbum caro factum,

In nobis habitare volens; tum maximus Infans

45 Intemerata sui conservans viscera templi,

Illaesum vacuavit iter, pro virgine testis

Partus adest, clausa ingrediens, et clausa relinquens.

Quae nova lux mundo, quae tota gratia coelo!

\*597

\* Quis fuit ille nitor, Mariae cum Christus ab alvo

50 Processit splendore novo? Velut ipse decoro

● PLS III, 57.

■ PLS III, 144, 145.

● PL 18, 12, 78, 81.

● PL 19, 561, 739.

Christus flos patriarcharum secundum carnem nascitur. Deus enim qui in Numeris signum fecit, ut asina loqueretur, multum maius signum facere voluit, ut Christus ex virgine nasceretur. Aut quid mihi et tibi esset certamen, nisi ut Virgo peperisset?

*Sim.* — Credo Virginem, ut dicis, potuisse de Spiritu concipere. Agitur, si virgo potuit parere.

*Th.* — Incredule! Saxum Deus potuit rumpere, et aquam insitientem producere; quanto magis Deus iubere potuit ut virgo partum ederet! Adhuc \* tibi dieo aliud testimonium, si tamen credas Baruch, Neri filium, qui in Babylonem prophetavit. \*1172

Age nunc, intellige racemum illum in Numeris,<sup>1</sup> quem in terra repromotionis duo vectantes reportabant: quod utique figura fuit Christi pendentis in ligno. Adveniens de terra repromotionis, id est de Maria, quae ex genere terreno fuit. 1175

## VITALIS ET CONSTANTIUS<sup>2</sup> Hispani (saec. V)

### EPISTOLA AD S. CAPREOLUM EP. CARTHAGINENSEM

1435

[...] Sunt hic quidam qui dicunt non debere dici Deum natum. Nam et haec est fides eorum, hominem purum natum fuisse de Maria virgine, et post haec Deum habitasse in eo. Quorum nos humiles pueri tui resistimus affirmationi, non ita debere dici: sed confitemur, ut ait evangelista, annuntiante angelo Gabriele Mariae dicente: *Spiritus sanctus veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>3</sup>

PL  
53, 848

II. Confitemur itaque Deum fuisse in utero Mariae virginis, assumpsisse aliquam partem, fabricasse Deum sibi hominem, natum fuisse Deum verum et hominem verum quem assumpsit pro salute generis humani, ut ait Apostolus: *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.*<sup>4</sup>

<sup>1</sup> Num. XIII, 24.

<sup>2</sup> Constantius vel potius *Tonantius* (Clavis 398).

<sup>3</sup> Lc. I, 35.

<sup>4</sup> Gal. IV, 4.

● PL 20, 1178.

● PL 53, 764, 765, 766, 785, 829, 850, 851.

## ZACCHAEUS Christianus (saec. V)

CONSULTATIONES ZACCHAEI CHRISTIANI ET APOLLONII PHILOSOPHI<sup>1</sup>

<sup>PL 20, 1078</sup> Lib. I, cap. X. *Apoll.* – Fiat si libet certandi ex hac quoque parte compendium. Nonne hoc saltem indignum fuit intra uterum femineum coalescere? Aut credibile est eum nasciturum sine semine fuisse conceptum?

*Zacch.* – Dixi dudum, intellectus fidem sequitur, nec nisi per fidem quae se altiora sunt et Deo proxima, humana mens percipit. Si enim ex non subsistenti materia, vel ex quacumque, ut paulo ante dixisti, Deus cum vellet et facere hominem potuit: nempe facilius de subsistenti et sua, ut nihil non verum, et mirum magis esset, et permixtionem seminis non haberet. Vel quod animal aut elementum Deo charius quam homo est? Quae tantae formationi materia, quam sanctae Virginis aptior, intra quam Spiritus Dei electo purissimorum viscerum flore corpus effecit: in quo Filius Dei inter homines conservatus habitavit? Quod ne incredibile videatur per Spiritum Dei fieri potuisse, intuere quid mundi spiritus possit, qui utique non Deus, sed unus ex operibus Dei est; quam facile dissolutam naturaliter humum rigore constringat, aquas vertat in glaciem, ex iisdem et nivem gignens, quae pondus levitate, colorem candore commutet; idem crystalla flatibus duret, naturae suae non receptura mollitiem: et post \* haec Deo impossibile fuisse crede, quod esse possibile intelligis creaturae.

<sup>PG 20, 1079</sup> Cap. XI. *Apoll.* – Etiamne Virginem peperisse testamini? Creatio enim, sicut asseris, non de incorruptibili Deo, sed ex materia corruptibili effecta, quo pacto modum propriae fragilitatis excessit?

*Zacch.* – O mundi sapientia divinum in tua persuasione nihil sentiens! Dei opere fieri intra hominem omnium audis salutem; et cum sine turbatione corporis conceptum intelligas, absque eius dissolutione prodisse non credis! Ubi est ergo beneficium aut potentia Dei, si humanae fragilitati saera coniunctio nomen tantum communicat, non honorem? Tu Christum ex hoc vel maxime Deum esse non credis, quia contra consuetudinem humanae nativitatis natus praedicator ex Virgine. At ego hinc eum magis transisse in Dei gloriam credo, quod conditioni nostrae etiam secundum hominem in aliquo dissimilis, et nascendi ordinem decenter implevit, et materni corporis

<sup>1</sup> Opus hoc, forsitan in Africa scriptum, est cuiusdam Anonymi saec. IV vel V (cf. ALTANER, 373; PLS I, 1095; Lau 124).

integritatem nascentis [*an nascendi*] necessitate non violavit. Dubium ergo non est, cum sit creatio de Spiritu incorruptibilis Dei, incorruptibilem etiam editionem fuisse; et quod erat fragile hominis, divinitatis potius virtute servatum, quam id quod erat Dei, fragilitate hominis imminutum.

- 1419** Lib. II, cap. XII. [...] *Zacch.* – His praeterea illud adiiciunt, [Manichaei] non veram in Christo carnem fuisse, sed ex nescio qua re vel fluento frivola speciem pro homine demonstratam. Quid ergo universa praedicatio prophetarum de corporali eius nativitate praemonuit? Quid diversis vicibus Angeli sunt locuti? Ioannes deinde fortasse non missus est, aut illa ad eumdem Dei Patris falsa sententia est: *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam.*<sup>1</sup> Quid denique intra beatissimam Virginem infusio sancti Spiritus fecit? Cur non in abolitionem secundum praedictos tumentis uteri tempus exceptum est? Ubi integra felicis puerperii signa, et partus matrum omnium conditione sublimior?

### ANTIPATER BOSTRENUS (saec. V)

#### HOMILIAE<sup>2</sup>

- 1420** Homilia in S. Io. Baptistam, IX. "Ἐκτῷ γὰρ μηνὶ τῆς συλλήψεως τῇ Ναζαρὲτ ἐπεδήμησε Γαβριὴλ Παρθένῳ κομίζων Πατρὸς εὐαγγέλια· ἦν ἐπὶ οἴκου θεασάμενος, ἡσπάζετο πρότερος: «Χαῖρε, κεχαριτωμένη, ὁ Κύριος μετὰ σοῦ». Χαῖρε, λέγων, ἡ πρώτη καὶ μόνη τίκτουσα βρέφος κατάρας ἐλεύθερον. Χαῖρε, ἡ κόσμῳ γεννῶσα ζωῆς ἀφορμήν. Χαῖρε, ἡ ἀφθορος, ἀλλ' οὐκ ἄτεκνος. Χαῖρε, ἡ ἄγαμος, ἀλλ' οὐκ ἄγονος. Χαῖρε, ἡ ἀσπόρος, ἀλλ' οὐκ ἄκαρπος.

- 1420** Homilia in S. Io. Baptistam, IX. Sexto enim a conceptione Ioannis mense, Gabriel in urbem Nazareth venit, ut faustas a Patre annuntiationes ad Virginem deferret. Quam cum domi visisset, prior salutavit (dicens): *Ave, gratia plena, Dominus tecum.*<sup>3</sup> Ave, inquiens, quae prima et sola paris infantem a maledictione liberum. Ave, quae mundo gignis originem vitae. Ave, quae incorrupta, sed non expres es prolis. Ave, quae innupta manes, sed non infecunda. Ave, quae

<sup>1</sup> Malach. III, 1.

<sup>2</sup> Istaes duae Homiliae sunt *Antipatris Bostreni*, secundum Cay (I, 889), Bar (III, 5), JUGIE (*Echos d'Orient*, 22 [1923], pp. 129-152) et alios; discrepat CARO (RPhTh, 547).

<sup>3</sup> Lc. I, 28.

• PL 20, 1114, 1144.

παρθενίας αὐτῇ φυλαττομένης ἀχράντου· ἐνθυμήθητε, ὅτι ὁ ἐν τούτῳ εὑδοκήσας Θεός, μυρίας ἐκ τῆς φύσεως ἀφορμὰς πρὸς τὴν πίστιν τῶν παραδόξων προλαβὼν κατεβάλετο.

pariat, virginitate illi integra permanente; cogitate Deum, cui hoc placuit, innumera ex natura argumenta ad rerum mirabilium fidem in antecessum proposuisse.

### S. ZENO Veronensis († 372/380)

#### TRACTATUS

<sup>PL</sup>  
11, 278 Lib. I, Tract. II, IX. [...] O caritas, quam pia et quam opulenta! O quam potens! Nihil habet, qui te non habet. Tu Deum in hominem demutare valuisti. Tu eum breviatum, paulisper ab maiestatis suae immensitate peregrinari fecisti. Tu virginali carceri novem mensibus religasti. Tu Evam in Mariam redintegrasti. Tu Adam in Christo renovasti. 451

<sup>PL</sup>  
11, 303 Tract. IV, III. Sed dicet aliquis: Etiam Maria virgo et nupsit et peperit. Sit aliqua talis et cedo. Caeterum illa fuit virgo post conubium, virgo post conceptum, virgo post filium. Denique si esset aliquid virginitate melius, Dei filius hoc magis potuerat suae matris praestare, cui praestiterit, ut divinae virginitatis honore polleret. 452

<sup>PL</sup>  
11, 352 Tract. XIII, X. Diximus de prima circumcisione carnali, quae Iudeorum est: nunc breviter de secunda spiritali, quae nostra est, edicamus, quae tantum potestatis gerit, ut a femina cooperit, quod priori impossibile fuit. Denique a muliere, quae prior peccaverat, circumcisionis incipit cura. Et quia suasione per aurem irrepens diabolus, Evam vulnerans interemerat; per aurem intrans Christus in Mariam, universa cordis desecat vitia: vulnusque mulieris, dum de virgine nascitur, curat. Signum salutis accipite. Corruptelam integritas, partum est secuta virginitas. 453

<sup>PL</sup>  
11, 408 Lib. II, Tract. VII, I. [...] Quapropter duas esse nativitates Domini nostri Iesu Christi necessario scire debet populus christianus, ne quem patiatur errorem: unam, qua natus est, alteram, qua renatus. Sed sicut est spiritalis prima sine matre, ita sine patre se-

● PG 29, 425, 601. PG 30, 477, 865. PG 31, 685, 1645, 1668. PG 32, 964, 965, 1368.

● MARCELLUS ANCYRANUS († 374/376), *Expositio fidei ad Athanasium*: PG 18, 1306.

● TITUS BOSTRENUS († ca 376) PG 18, 1267. *Oratio* probabiliter est apocrypha (cf. CAYRÉ, II, 435; BARDENHEWER, II, 46).

cunda carnalis. Haec miranda, inenarrabilis illa, propheta dicente:  
*Nativitatem eius quis enarrabit?*<sup>1</sup>

- 455 IV. Nunc videamus, quae consequuntur. Per idem tempus duae cognatae concipiunt, una contra spem, altera verbo. Haec miratur se habere, quod nescit: laetatur illa, quia discit. Elisabeth sterilis foecunditate tumet feliciter venter, Mariae maiestate. Illa praecomen portat, haec iudicem. Exsultate, feminae, promotionemque vestri sexus agnoscite. Culpa deleta veteri, ecce per vos iungimur coelo: anus enim peperit angelum, et virgo Deum.
- 456 Tract. VIII, II. Etenim Deus Dei Filius, tempore constituto, dissimulata interim maiestate, ab aetherea sede profectus, in praedestinatae virginis templo sibimet castra metetur, quibus latenter infunditur in hominem gignitus, ibidemque salvo, quod erat, meditatur esse, quod non erat. Mixtus itaque humanae carni se fngit infantem. Mariae superbis emicat venter, non munere coniugali, sed fide, Verbo, non semine. Decem mensium fastidia nescit, utpote quae in se creatorem mundi concepit: parturit non dolore, sed gaudio. Mira res: exsultans exponit infantem totius naturae antiquitate \* maiorem. Interea rudis non gemit feta. Non mundum, ut adsolet, infans fusus ingrediens, sponte vitae reptantis praeviis lacrymis auspicatur. Non mater eius tanti partus pondere exhausta, totis pallens iacuit resoluta visceribus. Non Filius matris, aut suis est ullis sordibus delibutus; neque enim re vera aliquid circa se habere posset immundum, qui humani generis peccata, sordes et maculas venerat mundaturus. Denique purgationes, quae sunt tarditate periculosae, nulla puerum maternorum viscerum prosecuta sunt damna. Nulla adhibita rudi fetae sueto more fomenta; neque enim, fratres, his poterat indigere, quae accipere in uterum meruerat Filium animarum omnium salvatorem. O magnum Sacramentum! Maria virgo incorrupta concepit, \* post conceptum virgo peperit, post partum virgo permansit.
- 457 Tract. IX, I. Secundum quod Deus suos promiserat per prophetas, \* Filium suum salvatorem generi humano se esse missurum commodum tempore maturo, divinitatis interim dignitate deposita, non tamen potestate, coelo egressus, metatura predicta sacrario templi virginalis hospes pudicus illabitur; ibidemque, qualis velit esse, disponit. Immo, quod iam olim disposuerat complendum, latenter assumit; namque requiescit libens florentissimo in domicilio castitatis, et in visceribus sacrae virginis comparat sibi corpus suo iudicio nasciturus. In hominem coaptatus, in tegumento carnis in-

<sup>1</sup> Isa. LIII, 8.

PL  
11, 411

PL  
11, 413

\*414

\*415

PL  
11, 416

cluditur Deus; humanamque vitam mutuatur de tempore, qui prae-  
stat temporibus aeternitatem. Mira res: concipit Maria de ipso,  
quem parit: tumet uterus maiestate, non semine, capitque virgo,  
quem mundus mundique non capit plenitudo. Interea promovent  
suum membra factorem, et opus sui figura vestit artificem. Par-  
\*417 turit Maria non \* dolore, sed gaudio: nascitur sine patre Filius, non  
totus matris, sibi debens, quod conceptus est, donans matri, quod  
natus, quae principaliter stupet talem sibi Filium provenisse, qui  
ex se natus non crederetur, nisi quia sicut fuit virgo incorrupta post  
conceptum, permanet talis quoque post partum.

### S. CYRILLUS Hierosolymitanus (313/315 † 386/387)

#### CATECHESES (347)

- <sup>PG</sup>  
<sup>33,</sup> <sup>465</sup> Catechesis IV, IX. Πίστευε δέ, ὅτι οὗτος ὁ μονογενὴς Γίδες τοῦ Θεοῦ, 458  
διὰ τὰς ἀμαρτίας ἡμῶν ἐξ οὐρανῶν κατῆλθεν ἐπὶ τῆς γῆς, τὴν ὁμοιοπαθῆ  
ταύτην ἡμῖν ἀναλαβὼν ἀνθρωπότητα, καὶ γεννηθεὶς ἐξ ἀγίας Παρθένου καὶ  
ἀγίου Πνεύματος· οὐ δοκήσει καὶ φαντασίᾳ τῆς ἐνανθρωπήσεως γενομένης  
ἀλλὰ τῇ ἀληθείᾳ· οὐδὲ ὥσπερ \* διὰ σωλῆνος διελθόντων τῆς Παρθένου, ἀλλὰ  
σαρκωθεὶς ἐξ αὐτῆς ἀληθῶς [καὶ γαλακτοτροφηθεὶς ἀληθῶς ἐξ αὐτῆς]. φα-  
γῶν ὡς ἡμεῖς ἀληθῶς, καὶ πιῶν ὡς ἡμεῖς ἀληθῶς. Εἰ γάρ φάντασμα ἦν ἡ  
ἐνανθρωπησίς, φάντασμα καὶ ἡ σωτηρία. Διπλοῦς ἦν ὁ Χριστός, ἀνθρωπὸς  
μὲν τὸ φαινόμενον, Θεὸς δὲ τὸ μὴ φαινόμενον.
- <sup>PG</sup>  
<sup>33,</sup> <sup>616</sup> Catechesis VII, IX. [...] Αὐτός τε ὁ μονογενὴς Γίδες τοῦ Θεοῦ, τῷ 459
- <sup>PG</sup>  
<sup>33,</sup> <sup>466</sup> Catechesis IV, IX. Crede vero quod hic unigenitus Filius Dei 458  
propter peccata nostra de coelis ad terram descendit, assumpta  
humanitate ista, iisdem quibus subiicimur affectibus obnoxia; na-  
tusque est ex sancta Virgine et sancto Spiritu: facta, non secundum  
opinionem ac fietam speciem, sed secundum \* veritatem, inhumana-  
tione [seu hominis susceptione]. Neque per Virginem uti per cana-  
lem traiectus, sed ex ea vere incarnatus [et vere ex ea lacte nutritus]; manducans uti nos vere, et vere uti nos bibens. Si enim hu-  
manae naturae assumptio phantasma [ac ludibrium oculorum] fuit,  
phantasma itidem fuerit salus. Duplex erat Christus: homo quidem,  
quantum ad id quod videbatur; Deus vero, quantum ad illud quod  
latebat.
- <sup>PG</sup>  
<sup>33,</sup> <sup>615</sup> Catechesis VII, IX. [...] Ipse unigenitus Filius Dei, quo tempore 459

- PL 11, 407, 495.
- S. DAMASUS PP. († 384): PL 13, 351, 352, ■ 359, 373, 376 (cf. PLS I,  
310, III, 256).